




PHARMACO









ad carolum Lotharingium
Lotharingiæ ducem illustriss.

Basileæ, apud thomam
Guerinum. 1561

ut in fine libri additur:
mense martio


# PHARMACO-
## POEIA, MEDICAMEN-
## TORVM OMNIVM

QVAE HODIE AD PVBLICA medentium munia Officinis extant, tractationem & usum ex antiquorum Medicorũ præscripto continens, Pharmacopœis omnibus, atq; etiam ijs qui opus factitant medicum, ualde utilis & necessaria.

ANVTIO FOESIO MEDIOmatrico, Medico autore.

*AD CAROLVM LOTHARINGIVM, LOTHAringiæ Ducem Illustriss.*

BASILEAE, APVD THOMAM Guerinum. 1561.



# ILLVSTRISS. ET CLARISS. PRINCIPI CAROLO LOTHARINGIO LOtharingiæ Duci.



*VM nuper Commentarium in librum secundum Hipp. de morbis uulgaribus cōscriptum, eum'que Latine interpretatum, nomini tuo addicerem, Princeps clarißime, constitueram apud me impetrata aliquantulum à grauioribus studijs quiete, suscepti interpretandi muneris liberam uacationem, nec inhonestam missionem efflagitare: ut cùm aßidua animi agitatione intensam ingenij aciem relaxarem, ea nobis nostri ocij constaret ratio, quam tibi in primis, cuius amplitudini uota facimus, deinde etiam omnibus uiris grauißimis, non dubia mentis assensio*

*ne probarem. Qua in re idem mihi acci-
dit quod & ſenatoribus diligentiſſimis,
qui cauſarum forenſium actionibus attri
ti, atq; urbano opere defeſſi, quum iuſticio
ſibi indicto, rus ex urbe tanquam è uincu
lis euolant, ocij fructum uberrimum, non
contentionem animi, ſed relaxationem
aſſequuntur: Sic cùm à ſerijs ſtudijs ali-
quantulum interſpirarem, exiſtimabam
me ad omnem animi remiſſionē ludumq;
deſcendere. ſi non, quod de grauiſſimis ui-
ris memoriæ eſt proditum, conchas & um
bilicos ad Caietam & Lucrinum legens
incredibiliter repueraſcerem, aut ut pue-
ri delicati nihil ceſſatione melius exiſti-
marem, ſed ſtudiorum meorum rationē
ita repoſcerem, ut me in honeſtum ocium,
aut etiam in ſtudium ocioſum totum tra
derem. Feci igitur lubens, ut quos longo in
teruallo habueram ſepoſitos de Medica-
men-*

*mentorum ratione Commentarios, in uſum publicum colligerem, easq́ uelut conturbatis fortunis diſsipatas patrimonij noſtri reliquias, facta cuiuis auctione, hoc eſt, periclitata ingenij existimatione, tandem aliquãdo in cenſum redigerem. Qui ſi etiam tenuior eſt quàm ut nominibus publicis, quibus ſtudiorum noſtrorum fidem ſub tuis auſpicijs deuinximus, nos eximat: in ſpem tamen uenio maximam, diligentiam noſtram & induſtriam grata animi teſtificatione conſignatam, quam tibi mancipio damus, ad libellam (quod dicunt) hunc publicum nexum facilè diſſoluturã. Quod enim ſola recti officij conſcientia à me cautè eſt prouiſum, ut hac noſtra Pharmacopœia publicata, medendi myſteria miſerrimè adhuc deformata, qua poſſem integritatis religione conſeruata, in uulgus enũciarem: id, ſi non ut ad-*

missum facinus plena procuratione expiari, sed beneficij loco poni debet, aliqua profecto ex parte fidem liberabit meam, præsertim si ad nominum tarditatem, ingenuam grati animi beneuolentiam, non peruicacis debitoris importunam procacitatem attulero. Hoc tamen quicquid est muneris, neque ut in æstimationem accipias, neque in solutum postulo, Princeps clariss. præsertim cùm me ita tibi obnoxium esse sentiam, ut fides mea liberari non possit nisi beneficio tabularum nouarum. Verùm ut eam officij in patriã propensionem, qua propè cunctis ciuibus lucem ingenij & consilij nostri non ingratè porrigimus atque tendimus, ab eo profectã esse sentias qui & totius uitæ suæ cursum, studiorum moderationem, fortunarum constitutionem, ad tuæ familiæ amplitudinem, dignitatis ornamentum, &

nominis

nominis commẽdationem promptiſsimis animis ſemper adiunxerit. Quod ſi in hoc edendo munere ſatis prolixè uideor de propenſa noſtra in remp. uoluntate præſtitiſſe, omnesq́ nostri instituti rationes ad publicam utilitatem aggregaſſe, dum palantes & incertas medicamentorum formulas quas Seplaſiæ noſtræ quotidie ad arbitrium miſerè tractant, in ſubſellia & ordinẽ coegimus: per mihi beatus uideor, quòd uberrimus ocij noſtri fructus cum utilitate communi coniunctus in unius clariſsimi Principis auſpicium redundauit. *Huius enim* generis ea eſt tractatio quæ cùm latiſsimè in omnes omnium fortunas pertineat, hoc tamẽ propius eorum qui reipublicæ moderantur autoritatem attingit, quo ſanctius eſt ab ijs qui rerum habenas tenent, uitam noſtram, opes, liberos, & familiam conſeruari quàm negli-

gi. Atque ea demum primaria Principis laus est, ut iurisdictione confecta, publica ciuium salus, quæ temeraria Pharmacopœorum confidentia, ne dicam ignorãtia, miseris conuellitur modis, in doctissimorum & experientissimorum Medicorũ prudentia, solertia, iudicio, magistratuũ animaduersione & moderatione cõquiescat. Quam in rem multa scripta sunt ab artis nostræ dictatoribus: nec tamen, quòd ad status publici conditionem plurimum faciant, satis decantata. Quo maiore laude digni mihi uidentur, qui similitudine illorum ingeniorum in eadem incurrentes uestigia, doctrinam ex umbraculis eruditorum & ocio, non modò in solem & puluerem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxerunt. Hac enim medicamentorum descriptione, ac ueluti recensione futurum est, ut quæ medendi consuetudo &

exer-

*exercitatio, quæ intelligendi prudentiam acuit, summo iudicio delecta, usu confirmata nobilitauit, ea per medios ordines nullo penè labore cõquisita, in ipsam morborum aciem ægrorumq; triclinia pertrahantur. Quod quàm magnum sit Medicinæ faciendæ cõpendium, facilè iudicabunt qui sexcentas easq; indefinitas medicamentorum formulas, ex parum idoneis Medicamentarijs libris decerptas, & à Pharmacopœis nulla arte, nullo satis constanti autore, nullo ordine in Officinas traductas, plerunq; etiam ueteratoria fide dimidiatas, pro integris & ueris usurpantes, abiurato militiæ nostræ sanctissimo sacramento, nonnunquam & periclitata nominis existimatione, saluberrimæ artis decus & dignitatem in discrimen adduxerunt maximum. Hanc igitur Pharmacopœiam nostrã, dum nos à tur-*

ba & subsellijs, hoc est grauioribus studijs ad ocium contulimus, atque in medijs amicorum negocijs & ægrorum procurationibus conscriptam tibi asserimus, Princeps clariss. quæ iampridem tuæ amplitudini deuotum studiorum nostrorum cursum hac ueluti sponsione confirmet: & nostram in te obseruantiam officiorum sedulitate contestatam, fidei integritate cōfirmatam, beneficiorum recordatione corroboratam, in omnibus omnium oculis & mentibus perpetua obsequentis animi testificatione defigat. Etenim cùm sit huiusmodi, ut in commune collatum beneficium, ad amplissimi cuiusdam ordinis decretum & bene institutam in repub. magistratuum descriptionem referat: non uideo quonā potius aspirare debeat, quàm ad eum Principem, qui & generis claritate illustrissimus, familiæ splendore ornatissi-

tiſsimus, honorũ recenſione pleniſsimus, uirtutum quoque laude cumulatiſsimus, rempublicam ſuam lectiſsimorum uirorum autoritate ita temperauit, ut hac in re alteri concedat nemini. Quo ex numero me etiam non repugnantem, in hanc cauſam facilè impoſuit P. Caſtellionius cœnobiarcha humaniſsimus, idem'que ſapientiſsimus & eloquentiſsimus: neque ſolum literis, ſed in maximis cauſis, & in hoc tuo Imperij domicilio & gloriæ conſilio linguá'que princeps. Est uerò mihi gratiſsimum, quòd munus iſtud in hoc tempus incurrit, quum imperio omnium gentium conſtituto tranquillitas pacis ocium confirmauit, te'que florenti ætate conſpicuum cum clariſsima coniuge & illuſtriſsima matre, in ampliſsima dignitate conſtitutum, omnes municipiorum ordines amplectuntur

*tur & admirantur, pro'que tuo in patriam reditu Dijs immortalibus ſanctiſſimè uota nuncupant, ut plenam ſpei adoleſcentiam iſtam tuam ſuis auſpicijs augeant, tè que ipſum cum tota familia diu conſeruent incolumem. Quod ut fauſtum fortunatumq́ꝫ faxit Deus Opt. Max. quantis poſſum precibus & uotis contendo. Ex Mediomatricibus ipſis, Cal. Ian.*

SE-

# SENATUI POPULÓQUE MEDIOMATRICO.

INSTITVENTI mihi, Patres Conſcripti, Pharmacopœiam noſtram in totius Reipublicæ communemq; ciuium noſtrorum uſum edere, non erã neſcius, fore ut hic noſter labor in uarias hominum reprehenſiones incurreret. Nam & quidam ſuperuacaneam noſtram operam condemnabunt: & poſt doctiſsimorum uirorum ea de re conſcripta uolumina, inutilem ac fractam eſſe diligentiam exiſtimabunt. Nec deerũt alij, qui cùm delicatiores uideri uelint, uulgare noſtrum ſcribendi genus tanquam exile contemnent. Quidam etiam non omnino inepti, induſtriam noſtram, ubi aliquantulum commendarint, aliqua tamen ex parte debilitatam & diminutam clamitabunt. Quibus omnibus breuiter à me reſponſum eſſe exiſtimabo, ſi & ſcribendi inſtitutum aperuero, ſimulq́ue etiam cauſam noſtram probauero. Nam qui ereptam nobis ſcribendi materiam, præcluſosq́ue aditus exiſtimant, quòd uberrimorum

rum

rum ingeniorum cultura ſubactum ſolum istud fœturam fecit amplißimam: Ii profectò ualde in nos impij exiſtimandi ſunt, niſi ferant hortulos noſtros perennibus aliorum fontibus irrigari, & noſtris laboribus nouatos poſteritatis agros immortalibus animorum ſatis conſeri. Qui ſi noſtra neq; tam moroſè faſtidierint, neque tam abiectè contempſerint, ut ea ipſa æqua iudiciorum æſtimatione cum aliorum ſcriptis contendere uelint, eos ſpero aſſenſionem noſtram approbaturos, nec ocium noſtrum ut ingratum eſſe reprehenſuros. Etenim ſi medicamentorum uſus, quibus hodie tota uitæ integritas continetur, quorum etiam Seplaſiæ noſtræ in ægrorum curationibus rationem ineunt, nunquam adhuc ſatis explicatam habuit tractationem, nec uerò ſi quenquam in re Medica ſatis unquam huic arti facere poſſe exiſtimaui, num iccirco debui ualde timidè tanquam nauem ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic mentem ad hoc ſcribendi genus appellere? Audendum profectò fuit aliquid quod ad communem omnium ſalutē redundaret, & reipublicæ cauſa omnis priuatæ actionis contentio repudianda. Subeundus uſus omnium, & periclitan-

elitandę uires ingenij, & illa commentatio inclusa in ueritatis lucē proferenda est: idq; præcipuè, si nulla re alia adductus facias quàm utilitate communi, nec quicquid est uocis & linguæ in turpissimum calumniæ quæstum contuleris. Num uerò iccirco defugiēdum hoc munus fuit, quòd in eo summi ingenij & incredibilis eruditionis uiri desudarint, ac non potius ad doctorum iudicium elaborādum, ut quorum cantu sentias lucubrationes tuas quasi colorari, eorū laudem iam propè senescentem ab obliuione hominum atque à silentio uindicares? Deberi enim hoc à me tantis hominum ingenijs existimaui, ut cùm etiam nunc uiuā illorum memoriā teneremus, hanc immortalem, si possem, redderemus. Qua quidem uel pia animi recordatione doctissimi præceptoris Syluij manib. qua possumus expiatione parētamus, cuius ex fontibus uel plurima huic nostræ Pharmacopœiæ aspersimus. Nam cùm multis relictis de medicamentorum permiscendorum, conficiendorum & apparandorum delectu atque ineunda ratione Commentarijs palmarem hanc sibi fecerit gloriam, multa inde haurienda in usum traducenda fuere, plurima pro lu-

xurie

xurie interlucanda, quædam etiam immutanda, & uerò pro noſtro inſtituto relinquẽda. Hoc in negocio uidebam me noſtris ciuibus magno adiumento & reip. ornamento fore, ſi medicamentorum confectiones & apparatus quibus publicè & priuatim ad ægrorum ſubſidium utimur adornarem, & pro magna ex parte adulteratis ueras & germanas Medicinæ officinas inſtruerem. Verendum quippe fuit, ne improbus nos conſuetudinis æſtus abſorberet, aut in præceps ægrorum diſcrimen cum magno famæ & exiſtimationis diſpendio traheret. Quantum igitur in hac acie quotidiani muneris ſpacij nobis datum eſt, in id totum contulimus, ut hoc æuo uſitatas Medicorum reſcriptis formulas, & officinis uſurpatas, quas poſſem ratione legitimas, ueras & integras, ex maiorum monumentis delibatas, hauſtas & erutas in uſum noſtrũ perducerem, & uelut poſtliminio reſtituerem. Quo in inſtituto dum ex domeſtica exercitatione & umbratili medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra, in aciem deniq; ipſam popularẽ medendi uſum eduximus, id propè conſecuti uidemur, ut cùm in Medici inſtrumento tam lauta eſſet ſupellex,
eam

eam ornamẽtorum ſuorum copiam, quam diſsipatam, nec ſatis integrè adornatam, ac uix quidem uno in loco cõſtructam, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpiciebamus, in lucem proferré, & ſuo quidq; loco ponerem. Sic enim quod opus inſtituramus exædificauimus, ut medicamentorũ delectu habito, ea in ordines collocata à capite unde manarẽt arceſſeremus, ortum & familiam ex qua tranſirent indicaremus, uſum præferremus, & (quod dicitur) digitum ad medendi fontes intenderemus. In exoletis & deſuetis nullam mihi collocandam eſſe operam putaui: ne aut alienos orbes in Medicina tractarem, aut officinas noſtras onerare potius quàm alleuare uideremur. Ex quo etiam in poſterorum inuentis ita mihi temperaui, ut quæ in ſumma ubertate inerat luxuries, eam ſtylo depaſcẽdam ducerem: ne, cùm eſſet incredibilis & uaria excellentium ingeniorum in medicamentorum adornatu fertilitas, operæ noſtræ à Pharmacopœia cognoſcenda debilitatę, uoluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abijcerent. Qua in re & noſtrorum hominum imbecillitati & tenuitati conſultum uoluimus, ne cùm parum neceſſariam im-

b pen-

pensam sine quæstu facerent, eos in rebus serijs et necessarijs tardiores, aut etiam cum dolo malo artis ministerio parũ obsequentes tandem sentiremus. Id tamen contendimus, ut dum regia uia incederemus, mediũ quoddam teneremus, & in exercitationis atque consuetudinis nostræ mediocritate consisteremus, ne aut redundãtes nauseam & fastidium, aut nimium diminuti negocium cuiuis in hoc artis factitandæ genere pareremus. An igitur, si quæ huius facultatis habuimus adiumenta seposita, sub styli acumen succedere & subire uoluimus, iure nostrum inuentum conuellitur, quòd post excellentium ingeniorum industriam ea quæ in re dispersa atq; infinita uidebantur esse, ratione & distributione sub uno aspectu posuimus? Ac non potius laudi ducendum est maximæ, quòd per omnes ingeniorum campos latè sparsam medicandi materiam in penum aliquem refertissimũ condimus, ex quo uelut in procinctu admirabilis scientiæ facultatem in propellendis morbis comparatam habeas? Hæc profectò exercitationis in medendo nostræ cancellis circunscripta materia, ex plenissima eorum qui hac de re scripserunt abundantia coercx,

cer-cam

cenda, contrahenda, & in certos uſus noſtri fines regunda fuit. De qua quidem tota re licebit ijs exiſtimare, qui noſtra cum cæterorum ſcriptis æqua animi & uoluntatis propenſione conferent. Quibus de noſtra induſtria lubenter iudicium ponimus, ut cum multa in deſuetudinem reiecta, plurima in uſionem reuocata, ignota nonnulla in familiam & nationem reducta uiderint, iudicent num alienæ perſonæ autor potius quàm actor meæ fuerim, & recténe ex alienę laudis obtrectatione famā quæſiuerint. At uerò noſtrum hoc populare ſcriptionis genus à delicatis dicēdi magiſtris irridetur, contemnitur, & uelut hoc publico Medicinę theatro indignum exploditur, in quod hac pręſertim tempeſtate nil niſi ingenio limatum, eloquentia perfectum, induſtria elaboratum adferri contendunt oportere. Quos deliciarum pręfectos ut cincinatulos & comatulos pueros cū bona gratia dimittemus, ne ſi paululum ſubmouerimus, totā illā decentis oris habitudinē ita conturbemus, ut amplius delicias facere nō poſsint. Exile noſtrum dicendi genus ut non diffiteor, ſic ad hanc quam quærimus medicamentorum cognitionem, apparatum & cō-

poſitionem, æquabile, planum & temperatum, nō inſolens, nec affectatū, maximè accōmodatum uideri debet: cùm præſertim ad eorum captum te demittas neceſſe eſt, ſine quorū opera nullam, aut profectò uilem medicinam feceris. Quibus omnib. ſi deinceps cæteris reſpondero, uel una in cauſa ſatis eſſe factum arbitrabor. Sed ſanè æquior eſt eorum reprehenſio, qui, ut non prorſus inutile fore ſtudiū hoc noſtrum dictitant, ſic tamen ad medicamentorū compoſitiones ornatum, delectū, & ad actionis noſtræ uſum non ſatis perfectum, uerùm etiam aliqua ex parte diminutū calumniantur. Nam cùm cæteri omnes qui in hoc puluere deſudarunt, medicamentorū ſimplicium cognitionē accuratè inueſtigarēt, cōiecturas plurimas qua poſſent diligentia explicarēt, apparatum adornarēt, permixtionis modum temperarent, adulteratorum fucum emendarent, & ſuppoſiticiorū gratiā cōmendarent: in eo ſi prolixam doctiſsimorum liberalitatem ampliſsimè amplexus ſum, num iccirco fraudis condemnari debui, & lite æſtimata totaq; cauſa cadere? Huius materiæ delectus, quā Pharmacopœis noſtris ad hāc facultatem comparatam eſſe uolumus, in-

ueſtigatio

uestigatio ipsa, tota denique explicatio, instrumenti apparatus & supellex, ex maiorũ cõmentarijs mutuanda est. Ac ueluti si in aliquam refertam domum & locupletem uenias, in qua explicata ueste, proposito argẽto, tabulis & signis propalã collocatis, hisq; rebus omnibus magnificè excultis, dum ad elegantiam fruaris non magnopere artificẽ requiras: sic tibi in hoc cõmune nostræ militię armamentarium ingresso, cùm teli genus omne suppetat, magna habenda est ijs Imperatoribus gratia, qui cõscripto milite & instructo, arma etiam ipsa ita in manus aptarunt, ut his septus possis non tam caduceo quàm Medici nomine ornatus, incolumis uel inter inter hostium tela uersari. Ex his enim ueluti quibusdam argumentorũ locis ea quę ad actiones Medicas faciunt, & ad usum popularem sunt accommodata, petas licet. Quæ quia officinis ferè & nostri operis administris scripta sunt, eos in huius artis primordijs tyrocinium nõ posuisse solùm, sed etiam confecisse, & reliqua ad hanc operam subsidia ex optimis illis magistris petere uolumus. Atq; eorum quidem si quẽ nũc planè rudem hac in arte institui uelim, an non his potius tradam assiduis uno ope

re eandem incudē diem noctemq; tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima, mansa, ut aiunt nutrices infantibus pueris, in os inserant, quàm ex me ipso requirere patiar? Sin, si quis est paulò liberalius institutus, & aliquo iā imbutus usu, qui & satis acri ingenio esse uideatur ad artis ministeria pertractanda: illuc ego eum rapiā, ubi nō seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde uniuersum flumē erumpat, & illi sedes & tanquā domicilia omniū argumētorum commonstret. Qui certè fructus est huius instituti longè uberrimus. Nam & hi loci ei demum prodesse possunt qui est uersatus in rebus, uel usu quem ętas deniq; adfert, uel auditione & cogitatione quæ studio & diligentia artem præcurrit. Hîc mihi subacto ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed nouato & iterato, quò meliores & grandiores fœtus edere posit. Subactio autem est usus, auditio, lectio, & literæ. Quæ omnia aut singula uel mediocria cùm ad Pharmacopœi diligentiam adhibita fuerint, dici non potest quàm magna dignitatis & ornatus accesio huic saluberrimæ arti futura sit. Atq; eos ipsos quidem ad hanc operam suam publicè probandā, atq;
ad

ad hanc noſtram Pharmacopœiam in opus deducendã ſatis idoneos eſſe exiſtimo. His nos ſcribimus, his noſtra proponimus, qui ingenij alacritate & actionis cognitiõe Medicis diligentẽ nauãt operã, & officinarum ſeptis circũſcriptã Pharmacopœi dignationẽ ampliſsimè tuentur & fouent. Ijs namq; qui ad hanc militiam nomen neq; dederũt, neq; ſacramento obſtrinxerunt, tam parum moueor, ut ne attingendos putem. Ac uerò ut C. Lucilius homo doctus & perurbanus dicere ſolebat, ea quæ ſcriberet neq; ab doctiſsimis neq; ab indoctiſsimis legi uelle: ſic nos profectò in hoc delectu faciendo, mediã quandã hominũ temperiẽ qui artis imperio poſsint obſequi cõſcribimus, ignauos fugimus, ſolertes cõquirimus: ſtrenuiſſimos neq; ambimus, neq; ſolicitè nimis aucupamur. Nec ſanè ea ſcribimus ijs qui iam pridẽ ſunt in curſu, aut Medicinę iuriſdictionem confecerunt: ſed ijs, qui ingrediuntur ad ſtudium, quiq́; ea quæ agenda ſunt in ægrorũ curationibus tanquã in acie, poſſunt etiam nunc exercitatione quaſi ludicra præ diſcere ac meditari. Quæ quanquam excellentibus ingenijs nomenclaturæ aut ſubmonitionis loco eſſe poſſunt, ijs tamen pa-

rum aut nihil profutura existimamus, qui antè ad agendum & cognoscendum uenerunt, quos in hoc publico medendi foro, quos in republica, quos in amicorum negocijs res ipsa antè confecit, quàm possemus aliquid de rebus tantis suspicari. Medicamentorum descriptioni usum etiam adiunximus, ut possent ij qui ad huius artis admirabilem efficacitatem conscendunt, ad ludendum & pugnandum arma sumere. Etsi enim aliud pugna & acies, aliud ludus campusq; noster desiderat: sic tamē mihi persuadeo, dum cæterarum artiū subsidia sibi compararint, eos ex hac ueluti palæstra posse in pompa & acie illustres euadere. Seplasias namque ipsas, totumq; officinarum instrumentum ac reconditam supellectilem ita explicauimus, ut quicquid sola indicatura ad Medicorum præscriptum in communes actiōes uocaretur, id inde ex diuturna Pharmacopœorum diligentia promptissimè peteretur. Glandes, enemata, collyria, gargarizatus, apophlegmatismos, suffitus, odoramenta, apozemata, pessos, errhina, dentifricia, sinapismos, reliquaq; id genus, quia in rem præsentem apparanda ueniunt, & in diem ex Medicorum formulis adornantur,
ex

ex eorum reſcriptis petenda cenſuimus: ſatis à nobis hoc in negocio omnibus factum eſſe exiſtimantes, ſi quæ operam & uſum requirunt longè maximum, leuioribus relictis, hîc expeditam haberent tractationem. Qua in re non uideo cur iure inſtitutum noſtrum reprehendi poſsit, præſertim cum ad officij noſtri rationem pertinere arbitrarer, ut quidquid eſt, in commune ciuium conſumerem: & de his quidẽ rebus, ut in conditionibus ſcribi ſolet, de quibus ſcirem poſsemq́;, non ut quidem magiſter & artifex, ſed quaſi unus è togatorum numero atque ex forenſi uſu homo mediocris, neq; omnino rudis, aliquid proponerem. Atq; hactenus quidem firmata eſt noſtra defenſio, ijsq́; qui non parum eſſe ſibi ponderis ad inuadendam noſtram cauſam exiſtimabant, ſatis reſponſum arbitror. Nam nec eos moror, qui animum maleuolentia ſuffuſum ad ſcripta noſtra afferent: non hercule magis quàm eos, quorum tam eſt inſolens rerum alienarum faſtidium, ut nil niſi ſuum laudari uelint: quòd hi de animi prauitate deduci non poſsint, & ſinendi ſint ſtultitiæ ſuæ quàmplurimos teſtes domeſtico præconio colligere: illi uerò ne tantulum commo-

uedi ſint, ut cùm municipaliũ rubigine den tiũ (ut inquit ille) uel delicatiſsimos cibos infecerint & uenenarint, tandem miſerum ſibi pariãt exitium. Aduerſus quos etſi difficile eſt habere quotidie bonũ ſtomachũ, hac tamẽ me ſpecula oblector, quòd neque unt rectam officij noſtri conſcientiam labe factare, neque uerò animi æquitatem ullo modo conuellere. Reſtat Patres conſcripti, ut quoniam munus hoc quod exaggerare oratione nolumus, in medio ueſtrûm omnium conſpectu & in domeſticis ueſtris parietibus eſt informatum, id totum Reip. ueſtræ conſecrem, tum etiam ut eam quam patriæ debeo pietatem ſempiterna officij commendatione recolam, tum uerò ut recentem ueſtrorum beneficiorum memoriam qua poſſum referenda gratia in omniũ mentibus teſtificatam relinquam. Poſtea enim quàm conſpirantibus omnium ſuffragijs me in curiam ueſtram allegiſtis, repentè inceſsi omnibus læticijs oblatam eam eſſe mihi occaſionem, in qua me uobis probarem, muneris noſtri ſedulitatem, fidem & diligentiam confirmarem, ſtudium noſtrum ad reip. ſalutem adiungerem, ne prȩſidium in quo à uobis locatus ſum, aliqua

ex parte deſeruiſſe uiderer. Hanc ipſam igitur promerendis ueſtris beneficijs ſatis idoneam gratiam eſſe exiſtimaui, ſi Pharmacopœiam noſtram, totius Reip. rationibus ualde accommodatam, uelut in clientelam uobis elocarem, & ad pulcherrimæ & elegantiſsimæ ciuitatis patrocinium applicarem: ut hoc uel leuidenſe munere his præcipuę turbulentiſsimis temporibus uos ornarem, quod nec florentiſsimis ueſtris rebus, & in pleniſsima rerũ omnium copia, quos ante nos plurimos ſtipendijs ueſtris aluiſtis, beneficij loco apud uos poſuiſſe cõſtat. Quod quidem quamuis ſit leue & exiguum, tamẽ pro noſtra in ueſtrum nomen perpetua obſeruantia, in ueſtram dignitatem fide, dum me ueſtris nominibus eximere nequeo, nec adhuc quicquam è uiuo reſecare licet, ut in ſortis fœnus ducatis poſtulo. Spero enim futurum, ut poſt ſepultas exulceratiſsimorum horum temporum iniurias, atq; obductas horum uulnerum cicatrices, ſtudiorum noſtrorum labores ad reuiuiſcẽtis prope ciuitatis ornamentum, & Reip. effloreſcentis autoritatem accommodare poſsimus. Quæ Regis Chriſtianiſſimi auſpicijs cõſeruata, Franciſci Villeuil-

læi Proregis prudentiſsimi, eiuſdemq; Equitis Conchyliati ſtrenuiſsimi uigilantia confirmata: tandemq; Antonij Sennetonij Prætoris æquiſsimi, & in nobiliſsimo totius orbis Iuris domicilio ſenatoris lectiſsimi, iudicio, conſilio, ſapientia conſtituta & moderata, miſerabilem illam uaſtitatis ſpeciem & fœdum excidij aſpectum ita ſolatur, ut calamitatum penè oblita, nunc tandem ex grauiſsimis malis emergere uideatur. Et quoniam ea magiſtratus uis eſt, ut præſit, præſcribatq; recta & utilia cum legibus & æquitate coniuncta, uobis magnopere animaduertendum eſſe contendo, Patres conſcripti, eamq; ad ciuium ueſtrorum ſalutem cautionem adhibendam puto, ut tota Pharmacorum ratio, quoad fieri poterit, integrè & piè ab his quibus eſt demandata cura attrectetur, & ad eorum qui hac in arte uobis ſtudium ſuum probari uoluerunt præſcriptum adornetur & exploretur. Sic enim futurū eſt, ut cùm uobis optimè conſultum eſſe uelitis: tum uerò etiam ciuium omnium ſalute defenſa magnā cōſceleratæ nefariorum hominum confidentię ſecurim infligatis, qui dum uerba ſine penu & pecunia temerè profundunt, & per mortes pu
blicas

blicas experiméta agunt, malũt inertiæ suę testes locupletissimos facere, q̃ Medicorũ subire iudiciũ. Quod etsi in hoc publico pulcherrimę ciuitatis theatro, atq; in ea Reip. moderatiõe dolendũ est potius q̃ ferédum: quis tamẽ tã est desperati animi, quis non modò ob omni ęquitate, sed ab ęquitatis suspicione tã est relictus, qui nõ scelus esse clamitet, ex impudẽtissimorũ agyrtarũ circulis, portentosa circũforaneorũ quorũdã audacia, superstitiosis anicularũ deliramẽtis, ex media deniq; plebis fœce, Medicinæ sacratissima mysteria uelut sortes & oracula educi? Quis æquo animo ferat diobolares quosdã Chirurgiæ magistros in has saluberrimæ artis possessiões eo animo irrũpere, ut augustissimã Medicinę maiestatem fœdissima ingenij inertia deformẽt? Qui ut se personatos Medicos populo uenditent, suis temerarijs rescriptis medicinã factitãt, & intolerabili ignauia integerrimę sciẽtiæ castella arcẽq; ipsam hostib. produũt, & ad calumniã ansam faciunt amplissimã. Quibuscum uel optimo iure nobis interdicto cõtendendũ est, aut ij ex manu iure consertum uocandi sunt, quòd ab huiusmodi ueteratorib. Medicinę possessionem miserimè depastam esse ma-

ſe magno omniũ malo cõſtet. Audiui & me mini, ante annos uiginti Luteciæ Senatuſconſulto cautum fuiſſe, ne quid ex pharmacorũ fraude Reip. ſalus detrimenti caperet. Hoc negociũ diligẽti Medicorũ fide procuratum, tandẽ ad Ioannẽ Tagaultiũ & Antoniũ Gallũ celeberrimos & experiẽtiſsimos Medicos delatũ, cùm uterq; ad Pharmacopœiá inſtruẽdá plurimùm laboraret, immatura cuiuſq; morte eſſe interceptũ. Quo profectò æquius eſt, uos ad animi æquitatẽ deſcendere, & magiſtratus ueſtri dignitatẽ nõ ſolùm imperãdi, ſed etiã obtẽperandi modo ſtatuere, cùm uideatis totius orbis celeberrimũ ſenatum in hoc cõmunis ſalutis diſcrimine ſummã ſuã autoritatẽ interpoſuiſſe. Quod ut ſancire poſsitis, & ueſtros ciuiũ omniũ ordines cum ſumma animorũ integritate, totãq; demũ ipſam Remp. æquiſsima legũ moderatiõe tẽperare, à Deo Opt. Max. quantis poſsum uotis cõtendo. Atq; etiam, ſi me uobis aliquid polliceri fas eſt, hoc in me recipio, qua pietate in patriam uiri optimi eſſe ſolent, eadem me perpetuò erga ueſtrum nomẽ & Reip. ueſtrę dignitatẽ fore.

Ex ueſtris Mediomatricibus, XIII Cal. Ian. 1560.

DE

# PHARMACOPOEIA, ANVTIO FOESIO MEDIOMATRICO MEDICO AVTORE.

## *SECTIO PRIMA,* *Confectiones Aromaticas continens.*

### DE ANTIDOTIS PROLEGOMENA.



Ntidotos uniuersitatis nomen habuit apud rei medicæ principes. Vnam enim & eandem habuerunt appellationem, quæ suis facultatibus lethalia pharmaca, uenenatos ferarum morsus, & corporis morbosos affectus propellerẽt. Atq; adeò in hoc tertio genere paulo latior huius nominis fuit ratio Asclepiadi in suis περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν libris, cùm medicamẽta febrium insultus sedantia, & ea quæ ad conuulsa aut rupta faciunt, & abortus aut fœtuũ exolutiones promouent, ἀντιδότων nomine censet. inter quæ συγχρίσματα, ληξιφάρμακα καὶ ληξιπύρετα adscribit. Vt iam ferè uniuersaliori quodã nomine ἀντίδοτος,

non tantùm ea quæ omnibus omniũ generum affectibus intrò admiſſa medẽtur ſignificet, ſed & ea quæ foris quodammodo impoſita morbos abigunt & delent. Nobiſcum certè paulo iniquiore actũ eſt conditione, ex quo inſanum dicendi cacoethes, & improbus quidam dicendi uſus liberiorem uerborum licentiam nouercari cœpit. Ferenda tamẽ eſt, non dolenda cõditio. Nec enim multum de libertatis iure deceſsimus, cùm nobis poſtliminij ius perpetuis quibuſdam uindicijs aſſerat Gal. lib. περὶ ἀντιδ. I. Antidotum enim uocari à Medicis ſcribit, quicquid intrò ſumptum, nõ extrà admotum, morbis medetur. Eandem uerborum licentiam ſibi uendicarunt barbari, qui ſuos de medic. materia & compoſitione libros ſolenni Antidotariorum indicatura inſigniuerunt. Quibus admouendorum plurima ſupellex, emplaſtrorum & inunctionum apparatus, & oleorum præla cõtinẽtur. Eodẽ prouocationis iure utimur, & in hác cauſam iudiciũ noſtrũ inſerimus, cùm Antidotos noſtras ad principia noſtrę Pharmacopœiæ collocamus ab his exorſi, nos prędicata ueterum autoritate tuentes, ne ſi ſtatim antiquorum ordinem peruerterimus, cornicum oculos configere uideamur, & in inuẽto minimùm plauſibili aliorum gloriam deprædari. Quanquã & nobis noſtra cõſtat ratio, nec nos iſtius ordinis piget, ſingularibus per uniuerſales quaſdam notiones uiam munientes, quæ eſt

est naturæ & philosophorũ tractatio. Antidotis enim prius uelut diductis & explicatis, reliquorum fiet leuior absolutio: ut his in prima statione stantibus, cæterorum ictus non excipi, sed eludi uideãtur. Vt nec addam, plurimùm me mouisse ueterum Medicorũ celebritatem, quæ hic præcipuè enitet, cùm reliqua se solo barbariei & nouitatis nomine tueantur. Sua cuique constet ordinis ratio, dum ad eandem metã nostros equos flectamus. Sequimur plausibilem magis & popularem ordinem, pharmacopœis omnibus & Medicorũ administris scribentes, ne quid eos uel trãsuersum terreat unguem. Antidotos igitur triplici locatas acie, trì bus etiam sedibus distinguemus. Primum occupabunt locũ, quæ Cõfectiones Aromaticæ à nobis dicũtur: cęteris electuariorum, sed pręcipuè solidorum nomine continentur. Has uerò excipient Confectiones Opiatę, satis sua fama cognitæ. Reliqua erunt, quę solutiua aut lenitiua dicẽtur. Quæ duo postrema etsi Electuariorum humidorum nomine gaudent, habent tamen in eo cum nostris aromaticis confectionibus cõsensionem, quòd liquidiorum usu temperãtur. Solutiua tamen ab his distinximus, solo Aromaticorum nomine. Cõfectiones enim Aromaticas dicimus, quòd aromata sola (quæ Græcis ἄρωμα) odoratu & sapore ferè iucunda, non autem cathartica & purgantia caperent. Nam etsi ex nostris confectionibus permultæ

rheum habent, ut diacurcuma, dialacca, dia-
rhodon, diatrionſantalõ: quædam epithymum,
ut lætificans Galeni: aliæ hermodactylos &
rha ponticum, ut diapraſsion Nic. Quia tamen
horum nihil uehementer purgat, manet appel-
latio, nec noſtrum inſtitutum abnuimus. Con-
fectiones uerò non intelligimus Arabiſtarum
more, qui eaſdem compoſitiones uocant, ele-
ctuarijs ſolidis tantùm attributa appellatione:
cùm electuarium latius pateat, ut etiam molle
& liquidum contineat. Confectiones enim a-
romaticas, & molles & ſolidas fieri intelligi-
mus. Nec eſt quòd eorum differentijs acquie-
ſcamus, cùm etiam perſæpe nominum ſuorum
religionem uiolẽt, nec ſe ſuis perpetuò finibus
contineant. Nec apud me plus habet ponderis
hæc appellationum diſtinctio, quòd confectio
pulueres minore quãtitate quàm electuarium
recipiat. Hæc enim etſi uera ſunt, rerum tamen
naturam non labefactãt: multo minus ſpeciem
diſtingunt, ſi natiuam formam non adultera-
tum fucum prę ſe ferunt, aut condulcatum gu-
ſtum, multis dulciarijs emercatum, & palato
potius quàm ſanitati mancipatũ in perpetuam
libertatem aſſerunt. Quis enim non uidet nos
guſtui magis, quàm rerum ponderi eſſe addi-
*Lib.4.Salub.* ctos? Quod ſenſit Gal. cùm nos cuiuſque natu-
ræ rationem inire uoluit, ut quoad fieri poſſet,
iucundiſsimum medic. pararemus, uirium ta-
men utilitate ſeruata. Cuius rei uel facilis cau-
ſa eſt,

ſa eſt, quod in materia ſicca aromata (quæ ſui generis plurimũ caloris habẽt) facilius expirẽt, & uiolentiores uires experiantur. Humido uerò condita ægrius expirant, & colliquabili illa permixtione ſubmerſa ſopiuntur, obtunduntur, & ueluti muceſcũt. Quanquam non ignoro, molles ipſas confectiones à calido natiuo, & mutua ſimplicium actione aut perpeſsione, ac ueluti proba fermentatione cocturam quandam & temperiem acquiſitas, quæ in multum tempus efficaciores reddat, ſolidas uerè euaneſcere, & breui impotentes ac inefficaces fieri, quia facilè per tenuem corporis texturam aromatum uis exhalet. Condiſcenda igitur eſt hoc in genere mixtura, mixtorum contemperatio, & quænam ſit mixturæ ratio, ne plus abdomini ſaginando dediti, quàm ſanitatis ſtudio uideamur. In ſuffarciẽdo enim uentre magnam condimentorum rationem habemus, & in his plurimum operæ impendimus. At in ſanitatis diſpendio uicariam ſubſtituimus Pharmacopœorum operam, aliena quàm noſtra fide cautiores.

Qui temperãdæ mixturæ rationem conſcribunt, in confectionibus aromaticis proportionem dodecuplam, in ſolutiuis quadruplam definiunt, ut confectionum pulueres unciȩ unius pondere libra una ſacchari condiantur: & ſeruata analogia, dragma una puluerem ſacchari ſeſquiunciam recipiat. Sunt tamen qui guſtum

magis deliniunt, & drach. sex uni librę addunt. Quosdam etiam dolus malus falsitatis arguit, dum precio uincũtur, & lucrum fidei antepo- nunt. Solutiua puluerũ uncias tres, mellis pondo temperant: & seruata itidem analogia, puluerum drach. duas, mellis uncia una. Sed nec perpetua est hęc ratio, cùm Mesueus aliquãdo triplum, aliquàndo quadruplum mel misceat. Confectiones autem hodie uariè efformãtur. Primùm enim in offas mazæ modò coguntur, deinde placentæ effigie complanantur, & in orbicularem aut rotundam figurã contorquentur: unde Orbiculi dicti, à nostris Rotulę dicũtur. Quædam in minutas tessellas quadratas, rhomboides aut triangulas secantur, & Lozengiæ à nostris uocantur, Morsuli nobis sunto. Quæ in longiores digitorum formas diducuntur, à forma manus Christi uulgus uocat. Parãtur potissimùm è speciebus multorum antidotorum, adiectis quibusdam nouis & recẽtibus, quæ stillaticio quodam liquore & saccharo exceptę, quam uoles formam assumunt, dum põdus unius uel plurium drachmarum appendãt. Ex his confectionibus tum solidis, tum liquidis, cum saccharo & conditis aliquibus, alijsq; medicamentis simplicibus & compositis, serapio aliquo, aut alio liquore exceptis fit mixtura. Quanquam Mõtagnana, hac in re non contemnendus autor, in mixtura medicamenta in forma solida & propria accipi uelit, in electua-

rio

rio uerò confectionum species. Facimus & analepticas confectiones, ubi imbecillas uires reficimus ex caporum & perdicum pulpis, quibus amygdala, nuces pineas & uuas passas addimus: & addito sacchare liquoribus stillaticijs diluimus. Vtendi occasio pro uario Medici scopo uariat. Quæ concoctionem adiuuãt, magna cautione adhiberi debent, nõ, ut plurimi uolũt, statim à cibo, sed subsidente ferè cibo, & uentriculi fundo comprehenso, ac ueluti manibus excepto. Nam cum eiusmodi medicamenta ferè calidi sint generis, & ex innata sibi leuitate plurimum aerosæ essentiæ euaporent, cerebrũ obnubilãt & deturbant. Adde quòd sæpius cõctionem suo calore & agendi ui interturbãt, cùm ἀπεψίας, quæ ferè à frigido fiunt, sua qualitate euincant. Quod intelligẽdum uenit de his quæ tam magno agendi calore prædita sunt, ut magis cibum distribuant quàm coquant. Cætera à cibo sumi possunt: ut diatrionpipereon & diacitoniten exhibet Gal. lib. 4. salubriũ. Cibo enim sumpto, coctio, non statim distributio procuranda est. Quare idem, diacalaminthes à cibo statim exhiberi non uult. Quæ succi distributionem adiuuant, cibo iam ferè demisso, & detumescẽte uẽtre. Quę flatus dissoluunt, & cruditates corrigũt, duabus horis aut tribus ante cibum: quemadmodum quę appetentiam & uentriculi sopitum robur excitãt, non longa interposita mora cibum requirunt. Quæ cere-

brum roborant, quidá statim à cibo obtrudũt, ut cum fumidis alimẽti uaporibus medicamẽti uis sursum euolet. Quæ humores expulsioni apparant, meatus reserant, crudos & lentos corporis succos dissoluunt, crassos incidunt, & deorsum propellunt, horis duabus cibos præcedant. Somnum conciliantia, si hora somno addicta exhibeantur, deperditam conniuendi appetentiam in usum referunt, & inquietudines abigunt. Purgantia tribus aut quatuor horis cibos præcedunt pro medicamentorum celeritate aut tarditate, & corporis ac humoris purgandi natura.

## *Aromaticum rosatum Gabrielis.*

℞ Rosarum rubrarum drach. quindecim.
Glycyrrizæ rasæ drach. septem.
Agallochi ligni aloes
Santalorum flauorum, ana drach. tres.
Cinnamomi drach. quinque.
Maceros
Caryophyllorũ, ana drach. duas & dimidiã.
Gummi Arabici,
Tragacanthi, ana drach. duas, script. duo.
Nucis moschatæ,
Cardamomi,
Galangæ, ana drach. unam.
Spicæ nardi,
Ambræ cinericiæ, ana scriptula duo.
Moschi scriptulum unum.

Sacchari

Sacchari quod satis sit.

Hæc confectio secunda est ordine inter electuaria rosata à Mesueo descripta, usu frequentissima in magno humidorum excremẽtorum uentriculi prouentu. Coctionem enim iuuat, putredinem prohibet, stomachi mollitiem corrigit, imbecillitatẽ firmat, uentrem inferiorem totum & nutritionis instrumenta roborat, uentriculum distendentes flatus dissipat, appetentiam collapsam excitat, nauseam sedat, & stomachicis mirum in modum confert. Vtimur in conualescẽtibus, & ex diuturno morbo emergentibus, in naturis causarijs, & quæ leui ex causa in cruditates ac omnis inde generis morbos incidunt. In natura calida & aere æstuãtiore tutius est, quàm Aromaticum rosatum Mesuei & caryophyllatum, propter santala & gummi Arabicum & Tragacãthum, quæ mixturam quodammodo contemperant. In frigidiore uerò natura nõ peræquè commodat: sed aromatico caryophyllato utimur, quod uehementes uires habet ob multam aromatum cõdituram. Quare malim aromatico rosato Mesuei uti, quod magis temperatũ est, nec à Manardo improbatur: idq; putri ferè materia uacuata & cocta, ne eius uires à magna humoris copia obtũdantur, neque in uentriculum agere possit. Recipit autem rosarũ rubrarum drachmam unam & dimidiam. ligni aloes, macis, galangæ, caryophyllorum, zingiberis, trochiscorum diarho- *Aromaticũ rosatũ Mes.*

dõ, nucis moſchatę, galliæ moſchatę ana drachmas duas & dimidiá. glycyrrhizæ raſæ unciam uná. cinnamomi drach. tres, cardamomi, ſpicæ nardi ana drach. uná. ſacchari quod ſatis ſit. Aromaticũ caryophyllatũ hic omittimus, etſi in uſum quibuſdá ueniat. ſed ut plurimũ apud nos exoleuit, & eius loco aromatico Meſuei malo uti, pręſertim cùm folio uero careamus, & ſuccedaneo egeamus: quo nomine etiam Manardo ſuſpectũ fuit. Moſchũ ut cephalalgicũ, ſunt qui omittant: quæ res non magni eſt diſcriminis, etſi hac in re plurimum ægris ſeruiendum ſit. Non deſunt qui cum melle parát, quod quidem ita magis deterget & calidius eſt: & Meſueus ſyrupo roſato, & ſyrupo corticum citri condiebat. Itali plurimùm hoc electuario liquido utuntur. Nos in forma ſolida paramus, ut melius ſiccet, & caleat magis. Aromaticum roſatum minus, aromaticum moſchatum, & aromaticum Nardinum omittimus: quòd ritè parari, aut certè inefficaciter nequeant.

## *Diacuminum Nicolai.*

℞ Cumini pręparati drach. octo, ſcript. unũ.
Cinnamomi,
Caryophyllorũ ana drach. duas & dimidiá.
Melanopiperis,
Zingiberis ana drach. duas, gr. quinque.
Galangæ,
Thymbræ,

Calaminthes

Calaminthes ana drach.unam,ſcript.duo.
Ammeos,
Liguſtici,
Macropiperis ana drach. uná,gr.octodecim.
Spicæ Indicæ drach.unam.
Cardamomi.
Nucis moſchatæ ana ſcript.duo & dimidiū.
Sacchari quod ſatis ſit.

Hæc deſcriptio ex Nicolao in hunc modū ab omnibus adducitur: quanquam non ita legitur apud Myrepſicum, unde primùm deſumpta eſt. Poſt calaminthen enim addit piperis nigri, zingiberis ſing. drach.unam, ſcript.duo: nec cardamomum in ſua deſcriptione recipit. Ex eo igitur loco corrigenda eſt noſtra cōfectio, & hoc modo parāda. Etſi enim ferè deſijt à noſtris pharmacopœis parari, magno noſtro malo: ea tamen carere noſtrā officinā nolumus, propter inſignem illius uſum. Nic. melle Attico aut ſaccharo condiebat. Nos ſaccharo confectum in teſſellas ſeruabimus, eiusq; pulueres ſtomachicis noſtris confectionibus concoctionem firmātibus deſtinabimus. Gratius enim eſt forma ſolida ſumptū, licet inefficacius, q̃ molli. Stomachicis conuenit, thoracis, præcordiorum, uentriculi & uiſcerum imbecillitati à frigido, oxyregmiæ opitulatur: inteſtinorum flatusq; diſsipat, hypochondriorum diſtenſionem à nimia cruditate & flatibus liberat: eadem calefacit, & coctionem mirè iuuat. Arteriacis, difficultati

ſpirandi & tuſsi ex frigidis & craſsis humoribus efficaci eſt adiumento. Cephalalgiam à frigido humore & flatibus ſanat. Colicos dolores ſedat, & ſingultum præfocantem à craſsis flatibus emendat. Quartanarijs (qui ferè uentriculi robur exolutum habẽt) mirum in modum confert. Huius puluere ſæpe utor ijs in confectionibus, quibus concoctionem procurare uolumus, in his præcipuè qui nimia crapula uentriculum craſsis, frigidis & lentis humoribus ſuffartum habent. Cui Dioſpoliticon Galeni cõiungimus, maximè probatum in huiuſmodi caſibus, non æquè tamen efficax. Duplex à Meſueo deſcribitur diacuminum: quorum prius non malè noſtro uſui accommodaretur, niſi iſtud eſſet efficacius, & paratu facilius. Nicolaus Myrepſicus etiam duplicẽ è cumino antidotũ deſcribit, quarum priorem in uſum adduximus: alteram operoſiorem & compoſitam magis Dioſpoliten uocat, longè à Galeni Dioſpolitico diſſentaneam. Idem quoque multùm diuerſam habet diacumini deſcriptionem Antid. 328. Dioſpoliticum autem Gal. ex lib. 4. Salubrium parari uolumus, & in uſum adduci ex melle (ſic enim flatus potentius diſsipat. & infarctam uentriculo pituitam efficacius deterget) aliquando cum ſaccharo in puluere cibis immixtum, aliquãdo etiam cibis præſumptum, aut eoſdẽ ſequens. Recipit cumini Aethiopici, rutæ, piperis longi ueri & integri uel albi partes

*Dioſpoliticũ Gal.*

tes

tres æquales, nitri dimidium. Trita misce, siccis utere, uel melli egregiè despumato misce. Cuminũ autẽ pridie macerari aceto acerrimo debet, & in uase fictili probè cocto frigi, deinde tundi: quæ cumini maceratio in nostro Diacumino intelligenda uenit. Rutæ uerò folia modicè sicca sunto. Vt enim si plus iusto siccentur, acria & amara redduntur, & plus quàm par est calida: sic si non bene sicces, excrementicium quendam humorem retinent, nondum ex toto concoctũ: cuius uitio flatus inefficacius discutere possunt. Hypochondrijs turgidis & inflatis, debilibus uisceribus, & omnia in flatus uertentibus conuenit. Piper enim longum flatuosi spiritus crassitiem dissoluit, & quę in uisceribus & pręcordijs pigrè morantur, ad uentrem inferiorem propellit, & coctioni subuenit pro communi piperum ratione. Quo si carueris, albo utendum erit: magis nanque uentrem roborat. Sin ne istud quoq; habueris optimum, nigrum petendum est, quod pondere præcellit. Quæ cautio in omnibus nostris confectionibus coctionem iuuantibus, & piper recipientibus accuratè obseruãda est. Paulus lib. 7 Diospoliten uocat, eamq; minus medicamentosam describit. Actuarius lib. 5. Meth. Diospoliten etiã uocat: cui præter ea quæ à Gal. scribuntur, zingiber addit. Nic. Myrepsicus Gal. Diospoliticon descripsit Antid. 185. cui & aliã subdit eiusdem nominis, compositione tamen multum differentem.

*Ex Gal. & Actuar.*

*Cap. 11.*

*Cap. 6.*

rentem. Diospoliticum idem aridum & humidum describit Antid.324.& 325.

## *Diacalaminthes Galeni.*

℞ Calamenthi montani,
Pulegij montani,
Petroselini Macedonici,
Seseleos Massiliensis ana unc. unam & dimidiam, aut unc. duas.
Seminis apij,
Comarum thymi ana unc. quatuor.
Libystici unc. sedecim.
Piperis unc. octo & quadraginta.
Sacchari aut mellis quod sit satis.

Quod perpetuò enitimur, ut antiquata barbarie. ueris medicinæ parentibus pristinum restituamus nitorem, id in hac confectione contẽdimus. Malumus enim ex limpidissimis fontibus, quàm ex turbidis riuulis haurire. Vnde nescio quo fato factũ sit, ut Nic. diacalaminthes in usum magis uenerit, quàm quod à Gal. tam bene suis coloribus expressum est lib.4. Salubrium. Quo utitur in ulceroso sensu, cùm crudorum succorum copia extra uenas, & in corporis habitum recepta est. Vtile uerò est ad thoracis & stomachi perfrictionem & tussim à frigido excitatam, præcordiorum & pectoris totius refrigerationẽ. Senibus præcipuè & quartanarijs confert, difficulter coquentes mirum in modum iuuat, crassos & lentos humores te-

nuat,

nuat, per halitum educit, flatus crassos dissipat, singultum inde natum uehementem sedat, alimenti in hepar & corpus reliquum distributionem iuuat pręcipuo quodam modo, rigores febrium spinæ illitum mitigat, urinas & menses mouet, qui præcipuè ex uasorum à crassis & lentis humoribus obstructione retinentur, in quem usum utitur Gal. aph. 36. l. 5. Quæ hoc cōponunt medicamenta, simul omnia diligenter tundēda cribrandaq; sunt tenui cribro. Cùm enim alimēti distributionē procuret, omnia subtilia postulat, quo facilè in omnē corporis partem digeratur, feraturque. Quippe huiusmodi medicamenta omnem corporis habitum peruadunt: ueluti è diuerso crassiora in uentre hęrent, ut quæ angusta uasorum oscula subire nequeant. Cum melle parabat Gal. quod erat iucundissimum, quia Attico melle condiebatur. Siccum etiam medic. reponebat, & cum saccharo salis uice in obsonia ueniebat. Quo modo, nisi magna acrimonia uetet, uti poterimus. Atq; hac compositione instructum esse malim pharmacopœum nostrum, potius quàm dianiso & diacinnamomo: quæ etsi non improbo, quia tamen exoleuerunt, ea omisimus, paucis ijsq; usitatis contenti medicamentis ex media medicinæ actione & fonte deprōptis. Mesueus diacalaminthes describit à nostro non multum diuersum, nisi pondere & calamentho, fluuiatili pro pulegio, & zingiberis accessione. Auicēnas

etiam

etiam lib.5. cum Mesueo cõsentit, nisi quòd pro thymo miscet xylobalsamum, etsi aliud describit Tract.3. Nic.quoq; Myrepsicus multum uariat in suo diacalamintho, quod describit Antid.105. Quod quia plurimis est in usu, propter magnam quam Gal.medic. habet acrimoniam, si quis uti uolet adscribemus. Recipit calamenthi, pulegij, seseleos, piperis nigri, petroselini sing.drach.tres, script.duo. libystici drach.duas script.unum. seminis apij script.unũ. ammeos, thymi, anisi, cinnamomi, zingiberis, sing.script. duo. mellis Attici, aut sacchari quod satis est. Exhibebat ante & post prandium, uesperíque cubitum ituris nucis auellanæ quantitate ex uino bono. Est & apud eundem Diacalaminthes ad mẽses educendos utile, Antid.238. Etsi uerò Gal.medicamentum facilè nobis suppetit, Nicolai tamen descriptionem adscripsimus, quòd plurimus sit huius hodie apud pharmacopœos usus. Huius meminit Aetius lib. 9. ponderibus tantùm immutatis. Serapio quoque Galeni nomine medicamẽtum describit, multum ab eo quod descripsimus dissentiẽs. Dianisum & diacinnamomum quibusdam usitata medic. consultò omittimus, quòd his nemo nunc utatur: præcipuè uerò in tanta nobilium medicamentorum copia. Possumus enim horum loco diacumino, diospolitico, diacalaminthe, & diatrion-pipereon uti: ut in nostra supellectile istis paratis, illa non requiramus. Malumus enim

*Diacalaminthes Nic. Myreps.*

pharmacopœum

pharmacopœum noſtrum in paucis, ijs tamen optimis medic. expenſi rationes facere, dum tamen in uſum trahantur, quàm in longa multarum confectionũ præparatione, pecuniæ, temporis & famæ iacturam facere. Quidam in menſtruorum retentione ex uiſcidis & craſsis humoribus diacalaminthes in peſſo ſupponunt. Sunt qui ex oleo muſcellino glandem ſubigāt, & ad eadem utantur.

## *Diatrion-pipereon Gal.*

℞ Trion-pipereõ ana drach. quinquaginta.
Aniſi,
Thymi,
Zingiberis ana drach. octo.
Sacchari quod ſatis ſit.

Hoc eſt ſimpliciſsimum Gal. diatrionpipereon, quod magis probat in crudorum ſuccorum & flatuum copia à cruditate. Dandũ ijs qui ob recens frigus malè concoxerunt, & ſuccum plurimum pituitoſum in primis uenis coaceruarunt. Stomachi perfrictiones, ructus acidos, iecinoroſos & inflationes iuuat. Simplicius etiam componit Gal. tollẽdo zingiber. Compoſitum uerò magis cùm aniſi, thymi, zingiberis ſing. unc. duas miſcet. Alterum eſt medicamentoſum magis, quo utitur Gal. in defluxionibus à capite in pectus: & præterquàm ſupraſcripta, ammi, ſeſeli, libyſticum, enulam, ſpicam nardi & caſiam recipit. Quod improbat Gal. ob ma- *Lib. 4. Salub.*

d gnam

gnam medic.ſimplicium copiam: quia non parum negotij futurum ſit medicis, aut illis qui apparant, quæ imponuntur medicamenta, probè in ipſa mixtione digerere ac pinſere. Sic enim, ut obiter dicam, locus ille apud Gal. legendus eſt, contra interpretum & codicis Græci fidem. Quare ex hoc Gal. loco non minimá habemus anſam carpendi diatrionpipereon ab omnibus alijs autoribus deſcriptum. Meſuei enim deſcriptio, quæ in uſum frequentem uenit, præter ea omnia quæ medicamẽtoſius diatrionpipereon Gal. recipit, addit cinnamomum, aſarum, & apij ſemen: ponderibusq́ue uariat, ut in amomi penuria eo probè uti nõ poſsimus, niſi (quod magis auguror) pro ameos ſemine amomum poſuerit. Actuarij uerò quod deſcribit cap. de Antid. lib. 5. Meth. etſi magis ad Gal. cõfectionem accedit: præter tamen ponderũ uarietatem ſemen lini addit, & melle excipit. Nic. Myrepſicus diatrionpipereon tres habet deſcriptiones, uná ſimpliciſsimam, & duas magis compoſitas. Primam quæ eſt ſimpliciſsima, magis probamus, quòd ad Gal. doctrinam propius accedat. Qua ſi quis uti uelit potius quàm ea qua ſæpe utimur, is mentem meam aſſequetur. Capit autem trium generum piperis ſing. unc. unam, zingiberis, thymi, ſeminis apij, ſing. unciæ ſemiſſem, aniſi unciæ ſemiſſem. Melle aut ſaccharo excipit. Exhibet uerò nucis auellanæ magnitudine, ex uino temperato, ut Actuarius.

Reliquas

Reliquas duas Nic. compositiones ut medicamentosiores omittimus, in quarum numerum recipi non potest ea diatrionpipereon descriptio, quæ in Nic. uulgatis codicibus illius nomini nuncupatur, quæ maratrum, crocum, trochiscos hedicroos, betonicam & rutam recipit: quorum omnium nulla est apud Nic. in hac cõfectione mentio, ut interim ponderum diuersitatem omittã. Quare eam suppositicio nomine adulteratam esse censeo, quãuis à uiris doctissimis sub eius nomine uulgata sit. Est etiam alia cõfectio magis suppositicia, quę Nic. nomine circũfertur, & styracẽ, galbanum, myrrhã & castoreũ recipit, qua utuntur ad nephriticos, strãguriosos, & ad mouendos menses. Porrò nostram cõfectionem saccharo excipiendã censeo, quãquã cæteri melle condiunt. Gal. mellis non meminit. Eandem Gal. confectionem enumerat Aetius lib. 9. & Paulus lib. 7. sed ponderibus uariatam, ubi alias etiam eiusdem nominis habet descriptiones ferè Nic. descriptionibus affines. *Cap. 11.* Possumus ea uti in obsonijs salis uice. Ad coctionem iuuandam à cibo dari potest, & ante.

## *Diagalanga Mes.*

℞ Galangæ,
Ligni aloes, ana drach. sex,
Caryophyllorum,
Maceros,
Ligustici, ana drach. duas.

Zingiberis,
Macropiperis,
Piperis albi,
Cinnamomi,
Calami aromatici, ana drach. unã & dimidiã.
Calaminthes ſiccæ,
Menthæ ſiccæ,
Cardamomi,
Spicæ Indicæ,
Seminis apij,
Fœniculi,
Cari,
Aniſi ana drach. unam.
Sacchari albiſsimi quod ſatis ſit.

Hæc confectio apud quoſdam propè antiquata eſt, eam tamen reponimus ob illius efficaciam. Vehementes enim uires habet in flatibus craſsis diſsipandis, & proprio quodam munere ſtomachi inflationes iuuat, ructus acidos abolet. Purgat frigidos & putridos humores uentriculo concluſos, & hepatis intemperiem frigidam ſanat, oris habitum cõmendat. Duabus horis ante cibum ſumi poteſt, cum uino aliquo generoſo, aut cum uino decoctionis galangæ. Eaſdem præſtat uires radix ſola cõmanſa: & præterea cerebri frigidam intemperiem emendat, multumq; oris ſaliuationem deſiccat. Hæc confectio maximè Manardo commendatur: & ea ſæpe in mulieribus, quæ à frigida intemperie exolutas habẽt ſtomachi uires, utenda

da uenit. Nic. Myrepsicus Antid. 222. Diagalangá describit, cum Mesuei cõfectione propemodũ cõsentientẽ, nisi quòd cardamomũ omittit. carnabadiũ pro caro, ut aliàs sępe: & succũ mẽthę, pro mentha sicca ponit, paulumq; pondera uariat. Aliam etiam ponit Antid. 63. quæ ad singultum stomachi & hydropicos ualet. Ea quia moschũ recipit, nõ adeò probatur. Vnde suppositicia mihi uidetur longa illa & operosa confectio, quę in Nic. uulgatis codicibus Nicolao adscribitur. Et altera, quæ apud Plateariũ sub nomine Nic. diatragacanthum & succum glycyrrhizæ cum moscho recipit.

## *Diambar Mes.*

℞ Cinnamomi,
Doronici,
Caryophyllorum,
Maceros,
Nucis moschatæ,
Folij,
Galangæ, ana drach. tres.
Spicæ nardi,
Cardamomi, utriusque ana drach. unam.
Zingiberis drach. unam & dimidiam.
Santali citrini,
Ligni aloes,
Piperis longi, ana drach. duas.
Ambræ aur. unum.
Moschi drach. dimidiam.

Sacchari quod ſatis eſt.

Siccũ apud nos ſeruatur. Poteſt tamẽ cum ſaccharo in aqua roſarũ ſtillaticia ſoluto fieri cõfectio ſolida, quæ ad omnem corporis imbecillitatem & noxam à frigido eſt efficaciſsima. Viſcera omnia calfacit, roborat, frigido ſopita recreat & reficit. Coctionis officinam iuuat, & uentriculum cibos faſtidientẽ, ad opus & auiditatem naturalem reuocat. frigidis naturis magno cum ſucceſſu præbetur, ut ſenibus & mulieribus: intermortuum calidum natiuum, ut quodammodo excitetur & uiuiſcat, efficit: dulces uitalis auræ ſpiritus gignit, & puros reddit. Intemperiem uteri frigidam & humidã emendat. Hanc cõfectionem ualde probauit Manardus. Nic. Myrepſicus diambar deſcribit ad ſtomachicos, lienoſos, cardiacos, cachecticos, & malo corporis habitu prȩditos: ſed medicamẽtoſum minus, & ponderibus diuerſum: quod tamen, quia cum Actuario ferè conſentit, eligẽdum puto: aut eo quod Actuarius deſcribit, utendum. Quod capit ambaris, agalochi, ſing. ſcript. duo. folij, moſchi, caryophyllorum, nucis moſchatæ, maceros, galangæ, cinnamomi, ſing. drach. zulapij roſarum quod ſatis eſt. Apud Actuarium tamen ſtimmi pro folij perperam, ni fallor, legit. Nicolaus ambaris & moſchi ſcript. duo ponit, agallochi pondus cæteris par: quod mihi magis arridet. Actuarius exhibet mane & ueſperi ex uino.

## *Elect. de gemmis Mes. aut dia-margariton cal.*

℞ Albarum margaritarum drach. duas,
Fragmentorum ſaphyri,
Hyacinthi,
Sardinis,
Granatorum,
Smaragdi, ana drach. unam & dimidiam.
Zedoariæ,
Doronici,
Macis,
Corticis citri,
Sem. ozimi caryophyllati, ana drach. duas.
Corallij rubri,
Succini,
Limaturæ eboris, ana ſcript. duo.
Been albi & rubri,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Piperis longi,
Spicæ,
Folij,
Croci,
Cardamomi minoris, ana drach. unam.
Trochiſcorum diarhodon,
Ligni aloes, ana drach. quinque.
Cinnamomi,
Galangæ,
Zurumbet, ana drach. unam & dimidiam.

Foliorum auri & argenti, ana aureũ dimidiũ.
Moschi boni drach. dimidiam.
Ambræ drach. duas.

Hęc confectio nobis & Lutetię ſicca, & puluere ſeruatur, crebroque in uſum uenit. Vtimur in cordis, cerebri, uentriculi, & uteri affectibus frigidis, & ſyncope cardiaca. Maniacis & melancholicis confert, uentriculum mulierũ præcipuè iuuat. Vniuerſi corporis refrigerationem emendat, imbecillitatem reficit, lipothymias & præfocationes uteri ſanat. Nobis diamargaritũ à margaritis, quas apud Meſueum recipit, dicitur: quamuis alij taceant. Sunt qui Nicolai diamargarito calido potius utuntur. Sed ſi quis eo uti uelit, totã deſcriptionem ſumat neceſſe eſt ex Nic. Myrepſic. Antid. 37. Ea enim quę in Nic. uulgatis codicibus deſcribitur, magna ex parte diminuta eſt. Sunt qui ex Auic. Diamargariton calidum deſcribant: utitur tamen eo nemo. In tanta uerò confectionum uarietate, ea quæ ab Actuario deſcribitur, mihi magis arridet. Recipit cinnamomi, caryophylli, ſpicæ, galangæ, glycyrrhizę, ligni aloes, paſtilli è roſis, paſtilli è uiolis, ſing. drach. myrobalani, maceris, zaduaris, rhei, ſtyracis, ſing. ſiciliquum: unionum, zingiberis, oſsis è corde cerui, raſuræ eboris, blattæ byzantiæ, ſing. drach. moſchi, ſcript. unum & dimidium. ambaris, caphuræ, utriuſq; gr. ſex. Suſpirioſis, tuſsiculoſis, tabidis, & longo morbo deiectis ac languidis adhibet, & ad uires deie-

ctas;

ctas: pręterea ad ea omnia quæ prius enumerauimus. Melle excipit, nos saccharo condiemus. Cæterùm omnes descriptiones Nic. Actuarij & Auic. Diamargariton calidum referunt, eique uirès miras attribuunt. Si eo uti uelimus, non est quòd margaritarum fragmēta, & ueluti purgamenta recipiamus: sed ueræ & genuinæ assumendę sunt, quáuis margaritę in medicamenta antiquis uix uenerint. Si quis confectionem solidam parare uolet, saccharo aqua buglossi (ex infuso myrobalani emblicæ) soluto in formam siccam percoquet, & offas quadrangulas parabit. Quod sequitur, usu est frequentissimum.

## *Diamargariton frigidum Nic.*

℞ Santalorum omnium,
Florum uiolarum,
Seminis melonum excorticati,
Trochiscorum diarhodon, ana drach. duas.
Serici crudi,
Ossis è corde cerui,
Spodij,
Doronici Romani,
Been albi & rubri,
Spicæ nardi,
Croci, ana script. duo.
Margaritarum integrarum & perforatarum,
Rasuræ eboris,
Saphyrorum,
Hyacinthorum,

Smaragdorum,
Iaſpidum uiridium,
Ligni aloes,
Seminis endiuiæ,
Seminis acetoſæ,
Ambræ cinericiæ, ana drach. dimidiam.
Auri optimi drach. unam.
Caphuræ ſcript. unum.
Moſchi gr. duo.
Sacchari quod ſatis ſit.

Hoc electuarium apud nos eſt frequentiſsimum. Sunt qui aliud Nic. deſcribant, & eo utantur. Iſtud ab omnibus maximè probatur, & ualde confert in magnis febrium inflammationibus. Iecinoroſis prodeſt, & appetẽtiæ deiectione, ſyncope, cordis uibratu & palpitatione uiribus imbecillis ſuccurrit, tuſsiculoſis atq; aſthmaticis. In magna uiriũ proſtratione huius puluere utimur in cibatu & ſorbitionibus. Mirum eſt, in utriuſq; Diamargariti deſcriptione Phamacopœos tam uariè Medicos ludificare, ut parum ſit, quòd plerunque quo præſcripto utendum ſit neſciant, niſi fraus hominũ cuncta pernicie corrumperet. Duæ ſunt huius apud uulgatos Nic. codices deſcriptiones, quæ tamen nuſquam apparent apud Nic. Myrepſicum. In quo etiam animaduertẽdum eſt, ueterum omnium conſenſum & aũtoritatem Diamargariti decãtatas uirtutes ad calidum referre, ut nemo ſit apud quem frigidi mentio fiat. Niſi quòd qui-

dam

dam uolunt, ſublatis aromaticis ex Meſuei deſcriptione frigidum parari, quo longioribus ambagibus irretita diſtineant hominum ingenia. Eſt & apud Valētinianos & Hiſpanię medicos, aliud diamargariton frigidum, uſu celebratiſsimum, quod capit ſaphyrorum, hyacinthorum, ſmaragdorũ, ſuccini, coralli albi, rubri, margaritarũ, ſpodij, ſing. drach. duas. raſuræ eboris, cornu cerui uſti, ſerici crudi, corticum citri, ſeminis papaueris albi, ſing. drach. quatuor. ſeminis acetoſæ, ſeminis portulacæ, gummi arabici, tragacanthi, roſarum, doronici, tormentillæ, glycyrrhizæ, ligni aloes, amyli, ſantalorum omnium, coriandri præparati, ſing. drach. ſex. caphuræ ſcript. quatuor. moſchi ſcript. unũ. ambræ ſcript. duo. auri, argenti, ſing. ſcript. unum. oſsis è corde cerui, drach. unam. Saccharo excipiunt, & in rotulas efformant. Quod quia ad prædicta non inefficax nobis uidetur, adſcribēdum duximus, ex Amati Luſitani Centuria prima, Curat. 21.

*Diamarg. frig. Hiſpanis celebratum.*

## *Diamoſchu dulce Meſ.*

℞ Croci,
Doronici,
Zedoariæ,
Maceros, ana drach. duas.
Margaritarum albarum,
Setæ crudæ toſtæ,
Succini,
Coralli rubri,

Galliæ

Galliæ moſchatæ,
Ozimi citrati, ana drach. duas & dimidiam.
Been albi & rubri,
Folij,
Spicæ nardi,
Caryophyllorum, ana drach. unam.
Zingiberis,
Cubebæ,
Piperis longi, ana drach. unam & dimidiam.
Moſchi ſcript. duo.
Sacchari quod ſatis eſt.

Hoc electuarium ſiccum, & puluere, nobis eſt frequens, ad cerebri affectus frigidos, uertiginem, comitiales, melancholicos, cordis palpitationem, tumultuoſa inſomnia, paralyſin, conuulſionem, pulmonis affectus, & ſpirandi difficultatem. Sopitum calorem natiuum recreat, malum corporis habitum emendat, lienoſis, iecinoroſis & ſtomachicis ſuccurrit. Actuarij deſcriptio recipit ſampſuchi, corymborum thymi, aloes, iunci odorati, xylobalſami, ſagapeni, aſari, cariophyllorum, caſiæ ligneæ, coſti, rhei, zingiberis, pulegij, cinnamomi, libyſtici, ſeminis apij, petroſelini, dauci, moſchi, ſing. partes æquales. Quæ ſaccharo condire poſſumus. Nic. Myrepſicus Diamoſchi quatuor habet deſcriptiones, quarum tertia magis cum Actuario conuenit. Secunda uerò ſimpliciſsima eſt: facilior tamen, nec uiribus minor. Primam autem dyſentericis exhibet, quæ longè abeſt à noſtro inſti-

*Diamoſchu Act.*

tuto,

tuto, ut & quarta, quæ minima in re cæteris cōpositionibus affinis est. Diamoſchum amarum, ob ſaporis iniucunditatem uix in uſum aſſumimus. Si quis tamen eo uti uelit, ad uentriculi putrilaginē, & innatantes humores, addet pręſcriptæ confectioni abſinthij, roſarum, ſing. drach. tres. aloes lotæ drach. quatuor. caſtorij, liguſtici, ſing. drach. unam. cinnamomi ſeſquidrachmam. Iſtud autem ſolus ſibi uendicat Meſueus. Aliud etiā Diamoſchū deſcribit Actuarius, ſed iſto operoſius. Sex de moſcho confectiones habet Auic. lib. 5. quarum prima huic maximè quadrat: tertia diamoſchum amarum magis complectitur. Meminit & confectionis eiuſdem nominis Raſius lib. 9. ad Almanſ. in cordis tremore, & Serapio Tract. 7.

*Diamoſchum amarum.*

## *Læticiæ Gal. aut Antid. exhilarans ex Nic.*

℞ Florum ozimi caryophyllati, aut ſeminis, ut alij,
Croci,
Zedoarię,
Xylobalſami,
Caryophyllorum,
Corticum citrei mali,
Galangæ,
Maceros,
Nucis Moſchatæ,
Styracis calamitæ, ana drach. quinque.
Caphuræ,

Ambræ,

Ambræ,
Moſchi, ana drach. unam.
Aniſi,
Thymi,
Epithymi,
Raſuræ eboris, ana drach. duas.
Margaritarum,
Oſsis è corde cerui, ana drach. unam.
Auri,
Argenti puri, ana ſcript. unum.
Sacchari quod ſufficit.

Dicitur Electuarium lætificans. Paratur cõfectio ſolida, ſi puluerum unciam quálibet ſacchari libra excipias, idoneo humore diſſoluti. Si uerò electuariũ molle & liquidum pares, addes ſucci pomorũ odoriferorum dulciũ, ſucci cydoniorum, ſucci florum bóraginis, ſing. partes æquales, quantum deſpumando & decoquendo ſaccharo ſatis fuerit: cui percocto & refrigerato pulueres miſcendi ſunt. Vtimur uerò ad cordis affectus & palpitationem, uentriculi & hepatis intemperiem. Coctionem enim iuuat, & corporis malum habitũ propellit, coloris bonitatem & gratiam reddit: oris odorem commendat, & uires debiles reficit. Sunt qui huius loco utuntur lętificante Raſij, quod erat Salernitanis uſu frequens, & deſcribitur lib. 9. ad Almanſ. in Melancholia. Sunt etiã qui deſcripto ex lib. 5. Continentis, cuius deſcriptionẽ ponit Meſueus. Habet & aliud lętificans in ſuo opere medico Meſ.

Hæc

Hęc uerò confectio sub nomine Gal. adulterata est, ut cuiuis patet; cuius tamen nullam mentionem facit Myrepsicus. Hác siccã, & puluere, magis usui reseruamus. Aliam præpositi, quam ex Alexãdrino sibi uẽdicat, sunt qui parari malint.

## *Diarhodon Abbatis Nic.*

℞ Santali albi & rubri, ana drach. duas & dimidiam.
Tragacanthæ,
Gummi Arabici,
Spodij, ana script. duo.
Asari,
Masticћes,
Spicæ nardi,
Cardamomi,
Croci,
Ligni aloes,
Caryophillorum,
Galliæ moschatæ,
Anisi,
Fœniculi,
Cinnamomi,
Succi glycyrrhizæ,
Rhabarbari
Seminis ozimi,
Berberis,
Seminis intybi,
Portulacæ
Seminum melonis,

Cucurbitæ,

Cucurbitæ,
Cucumeris,
Citruli, ana ſcript. unum.
Margaritarum,
Oſsis è corde cerui, ana ſcript. dimidium.
Roſarum,
Sacchari cādefacti, ana unc. unā, drach. tres.
Coralli,
Cryſtalli,
Seminis lactucæ,
Papaueris albi,
Mandragoræ, ana ſcript. unum.
Caphuræ gr. ſeptem.
Moſchi gr. tria & dimidium.

Zulapij roſacei, ſtillatitij liquoris, roſarū & ſacchari quod ſit ſatis. Confectionē iſtam nobis uſitatiſsimam, ſed ualde diminutam & mancam in noſtris omniū manibus, ſic ex Nic. Myrepſi codicibus reſtituimus. Ea uerò utimur ad calidam corporis intemperiem: præcipuè uerò uiſcerū, ut iecoris, cordis, lienis & ſtomachi. Cardiacis & cœliacis confert. Partes nutritorias ex prægreſſo morbo calido concalfactas & debilitatas, mirum in modum recreat. Quare plurimū tertianis nothis ſuccurrit, dum bilis putreſcentis reliquias uentriculum ſua ſuffuſione pungentes uacuat, & hepar ipſum calidius temperat, obſtructa liberat, totumq; inferiorem uentrem roborat, hepaticis, phthiſicis & ictericis confert. Coctionem iuuat, cuius maximè ratio

ineunda est in releuatis à tertianis. Ventriculus enim bilis illa impura mixtura suffusus, pigras quodammodo habet suas actiones: unde nec cibatus, nec humidi sentit auiditatem. Huius igitur intemperiem propemodum emendat, & uires reficit. Adhæc hepatis uires bilis, ueluti ex feruore, concretione & incrassatione mancipatæ, uiam deducendis urinis per obseratos illos meatus uix faciunt: nisi huius confectionis beneficio calidam intemperiem, frigida quędam cõmoderatio propellat, & corroborati renes liberatis obstructione meatibus per diuretica deductũ serosum humorẽ, ui sua attractrice exoluant. Non minoris est momẽti in febribus exæstuantibus. Paratur ex syrupo, uel zulapio rosato, qui fit ex saccharo in aqua infusionis rosarum, & ex rosis stillaticia clarificato, deinde percocto ad aquarum consumptionem. Sacchari enim libra una dissoluitur libra dimidia aquę rosaceæ stillaticiæ, cui additur decocti rosarum rubrarum siccarum, uel succi rosarum recentium libra dimidia. Vbi uerò refrigerando iam multũ concreuit, pulueres prędicti miscẽtur. Alij aquę rosarum stillaticiæ rosas siccas aut recentes immittunt, manibus exprimunt, atque id sæpius repetunt, & in syrupum percoquunt. Nobis hæc cõfectio puluere & rotulis seruatur. Caphuram, moschum, & galliam periti Pharmacopœi, non sine medici præcepto adhibent. Caphuræ loco alij nymphææ flores duplicatos substituũt. Qui-

dam ſemina frigida omittunt, & auferunt ne medicamentum diuturnitate ranceſcat, quod artis ueteratoriæ caput eſt: præſtaret enim puluerem aſſeruatum in uſum, & promptè parata ſemina adducere. Porrò quòd hæc Antid. Nic. Rheum barbarum capiat, uiri doctiſsimi Rha ponticum intelligendũ uolũt. Paſsim enim illud pro Rheo barbarico intelligit Nicolaus, quod hepaticos mirificè iuuat, & ad febrium circuitus, omnesq́; phlegmonas internas, Dioſc. teſte, ualdę eſt utile. Cuius penuria, centaurij magni radice utendum eſſe præcipiunt. Nos uerò Rha-barbarum noſtrum non recuſamus, præcipuè in febrium tertianarum releuationibus: quod etiam ſæpe augere ſoleo, non ſecus ac in ea quę ſequitur cõfectione. Meſuei Diarhodon, Fulginati & Thomæ de Garbo uſitatiſsimum, non multùm recedit ab huius temperie, niſi quòd ad calidius paulum declinat. Si quis eo uti uelit in tertianis nothis, id poterit proſpero ſucceſſu facere. Nobis ex Nic. quinque deſcriptionibus hæc in uſum ceſsit. Paramus etiam aliud diarhodon, ad calidos morbos efficacius, remotis aromatibus: & *Diarhodon ſine ſpeciebus.* Diarhodon ſine ſpeciebus uulgò dicitur, quo præcipuè utimur in magno totius corporis & uiſcerũ feruore, exquiſitarũ tertianarũ interſtitijs ad ardorẽ uẽtriculi reſtinguẽdum, & magnũ ex uaporum calidiorum ſubmiſsione capitis dolorem. Tũc enim mirè recreat, cùm bilis in os & uentriculum ſuffuſionem quodammodo diluit.

Diatrion

## *Diatrion ſantalon Nic.*

℞ Satali albi,
Santali rubri,
Santali citrini,
Roſarum,
Pſyllij, ana drach. tres.
Rhei barbari,
Spodij,
Succi glycyrrhizæ,
Seminis portulacæ, ana drach. duas, ſcript. dimidium, gr. quinque.
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Seminis melonis,
Citreoli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Intybi, ana ſeſquidrachmam.
Caphuræ ſcript. unum.
Violarum unc. dimidiam.
Roſarum ad pondus omnium.
Sacchari quod ſatis ſit.

Hoc enim modo confectionem uſitatiſsimam adhuc, quodammodo deprauatam reſtituimus. Quidam nanque loco pſyllij ſaccharum ponunt. Alij ne intybi quidem meminerunt. Et omnium codicum cõſenſus eſt, ut uiolas & roſas explodãt; & eo modo ſemper pararũt Phar-

macopœi omnes. Nos uerò hanc integram confectionem ex Nic. Pharmacopolio nostro postliminij iure asserimus. Ea sæpe utimur in feb. biliosarum ardoribus, & uiscerum feruoribus. Hepaticis, cardiacis, ictericis, phthisicis succurrit, & intemperiem omnem calidam emendat. Præcipuè uerò usui est in febrium declinationibus, quodammodo iam uacuata materia, excalfacti fornacis fuliginem restinguens. Tunc enim corpus uelut succensum sua moderatione contemperat, & bilis ebulliẽtis reliquias sua ui refrenat & propellit. Sunt qui in hunc usum, Rheum barbarum duplo pondere augeãt, aut etiam triplo: & tũc triasantalon duplicato, aut triplicato rhabarbaro uocant: quo maximè utuntur in tertianis nothis, & euictu difficilibus, quęq; quotidie aliquid moliũtur noui, quales ferè sunt malignæ febres. Nolim autem à bene instructo Pharmacopœo imponi, in quo quis suam fidem aut diligentiam requirere posſit. Poteſt enim Medicus pro re nata Rheum barbarum augere, aut minuere. Quæ medicamentorum conficiendorum ratio in cæteris quoq; haberi debet, ne quid autoritatem Medici inscij & incogitantis conuellat aut minuat. Paramus uerò hanc confectionẽ saccharo in aqua cõmuni aut rosacea soluto, nõ syrupo, ut uoluit Nicolaus. Atque ut magis eius uires sollicitemus, uiolas & rosas cõmiscendas esse contendo: quod adhuc ab omnibus est prætermissum. Santala omnia esse frigida, uetus est

*Diatrionsatalon duplicato aut triplicato rheo.*

&

& longo uſu confirmata opinio, omniumq́; perpetua conſenſione corroborata. In quo tamen animi pendet doctiſs. Manardus, cùm hoc Electuario exhibito, plures auctariò concalfactos fuiſſe contendat.

## *Diatragacanthum frig. Nic.*

℞ Tragacanthi candidi unc. duas.
Gummi Arabici unc. unam, drach. duas.
Amyli ſemunciam.
Glycyrrhizæ,
Seminis melonis,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Citruli, ana drach. duas.
Seminis urticæ,
Papaueris albi, ana drach. tres.
Penidiorum unc. tres.
Caphuræ ſcript. dimidium.
Sacchari quod ſatis eſt.

Hanc etiam cõfectionem perpetuis quibuſdam uindicijs libertati aſſerimus ex Nic. Alexãdrino. adhuc enim ſemper in noſtris Pharmacopolijs diminuta extitit. In uſum autem uenit ad omnem pectoris & pulmonum à calido & ſicco noxiam, thoracis grauitatem alleuat, tuſsiculoſis ab intemperie calida prodeſt, pleuriticis, peripneumonicis, tabidis & macie cõfectis, linguæ & faucium aſperitati ſuccurrit. Confert etiam ſiti immodicæ à pulmonum calore ortæ,

in ore retenta, & ſenſim ſoluta. Hæc confectio per diatragacanthum ſolum expreſſum intelligitur. Hodie ſaccharo aqua communi, aut roſacea diſſoluto paratur, non aliter quàm Nic. ętate. Neq; enim ſyrupi, aut zulapij meminit, quod fortè ex Actuario ſumptum eſt. Tragacanthum per ſe terendum & pendendum. Si enim cæteris mixtum teratur, inæqualitatem mixturæ faciet: cæteris in tenuiſsimum pollinem uerſis, prius quàm tragacãthum uel moderatè tritum ſit. Sunt qui ſaccharum dum modicè refrixit, à lumine ouorum, aut limonum ſucco clarificãt, ut albior & gratior ſit confectio: ſed dum palato inſeruiunt, uires medicamenti exoluunt. Noſtrum diatragacanthum ſubcinericio eſt colore: ſed tamen efficacius, quàm quod ab Italis in paſtillos albiſsimos formatur, qui propter candorem ægrotis gratiores eſſe poſſunt. Recipiũt autem tragacanthi unc. duas. gummi Arabici unc. unam, drach. duas. amyli drach. quatuor. glycyrrhizæ mundæ drach. duas. quibus optimè tritis, lib. quatuor ſacchari albiſsimi clarificati addunt. Hæc Nic. deſcriptio prima eſt ex tribus diatragacanthes Antidotis, à qua non multùm recedit Actuarij deſcriptio. Sunt qui ut efficacius parent, ad ſacchari pondo, pulverum unc. tres addant. Porrò hic ex Nic. ſententia urticæ ſemen, & papauer album addidimus. Vrticæ enim Romanæ ſemen tenuantis cuiuſdã ſine calore facultatis eſt: quo nomine uiſcidos

*Diatragacanthũ Ital.*

dos

ctos & craſſos è pulmonibus humores educit, ut ſcribit Gal. lib. 6. De ſimpl. facult. Dioſcorides etiam urticæ ſemen cum melle linctum orthopnœas, pleuritidas, & peripneumoniá iuuare ſcribit: atq; ea quæ in thorace ſunt, educere cum ptiſana decoctũ. Plinius uerò orthopnoicis cum melle prodeſſe, & thoracẽ purgare eodem ecligmate. Ex Phania etiam Phyſico utiliſsimam radicem cibis coctá, conditamúe profitetur arteriæ & tuſsi. Quare nolumus id amplius in noſtra cõfectione requiri. Sunt qui etiam diatragacanthum in uocis aſperitate, uentriculo frigido exhibeát: ſed eam intemperiem uino ex decocto maſtiches, aut alio quopiam generoſo corrigunt. Diatragacanthum uerò calidum hic omittimus, quod etſi frigidis affectibus, ut aſthmaticis & ſuſpirioſis prodeſſe dicatur: in uſu tamen eſſe non temerè deſijt, cùm ad eos effectus plurima habeamus ecligmata. Adde quòd in his thoracis à frigido coarctationibus, non ſatis cõueniat tragacanthum, cum lentam illam, tenacem & frigidá pituitam adſtringat, & quodammodo coagulet, quæ potius ad expulſionem incidentibus, tenuantibus, maturantibus & detergẽtibus prouocari debet. Quo nomine ſuſpectum nobis eſt Alexandrini diatragacanthum calidum, quod tragacanthi libræ ſemiſſem recipit: ac eo adhuc magis, quod apud Muſam tragacanthes pondo capit. Nicolai deſcriptio defecta uidetur ab Alexandrini confe- Cap. 13. l. 22.

 ctione.

ctione. Quibuſdam paratur diatragacanthum Gilberti, quod deſcripſit cap. De ſtrictura thoracis. Sed malumus uſu trita medicamenta confirmare, quàm in antiquatis reſtituendis malè nauatæ operæ gloriam inſumere.

## *Diaireos Salomonis.*

℞ Ireos unc. unam.
Pulegij,
Hyſſopi,
Glycyrrhizæ, ana drach. ſex.
Tragacanthi,
Amyli,
Amygdalarum,
Nucum pinearum
Cinnamomi,
Zingiberis,
Piperis, ana drach. tres.
Caricarum,
Paſſularum enucleatarum,
Carnium palmularum, ana drach. tres & dimidiam.
Styracis calamitæ rubræ drach. duas, ſcript. unum.
Sacchari albiſsimi quod ſatis ſit.

Amylum hic ex Nic. Alexandrino repoſuimus. Hoc enim neſcio quo fato ſemper in noſtris confectionibus deſideratum eſt, cùm ad fauces exaſperatas, & columellam fluxione tentatam ualere ſcribat Dioſcorides. Frequens uſu

est hæc confectio dyspnœis & arteriacis, tussiculosis, & in uocis iactura, quæ frigore contracta sit. Atque eo frequẽtius in usum uenit, quòd frigida capitis intemperie, & distillatione in fauces frigida sæpius laboramus, quo casu temerè electuario diatragacãtho utuntur quidam. Nic. Alexandrinus melle & saccharo condiebat: nos saccharo aqua rosacea soluto excipimus, & diaireos Salomonis mutuata à Præposito appellatione uócamus. Alexander item ad columellam pertusam indicit, & uesperi exhibet cum decocto caricarum, seminis maluæ, hyssopi, carnium palmularum, & uino calido. Describitur & aliud ex Iride ab Alex. Ant. 394. quod ab hoc põderibus tantûm uariat. Vtimur & alia confectione diaireos simplici in omni faucium distillatione, idque initio nondum inualescente impetu, quæ ex Præposito desumpta est. Recipit autem radicis iridis unciæ semissem: sacchari candefacti, pulueris diatragacanthi frigidi, sing. drach. duas. Hæc autem comprehenduntur saccharo in aqua rosarũ soluto. Cui, dum paulisper refrixit, si albumen oui aut succum limonũ diu permisceas, euadet electuarium longè albissimum & gratissimum. Sunt quibus ex sola iridis radice cum saccharo istud electuarium paratur. Quia uerò attigimus confectiones solidas, quæ suspiriosis & thoracis affectibus debentur: operęprecium uidetur, ut Manum Christi expediã. Fit autem manus Christi simplex, ex sacchari

*Diaireos simplex.*

*Manus Christi.*

clarificati, aquæ rosaceæ libræ semisse dissoluti pondo, dum ad perfectam consistentiam exeat: quod postea in lapide marmoreo amylo illito, in longas & digitales taleolas formatur. Consulerem profectò manum Christi fieri ex succo rosarum recenti. Sic enim gratiorẽ & efficaciorem longè cofectionem habueris. Nec temerè feceris, si eodem modo manum Christi uiolatam, buglossatam, boraginatam & saluiatam paraueris, dum succos florum aquarum ponderi exæquaueris. Vtimur manu Christi rosata & uiolata in tenuibus destillationibus initiò, & in quibus sputum statim prouocamus. Nec uideo cur quis leuem illam adstrictionẽ damnet, cùm præsertim in sputo tenui, & animæ uias eludente, sua aggestione & coactu ueluti rotundet & propellat. Quo casu sæpe tragacantho & Rheo pauco, syrupo de glycyrrhiza modicè adstringente utimur, Gal. imitati lib. Meth. 12. qui fluxionum initijs modicè adstringentia adhibet, ut partes ob laxitatem fluxioni recipiendæ opportunę, adstrictione roboratæ, fluxionem à se repellant, & ueterem materiam educant. In his tamen ea cautio adhibenda est, ut adstringentium uires detergentia & aperientia superent, ut postea scribemus. Porrò est etiam apud nos manus Christi Perlata, dum saccharo probè liquato & percocto, margaritarũ puluis additur tenuissimus. Sacchari uerò uncia una pulucrum drach. unam capiat necesse est. Viribus

*Manus Christi perlata.*

deiectis

deiectis medetur, febribus ardẽtibus & delirijs, falſas etiam imaginationes abolet. Manũ Chriſti ex fragmentis adulteratam, non uideo cur noſtrum Pharmacopolium requirat, niſi ſi quis Apinas & Tricas in ſanitatis impendio ſerijs & nobilibus medicamentis æſtimat.

## *Diapenidion Nic.*

℞ Penidiorum drach. ſex & dimidiam.
Nucum pinearum,
Amygdalarum,
Seminis papaueris albi, ana drach. duas, ſcript. unum.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ,
Zingiberis,
Gummi Arabici,
Amyli,
Seminum melonis,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Citruli, ana drach. unam.
Caphuræ ſcript. unum.

Syrupi uiolacei quod ſatis eſt. Sic paratur: Libræ uni aquæ affunde uiolarum drach. tres. & ad tertias decoctæ, & per ſaccum tranſmiſſæ, infundes ſacchari libram unam, aut quantum ſatis erit: & rurſus ad mellis craſsitudinem decoques.

coques. Posthac species omnes suprà commemoratas probè tritas impone, & cum ipsis penidiorum drach. sex & semissem: & bene subactis omnibus, conijce in mortarium, & contunde quoad solidescant: dein à mortario aufer, & impone uasculo.

Sic apud Nic. Alexandrinũ describitur diapenidion, à quo nõ multũ aberrat Prępositi descriptio. Ex hac enim sumpta uidetur, nisi quòd põdere differt: præcipueq; in penidiorum drachmis sedecim & dimidia, pro drachmis sex & dimidia, menda subesse uidetur, facili lapsu, aut alioqui facili unciarum duarum nomenclatura. Malui ergo ad originem recurrere. Hæc uerò confectio etsi nobis in usum non uenit: non tamen, eo quod promittit nomine, defraudanda est. Tusiculosis, pleuriticis, peripneumonicis confert: omnẽ thoracis noxam, faucium aspredinem, uocis raucedinem, & iacturam ex frigido & sicco contractam emendat, tabidis succurrit, crassos humores attenuat, & expulsioni aditum facit. Actuarius pus excreantibus exhibet mane & uesperi cum ptisana. Cuius descriptio propter caphuræ copiam meritò mihi suspecta uidetur: ut ne addam, in quibusdam codicibus lacunam suspectiorem locũ reddere. Quidam ex Alexandrino duas istius cõfectionis descriptiones conuehunt: unam magnam, alteram paruam appellantes: quarum in codicibus nostris ne mentio quidem, ut ponderum uarietatem

tem omittam. Huius loco adhuc penidijs usi sumus: quarum confectio ex Bulchasi à Pharmacopœis petita, nostram non requirit operã. Hoc igitur diapenidio deinceps Pharmacopœũ nostrum instructum esse uolumus, cùm non temerè usui esse posit. Neque tamen illud Præpositi improbo, quòd in quo superat, id præcipuè sine cuiusquá exitio fiat: aut quòd nullibi magnum sit discrimen, ut cuiuis sit euidens unum ab altero expressum.

## *Diacurcuma Mes.*

℞ Croci,
Asari,
Petroselini,
Dauci,
Anisi,
Apij, ana semunciam.
Rha barbari,
Mei,
Spicæ nardi, ana drach. sex.
Costi,
Myrrhæ,
Casiæ,
Schœmanthos,
Carpobalsami,
Rubiæ,
Succi absinthij,
Succi eupatorij,
Olei balsami, ana drach. duas.

Calami

Calami aromatici,
Cinnamomi, ana ſeſquidrachmam.
Scordij,
Scolopendrij,
Succi glycyrrhizę, ana drachmas duas & dimidiam.
Tragacanthi drach. unam.
Sacchari quod ſatis eſt.

Hæc confectio uulgò diacucurma, nobis diacurcuma dicitur: ac ne conſtante quidem & certa ratione. Curcuma enim Serapioni & Arabibus chelidonium ſignificare quidam contendũt, quod ne huic quidem Antidoto famam & denominationem ſuppeditabit: cuius ne tantilla quidem fiat mentio, niſi coloris flaui, quam præ ſe fert uel modico momento, rationem habuerimus. Alij curcuma Meſueo crocum ſignificare uolunt, & huic confectioni διὰ κρόκου nomen imponunt. Quidam curcuma Arabibus erythrodanum & rubiam eſſe ſcribunt: & hoc Electuarium δι᾽ ἐρυθροδάνου uocãt. Sunt qui cyperi Indici radicem, quæ in zingibere quandoque inuenitur, eſſe contendant, quæ croci uim & colorem obtinet. At uerò in peregrina & uacillante nomenclatura, certa quædam ratio colligẽda eſt. Vtimur hac confectione puluere magis quàm Electuario, ad uiſcerum internorum, uentriculi, hepatis, lienis morbos frigidos & diuturnos, cachexiam & hydropem, colorem corporis fœdum, & totum corporis habitum frigidum,

frigidum, obstructiones internas. Stomachi frigidam intemperiem sanat, & humidam: flatus crassos dissipat, eiusdemque corruptelæ medetur. Renum uicia ab obstructione crassorum & frigidorum humorum emendat, uesicæ medetur à causa frigida, urinamque prouocat. Nic. Alexandrinus huius confectionis quatuor descriptiones affert: quarum prima & ultima hâc Mesuei exprimunt. ut facilè quis conijcere possit, ueram esse apud Mesueum originem. Quod enim una in descriptione apud Nicolaum defuit, id altera resarcit, prĉterquàm quòd Meum in utraque omittit. Etsi uerò ægrè Manardo conficitur: insignium tamen medicamentorum penuriam succedaneorum uicaria opera, quantum in nobis est compensamus. Attamen ne in his quidem uolumus tam securam nostram esse fidem & diligentiam, ut succenturiata uerorum medicamentorum cognitio non magnum com pendium afferat. Ac ne nos quidem optimè nauatæ operæ in Scordio, Meo, Scolopendrio, & Eupatorio uero pœnitet.

## *Dialacca maior Mes.*

℞ Laccæ lotæ,
Rha barbari, ana drach. duas.
Spicæ nardi,
Mastiches,
Costi,
Myrrhæ,

Croci,

Croci,
Cinnamomi,
Bdellij,
Seminum apij,
Anisi,
Ameos,
Fœniculi,
Succi absinthij,
Succi eupatorij,
Sabinæ,
Asari,
Aristolochiæ,
Gentianæ,
Hyssopi siccæ,
Amygdalarum amararum,
Rubiæ,
Casiæ ligneæ ueræ, ana sesquidrachmam.
Piperis nigri,
Zingiberis, ana drach. unam.

Myrrham & bdellium uino infunde, cætera tere, & melle despumato, aut saccharo optimo excipe.

Hoc illud est dialacca maius, quod Mesueo iecinorosis, & ad uentriculi frigus adhibetur. Hepatis obstructiones, inflationes, intẽperiem frigidam, & duritias, essentiæ suæ tenuitate emendat, aquæ inter cutẽ rudimenta delet, menses ciet, scirrhum dissoluit, malum corporis habitum propellit, urinas promouet, renumq; ac uesicæ duritias & calculos disipat. Nobis pul-

uere

uere seruatur, atq; adeò raro in usum uenit: tutius tamen quàm diacurcuma, ut inquit Manardus. Nil autem mirum uideri debet, si frigidę intemperiei, & subnascentibus frigidis morbis adhibeatur, cùm lacca primo ordine calfaciat, siccet uerò secundo. At uerò ut essentiæ tenuitate assumpta, ualentius aperiat: cum decocto schœnanthus & aristolochię lauant, colatumq; in mellis consistentiá decoquunt: huiusmodiq; ablutionem laccæ præparationem uocant. Esse uerò laccam gummi quidam censent arboris Arabicæ: coloris quidem subrubelli & lucentis, quo infectores utuntur ad colorem baphicum kermesinum. Alij ne gummi quidem esse censent: sed formicarum Indicarum stercus esse cōtendunt. Atq; id illis persuasionem induit, quòd tenuia bacillorum ramēta comprehendat. Quidam laccam non esse Cancamum disputant: de quo statuere non est nostri instituti, cùm ne assensioni suæ testes quidem desint. Alexandrini dialacca pondere & simplicibus ab hoc multum uariat: non secus ac illud quod à Nic. Præposito apud Platearium describitur. Est & aliud dialacca minus Mesuei, quo non utimur: hoc tamē paratu facilius. Actuarius duplex διὰ λαχχῶν fecit, quod nō multum ab his recedit. Quidam cimas iuncis odorati addunt, & flores: quorum penuria stipitibus qui ad nos deferuntur, uti cogimur. Ad eadem facit dialacca, ad quæ diacurcuma: sed hoc illo usitatius est, etsi non æquè tutum.

*Laccæ præparatio.*

f Rarus

Rarus est eorum in tabellas usus, sed sæpius in pulueres uenit.

*Pleres Archonticon Nic.*

℞ Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Ligni aloes,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Nucis moschatæ,
Zingiberis,
Spodij,
Schœmanthos,
Cyperi,
Rosarum,
Violarum, ana drach. unam, gr. quindecim.
Folij,
Glycyrrhizæ,
Mastiches,
Styracis,
Sampsuchi,
Balsamitæ,
Ozymi,
Cardamomi,
Macropiperis,
Baccarum myrti,
Corticis citri, ana script. duo, gr. quinque.
Margaritarum splendidarum,
Been albi & rubri,
Coralli rubri,

Serici uſti, ana ſcript. unũ, gr. duo & dimidiũ.
Moſchi grana ſeptem & dimidium.
Caphuræ gr. quinque.
Sacchari quod ſatis eſt.

Mirũ eſt quàm nobis omnibus huc uſq; arriſerit deprauata huius electuarij appellatio. Et profectò neceſſe eſt propter cõmune omnium uicium barbariẽ ipſam retinere, ni uelimus togam ſaltãti inducere perſonæ (inquit ille.) Gręca tamen appellatio, ex qua originem ſumpſiſſe neceſſe eſt, non patitur ſe tam fœdè deformari. Vocatur igitur hæc Antidotus, πληρὴς ἀρχοντικὴ, aut Electuarium πλῆρες ἀρχοντικὸν, quaſi principale & eximium; quòd mirificè in reſtituendis uiribus imbecillis ualeat: unde quaſi implens dicitur. Barbari Pliriſarcoticon uocant. Etſi uerò Græcam redolet originem: ex quibus tamen fluxerit, non eſt facile conijcere, quòd ex Nic. Alexand. tantùm deſumpſerimus. Id puluere nobis eſt frequens, idq́ue in reſtauraticijs illis ſuccatiunculis, quibus defectas uires ægrorum refecimus: mirè enim ἀναληπτικὸν eſt. Cardiacis, melancholicis, triſtibus, cibum euomentibus, pulmonarijs, epilepticis ſuccurrit. Cerebri ſenſationes interceptas liberat, ſenſum deperditũ, & memoriá reſtituit. Stomachicis qui intemperie uentriculi frigida laborant prodeſt, propter benignum illum quem habet ex aromatibus calorem. Vnde mendum eſſe ſuſpicor apud Alexandrinum, quòd hanc confectionem ſtomachi

calori prodesse dicat. Nic. Præpositus macropiper & Leucopiper addit. Alexandrinus macropiper tantùm ponit: & pro Been albo & rubro, hermodactylos rubeum & albũ scribit, suo more Been intelligens, ut sæpius apud eum uidere est. Vterque uerò conficit cum syrupo rosato. Quidam ne caphuram quidem addunt, propter uirosum quem habet saporem: sed huius loco santalos albos & rubros. Alij nympheę flores, & rosas in aqua simplici, aut aqua rosarum decoquunt in syrupũ: quo colato & percocto, & adhuc feruente, aromata per se trita imponũt: deinde lignum aloes, postea margaritas. Post quæ ambra & moschus, aut etiam, si uelis, caphura addenda sunt. Nos saccharo excipimus, ut diutius seruetur: quamuis antiqui quod syrupo cõdiebãt, diuturnitate temporis commendarunt. Balsami loco Balsamitem Latini codices exhibent: sed Balsami succedaneo potius utendum est. Est & Nicolao aliud Pleres archõticon simplex, illi tantùm cognitum. Idem uerò margaritas non addit: & pro cortice citri, folio citreo utitur. Hęc omnia ex Pręposito sumpsimus, quòd cortice frequentius quàm folio utamur: & his analepticis margaritæ pondus adferant.

## *Rosata nouella Nic.*

℞ Rosarum uiridium,
Glycyrrhizæ, ana unc, unam, script. duo & dimidium,

Cinnamomi

Cinnamomi drach. duas, ſcript. duo.
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Galangæ,
Gingiberis,
Nucis moſchatæ,
Zedoariæ,
Styracis,
Cardamomi,
Seminis apij, ana ſcript. unum, gr. octo.
Sacchari albiſsimi, aut mellis optimi quod ſatis eſt.

Efficax eſt hæc cōfectio ad ſtomachi & cordis imbecillitatē, in his qui diutino morbo conflictantur. Vomitum, ſtomachi ſubuerſiones & nauſeas compeſcit, in quem uſum ſępe propinatur cum aqua roſarum ſtillaticia. Præcipuè uerò ualet ad ſtomachi, hepatis & cordis intēperiem calidam & ſiccam, quæ ſitis uehementiſsimum ardorem inducit. Eam enim quæ ex ſtomachi uicio fit, ſtatim ſedat. Cardiacis & pulmonarijs ſubuenit. Diſſolutas & elaxatas uentriculi uires reſtaurat. Sudores, qui plurimùm exoluunt, & totius corporis uires exhauriūt, ſiſtit. Vnde his qui ex diutino morbo extenuati ſunt, plurimùm cōfert. Qui opus faciunt medicum, roſatam nouellam ſemper in ſtomachi magnis ardoribus propinant: ſed profectò dilui debet ſyrupo uiolaceo, aut roſaceo, aut prunorum decocto, aut hordei. febrilis tamen intentio ſemper timenda

est, in qua suspecta meritò fuerit, etsi temperata magis uideatur, quàm ad utrumuis extremum tendere. Hic sequutus sum Nic. Alexādrini fidē, cùm ab ea Præpositi descriptio aliquantulū deficiat. Paranda uenit sacchаro magis quàm melle excepta. Melle enim condita ab eo calorem sumit, & statim ueterascit. Quidam sacchаro in syrupum percocto condiunt: quæ ratio probabilior uidetur, si syrupus ille ex decocto rosarum & uiolarum, ex aqua rosacea fiat. Sic enim ad institutum uidebitur efficacior, quanquā his quoque dilui postea potest.

## *Lithontribon Nic.*

℞ Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Xylobalsami,
Acori,
Cinnamomi,
Peucedani,
Mei,
Trium piperum,
Saxifragiæ, ana drach. duas & dimidiam.
Opobalsami,
Caryophyllorum,
Costi,
Rha pontici,
Glycyrrhizæ,
Cyperi,
Tragacanthæ,

Seminis

Seminis Macedonici,
Chamædryos,
Seminis apij,
Ameos,
Seminis aſparagi,
Ocimi,
Seminis urticæ,
Seminis citri, ana drach. uná, gr. quindecim.
Folij,
Croci,
Floris iunci odorati,
Caſsiæ ligneæ,
Bdellij,
Maſtiches,
Ireos,
Amomi,
Liguſtici,
Milij ſolis,
Petroſelini,
Seſeleos,
Cardamomi,
Anethi,
Euphorbij,
Lapidis lyncis,
Olei nardini,
Olei myrtini, ana ſcript. unum.
Moſchi gr. quatuor.
Mellis optimi, aut ſacchari albiſsimi quod ſatis eſt.

Omiſſurus eram hanc confectionẽ propter

ſuppoſitam optimorum medicamentorum dignationem, niſi à quibuſdam parari emendicata quorundam ſimplicium uicaria fide mihi conſcius eſſem. Sed quæ tamen à paucis admodum in uſum trahitur, ob operoſam nimis conditu-ram, & magná qua pollet calefaciendi uim. Magni tamen eſt momenti ad ea quæ fronte pollicetur. Nephriticis enim, ſtranguriæ & dyſuriæ promptè ſuccurrit: iliorum, lumborũ & renum grauitates, obſtructiones à frigidis & craſsis ortas ſuccis compeſcit. Veſicæ & renum calculos diſsipat potentiſsimè, atq; inde expellit. Cuius miram utilitatem in quodam nephritico uidi, cum fœliciſsimo ſucceſſu. Validas habet calfaciendi & incidendi uires, ut quęuis alia quæ huiuſmodi affectibus adhibentur, ut nõ facilè cuiuis habitui cõueniat. Diluenda eſt uino, aut decocto aliquo: alioqui uix deglutitur. Illius uerò facultates Barbari ſuo more ſatis exprimũt, cùm Lithontripon uocent, pro Lithontribo. Inde enim appellationem ſumpſiſſe conſtat, quòd calculum atterat in ueſica & renibus. Sumpta eſt autem ex Nic. Alexandrino, Antid. 181. In quo originem ipſam expreſsi, niſi quòd Nic. codices uiciati ſunt in citrij ſemine, pro quo Irionem interpres repoſuerat. Nos uerò lithontribon ibi deſcriptum eſſe animaduertentes, ex Præpoſito citrium reliquimus, facili lapſu ex κυρꙋ̃ in κιτρίꙋ. Et certè citrii ſemen inter medicamenta diuretica ab eodẽ numeratur, Antid. 187. & ab omni-

bus

bus in Iustino, ut ne longius abeam. Addidi etiam ex Nic. olei myrtini script. unum, & moschi gr. quatuor: pro quibus cæteri omnes olei moschellini scriptulum, & gr. quatuor ponunt. Quibusdam melle conditur: alijs saccharo, & stillaticio rosarũ liquore, aut uino excipitur. Poteram in eosdem effectus Iustinum adscribere, ni omnibus esset exoletum: ac nisi ipse remos mihi inhibuissem, statuissemq; Pharmacopolium nostrũ hac tantùm suppellectile, quæ in usionem quotidianam ueniat, instituere: non autem his medicamentis, quæ sua uetustate in ægrorum perniciem coniurent, onerare.

## *Diacomeron Nic.*

℞ Antophyllorum,
Zingiberis, ana drach. quinque, script. unum, gr. sexdecim.
Cinnamomi,
Carnium dactylorum,
Caryophyllorum, ana drach. quatuor, script. unum, gr. sexdecim.
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Costi,
Pyrethri,
Coralli albi,
Coralli rubei,
Rhapontici,

Saliuncæ,
Tragacanthæ,
Anacardij,
Osſium dactylorum,
Carpobalſami,
Aniſi,
Baccarum iuniperi,
Leucopiperis,
Macropiperis, ana drach. unam, ſcript. duo, gr. octo.
Limaturæ auri puri,
Limaturæ argenti meri,
Osſium de corde cerui, ana ſcript. duo & dimidium.
Raſuræ eboris,
Moſchi, ana ſcript. unum, gr. ſeptem.
Ambaris ſcript. unum.
Sacchari quod ſatis ſit.

Diacomeron uulgò dicitur, Actuario Diacamaron, nominis notatione prorſus incognita, cùm Diathamaron à palmulis dici debeat. Thamar enim Arabibus dactylon ſignificat. Antiquata penè confectio. Prodeſt tamen difficulter ſpirantibus, arteriacis, tuſsientibus, tabidis, & omni thoracis & ſtomachi noxæ, aquæ ſubter cutem fuſæ, nephriticis. Renum namque impotentiæ & debilitati ſuccurrit: uenerem emortuã excitat, & corpora ſaginat. Sumptum ex Nic. Alexand. Antid. 39. quæ tamen non parum ab iſta differt. Sic enim poſt baccas iuniperi legit: Margaritarum

garitarum perforatarum & integrarũ, ana exagij dimidium, hoc est script. duo. moschi gr. tria. blattij bizantis script. duo. trium piperum, ana drach. unam, script. duo, gr. octo. auri puri, argéti sinceri, ossis cordis ceruini, sing. script. duo & dimidium. eboris ramenti, ambaris, sing. script. unum, gr. septem. Paratur cum rosaceo melle, & saccharo. Dantur eo utentibus drach. tres ex uino. Actuarij diacamaron habet Cinnamomi, caryophyllorum, spicæ, zingiberis, zaduaris, costi, pyrethri, rhei, nardi Celticæ, sing. unciam. anacardij, piperis nigri, albi & longi, cardamomi, anisi, sing. semunciam. eboris, ossium palmularum, ossis cordis ceruini, corallij, sing. sextulam, script. duo. moschi, balsami, utriusque script. duo. mellis rosacei quantum sat est. Porrò Antophyllus Nicolao etiam interprete grandem caryophyllum significat, qui ad maturitatem peruenit, nucleo intus duro, bifidoque.

*Actuarij diacamaron.*

## *Elect. Ducis Nic.*

℞ Anisi drach. duas, gr. quindecim.
Glycyrrhizæ,
Mastiches, ana script. duo, gr. quinque.
Chamædryos,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Galangæ,
Fœniculi,
Cari, ana script. unum, gr. quindecim.

Casiæ

Caſsiæ ligneæ,
Calaminthæ,
Dauci,
Pyrethri,
Piperis albi,
Piperis longi,
Cyperi,
Floris iunci odorati,
Ireos,
Amomi,
Folij,
Azari, ana ſcript. unum.
Spicæ nardi,
Croci,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ,
Seminis anethi,
Calami aromatici,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Carpobalſami,
Cardamomi,
Libyſtici,
Petroſelini Macedonici,
Baccarum iuniperi,
Seſeleos,
Quinquefolij,
Seminis aſparagi,
Seminis citri,
Radicis acori,

Ammeos,

Ammeos,
Rha pontici,
Nucis moſchatæ,
Ligni aloes,
Ocimi,
Milij ſolis,
Seminis ſaxifragiæ,
Citruli,
Cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonis,
Scariolæ,
Petroſelini,
Been albi & rubri,
Styracis calamitæ, ana ſcript. dimidiũ, gr. tria.
Penidiorum ſemunciam, ſcript. duo.
Sacchari albiſsimi quod ſatis ſit.

Sumptũ ex Nicolai Latinis codicibus quibuſdam, in uſum uenit, ad cruditatem & inflationem ſtomachi, inteſtinorum, ileon & calculum. Rarum eſt, ideoq́ue penè operam noſtram effugit, ut & cętera plurima, quibus (quòd nullum applauſum habitura ſint) locum in orcheſtra noſtra non dabimus: qualia ſunt Dianthos, diacinnamomum, diapraſium, diahyſſopum, atque alia eiuſdem generis.

*Confectio ex granis tinctorijs Meſ.*

Accipe ſerici crudi, & ſucco granorum tinctoriorum recenter tincti libram unam. ſucci pomorum

morum dulcium, & aquæ roſarum, ana libram unam & dimidiam, uigintiquatuor horis macerandam: deinde pauliſper incoquendam, donec liquores iſti rubeant. Hos expreſſo & abiecto ſerico, coque cum ſacchari optimi libra una & dimidia ad mellis craſsitudinem. Quibus ab igne depoſitis, ſed adhuc calentibus, miſce ambaris crudi minutim conciſi drach. quatuor. Quo liquato, inijce puluerem ſequentem. Ligni aloes crudi, cinnamomi craſsi, ana drach. ſex. lapidis cyanei loti & præparati, margaritarum albarum ana drach. duas. foliorum auri boni drach. unã. moſchi laudatiſsimi ſcript. unum.

Confectio Alkermes uulgò dicitur, magnæ, non tamen apud omnes, efficaciæ. Probatiſsimi enim quidam in re Medica uiri, in quorum numero cenſetur doctiſs. Manardus, eam parui æſtimant. Experientia tamen quorundam effecit, ut eorum teſtimonio, huius comprobata ſit autoritas, & uirtus in longo morbo feſsis, conualeſcentibus, deiectis, & uelut moribundis. Diuina enim uelut quadam uirgula languentes uires reficit & recreat. Syncopi & cordis palpitationi, inſaniæ febricitantium, & mœrori ſuccurrit. Triſticiam & mentis alienationem depellit. Quæ ut non omnino contemnenda ſunt, ita profectò eorum opinionem qui coccum baphicam ob neſcio quaſdam affectiones improbant, eleuant: quæ uirorum doctiſsimorum trutinam & examen ſubijt, ut ne in eo quidem nobis

bis desudandum sit. Non desunt etiam quidam qui serici infecturam hanc damnent, ut nullius momenti, nec medicamentis adhibendam censeant. Qua de re aliàs fortasse dicendum erit fusius. Quod reliquum est in hac confectione, ut lapidem cyaneum ob purgatorias & maleficas, uires damnent: næ illi sibi rem malè esse factam sciant. Medicamentorum enim improbitas aliorum mixtura persæpe condulcatur & temperatur. quod Cyaneo lapidi accidit, qui uel tantillo pondere minimùm naturæ munia lædere possit. Quòd enim acrimonia urit, ulcerat, putrefacit, id admouendo sortitur, ut testatur Dioscorides: ut non mirum sit, medicamenta sumendo, & admouendo, facultatibus & uiribus plurimùm uariare, quod scribit Galenus libro de Ther. ad Pisonem. Quinetiam hunc ne tantillum reformidant, qui hanc confectionem parui faciunt, uiri eruditissimi. Lotum enim affectus melancholicos plurimùm iuuare, sibi testatum esse experientia rerum magistra tradunt: ut parum mihi promouisse uideantur, qui hoc nomine confectionem istam suggillant. Huius confectio Mesueo debetur: cuius etiam meminit in lapide Cyaneo, non parum immutatis ponderibus. Siccum hoc medicamentum à quibusdam præparatur, frequentius tamen in electuarij liquidi formam.

Confectio

*Confectio anacardina Mes.*

℞ Piperis nigri,
Piperis longi,
Myrobalanorum cepularum,
Emblicarum,
Bellecicarum,
Indarum,
Castorei, ana drach. duas.
Costi,
Anacardi,
Melissophylli,
Sacchari boni,
Baccarum lauri, ana drach. sex.
Cyperi drach. quatuor.

Tere anacardos per se, deinde cætera excipe butyro uaccino & melle, simul coctis portione æquali.

Non eram appositurus hanc confectionem, propter rarum eius usum, nisi quibusdam celebrem esse scirem, ueterum Medicorũ, qui opus factitarunt medicum exemplo. Ea enim ut e bã tur in frigidis cerebri affectibus, ut congelatis & sideratis, in quibus febrium motus non uerebantur. „ Est enim circunspecti hominis (ut in- „ quit Celsus) & nouare interdum & augere mor- „ bum, & febres accendere: quia curationem ubi „ id quod est non recipit, potest recipere id quod „ futurũ est. Nobis ferè febrium facili transitu hęc curandi ratio suspecta est, ne magis temeritate

quàm

quàm ratione ægri ſibi reſtituti uideantur. Febrium tamen ſtudium non ſemper refugit antiquitas, ut his uerbis teſtatur Celſus: Deniq; ipſa febris (quod maximè mirum uideri poteſt) ſępe præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit: & in iecinoris dolore ſuccurrit, & neruorum diſtenſionem rigoremque (ſi poſtea cœpit) ex toto tollit, & ex difficultate urinæ morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi urinam per calorem mouet, leuat. Quæ omnia ex Aph. ſumpta ſunt. Hæc igitur confectio ſuo calore uehementi exoleuit, poteſtque uentris totius inferioris & cerebri affectus frigidos ſanare. Animi munia & ſenſuum officiná defæcato & tenuato ſanguine perpurgat, illuſtrioremque quodammodo reddit. Sumpta eſt ex Auicenna lib. 5. indeq; omnino expreſſa, qui eam electuarium Sapientum & Salomonis uocat: ubi quod Burungi dicitur, uariè ab autoribus explicatur. Quidam enim melanthium, alij ocimum, nonnulli cubebas: alij quoque eryſimon ſignificare contendunt. Nos cum Serapione Meliſſophyllum accepimus: etſi mihi cōſcius ſum, hic quoſdam erucæ ſemen ſupponere. Eſt confectio anacardina Rhaſis in reſolutione neruorum ab hac differens, qua utitur ad affectus cerebri frigidos, ſpaſmum, neruorum incontinentiam & ſideratos. Alia quoque deſcribitur Meſueo in Paralyſi. Aliud uerò eſt dianacardon Actuarij & Nic. Theodoretos ex anacardjs: cuius

Lib. 2. cap. 8.

ius descriptiones duas affert, non multum ab Actuario differentes, huic tamē longè dissimiles. Sunt & duæ confectiones anacardinæ Auicennę, omnino dissimiles. Est & theodoreton Pauli ex anacardijs. Fermentatione autem indiget: ideoque post sex menses datur, dum anacardorum uis efferbuit: alioqui periculosa. Propinabat Mesueus cū aqua fœniculi & apij, ea adhibita cautione, ut laborē, iram, & cętera omnia calefacientia immodicè, & uacuātia suspecta haberet.

## *Micleta Nicol.*

℞ Myrobalanorum citrinarum,
Cepularum,
Belliricarum,
Emblicarum,
Magnarum, hoc est Indarum ustarum, ana drach. duas & dimidiam.
Cardami seminis, hoc est nasturcij,
Cumini,
Anisi,
Fœniculi,
Ameos,
Cari, ana sesquidrachmam.
Spodij,
Balaustiorum,
Sumach,
Gummi Arabici,
Mastiches, ana drach. unam, gr. quindecim.

Sic conficito. Semina macerētur acetō die

ac nocte: postea assata & exquisitè læuigata cũ oleo rosaceo fricentur multoties, donec rursus siccentur, & oleum combibant: frictio autem manibus fiat. Postea reliqua trita in pollinem admisceantur, & serapio myrtino subigantur. Irrigata & diligẽter subacta decoquantur exiguo igne, remota in uase tepida recondantur. Dantur uesperi decubituris, aut media nocte drach. tres aut quatuor, cum decocto plantaginis maioris, polygoni, rhois culinarij, radicis symphyti, aut cum baccis myrti. Rarò usurpatur, affectibus omnibus cœliacis confert, inflãmationibus intestinorum, eorumq; leuoribus & torminibus: aluum immodicè profusam sistit, & hæmorrhoidas compescit. Sumpta est descriptio ex Alexandrino, cui mastichen ex Latinis codicibus addidimus. Micletam autem ab Italis denominatam, idem autor fatetur. Nos hic inter confectiones recensuimus; cùm à quibusdam, magnis & opiatis cõfectionibus, nescio quo iure, annumeretur. Huius etiam quam enumerauimus confectionem agnoscit Platearius, in uulgatis Nic. codicibus.

# DE CONFECTIONIBVS OPIATIS.

## SECTIO SECVNDA.



Xplicata prima Antidotorum acie, Secundam instauramus, in qua Antidotos anodinas, aut stupefacientes, Barbari non ignota ratione Opiatas uocant, locauimus. Quæ etsi uariam admodum sortiũtur appellationem ( Anodina enim modò dicuntur, quibusdam Narcotica, Gal. lib. κατ. τόπ. Colica ab affectu dolores maximos experiẽte) nobis tamen usitato Pharmacopœorum & ueterum Med. nomine insigniuntur. Quanquam ea nominis ratio latius quoque apud eos pateat. At uerò, ut nec temerè sunt adhibenda stupefacientia medicamenta: sic, ubi usus postulat, si infrà substiteris, & timidius egeris, ægrum pessundabis. Quare ab antiquis diligens adhibita est cautio: dum ijs quæ suo uelut rigore sensus congelant & stupefaciunt, calida temperant, quæ sua ui frigidis, ideoque obtusis, & nullo modo penetrantibus uiam munirent, stupefacientiumque ignauiam & congelationem (quę uera sunt mortis rudimenta) coercerẽt. Quod significauit Gal. lib. 3. Comp. phar. sec. partes: cùm narcoticis adhibitum castorium torreri prohibet,

prohibet, ne uſtulatione uim quæ uehemẽtem medicamenti ſtuporem obtundit, adimas. Habent porrò hæc quoq; medicamenta ſuos ordines & dignationes. Quædam enim Colica dicuntur, quòd uehemẽtiſsimis affectibus medeantur, atque ea nuncupatione maximam anodynorum æſtimationem ſortita ſunt. Alia uerò quæ paululùm à uehementia deflectunt, cæteris partibus adhibentur, ut thoraci & pulmonibus affectis: qualia ſunt, quæ tabidis & ſanguinem refundentibus, deſtillationibus acribus, & inquieti nocturnæ adhibentur. Sic igitur ab exquiſito partium dolentium ſenſu, & ualentiſsimo dolore deducta eſt horum medicamentorũ uis. Quòd enim affectus colici tam uehementes dolores ſæpe cõmoueant, ut ſyncopen, & uirium omnium præcipitem lapſum afferant: ideo uehementia narcotica Colica à Galeno & Actuario dicta ſunt, ut eodem nomine ſui dignitatem & affectus remedium præ ſe ferant. His enim in uehementiſsimo colici affectus impetu ſæpe uti cogimur, ut ſcribit Gal. lib. Meth. 12. Atque ut horum quæ ſuo nomine uehementiam præ ſe ferũt, ualde ſuſpectus eſt uſus: ſic non niſi iam ſuppeditatis præ dolore uiribus, & in uehementiſsimis affectibus locũ habent. Quorũ ratione uehementer ſuſpectos coli, aurium, dentium & oculorum dolores habet Gal. lib. De comp. ph. part. ſecundo. Quia uerò nõ niſi acciſis uiribus exhibentur, quãdo

uel quãtumuis leue periculum maximè ſuſpe-
ctum ſit: à ſtupefacientibus præſertim, cùm pri
morum corporũ ſimplices naturæ plurimùm
affectę ſint: peruicit ratio, ut ab antiquis Medi-
cis non niſi permixtis calidis & refrigerátium
uiribus refrenatis temperarentur. Aequum e-
nim fuit, in uirium præcipiti periculo, leuem
ſenſuum iacturam quantulacunque ignei ca-
loris & uitę portione compenſare, dum (ut in-
quit Celſus) ſatius eſt anceps aliquod auxiliũ
experiri, quàm nullum. At uerò magna in his
cautio adhibenda eſt, ne dum uiribus in dolo-
re ſedando cõſulimus, temerario quodam uſu
totius uitæ munia peſſum eant. Horum igitur
omnium medicamentorum, quæ quadam na-
turæ proprietate igneo & uitali noſtro calori
inimica ſunt, diligens habendus eſt delectus,
& magnę in aſſumendo circumſcriptiones ad-
hibẽdę. Quæ quia à Gal. fuſiſsimè lib. 12. Meth.
aph. 31. lib. 6. lib. 7 & 9. Comp. phar. part. & à
Meſueo theoremate tertio explicátur: in præ-
ſentia à nobis omittentur, ne uideamur actum
agere: cùm nobis abundè ſatisfactum eſſe du-
camus, ſi digitos (ut dicitur) ad fontes inten-
derimus. Primas autem tenet in curationum
medicarũ uſu ex narcoticis medicamentis Phi
*Lib. 5.* lonium, quod ab Auicenna & Nic. Romanum
dicitur, quòd Romæ magnum uſum obtinue-
rit: primùm Philoni medico Tharſenſi à Gale-
no attributum, & quòd ęnigmaticè admodum
deſcriptum

descriptū esset, egregiè explicatū lib. 9. Comp. phar. part. In quo propinando uniuersalis confectionum opiatarum cautio obseruari debet, ut non temperius quàm refrenata narticorum ui adhibeatur: quod tempus sex mensium, aut anni spacio post mixtionem circunscribit Gal. aut ne iam exoleta stupefacientium ui, qua dolorum securitatem facit, irritum quis med. afferat, ex quo post decimū mixtionis annum effœtas habet facultates. Huiusmodi quoq; medicamenta, quæ non omnino suspectione uacuam, sed paulò cautiorem adhibitionem faciunt, non nisi ruptis à morbo inducijs, & fatiscentium uirium annixu, inani stomacho, & egregiè perpurgato corpore adhiberi debent. Quibus adhibitis, cibum quoq; in horas quinquessustētamus: ut ne quid à med. affectus uetriculus malè cibum habeat, nisi si ad insomniá adhibentur. Tunc enim non ita longo interuallo cibū serotinū sequuntur. Philonij igitur Romani quod describit Nic. hæc esto formula.

## *Philonium maius, seu Ro. Nic.*

℞ Leucopiperis,
Hyoscyami albi, ana drach. quinque.
Opij, drach. duas & dimidiam.
Casiæ, drach. unam & dimidiam.
Seminis apij, drach. unam.
Petroselini Macedonici,
Fœniculi,

Dauci Cretici, ana ſcript. duo, gr. quinque.
Croci drachmæ dimidium.
Spicæ Indicæ,
Pyrethri,
Zedoariæ, ana gr. quindecim.
Cinnamomi, drach. unam & dimidiam.
Euphorbij,
Coſti, ana drach. unam.
Mellis optimi deſpumati triplo excipe.

Hoc eſt uſu commendatum Philonium, quo utūtur in curationibus ſuis Medici, à Nic. famam & authoritatē capiens, quod nec à rectis ſtupefacientium medicamētorum legibus deficit. Plurima enim aromatica recipit, quæ narcoticorum uim refrenent, & morborum frigidorum crudorumq; humorum affectiones, quibus adhibentur, euincant. Id enim feciſſe quamplurimos in Philonis medicamēto, ſcribit Gal. lib. 9. Comp. phar. part. Addūtur etiam ſemina diuretica, quæ humores craſſos, uiſcidos, tenuent, diſſecent, & per urinas exturbēt, unaq; medicamento ſuauitatem addant. Philo Tharſenſis ex Aromaticis ſolá nardum ſuo Philonio addidit, quod deſcriptum à Galeno ferè cum Meſuei deſcriptione conſentit, niſi quod Caſtorium pro Euphorbio poſuit Meſues. Hoc med. à Philone mutuatum antiquis celebre fuit, ut Paulo, Actuario, Aetio, & Oribaſio: quibuſdam tamē parumper immutatis. Oribaſius enim piperis albi drach. uigintiquinque

*Lib. 9. Comp. phar. part.*

que

que ponit, & Paulus hyoſcyami drach. octo. Actuarius etiam quinto Meth. multum pondere uariat. Ex hoc quoque uelut fonte med. analogiam mutuatus eſt Nic. cùm opium, crocum, piper album & hyoſcyamum ad Gal. trutinam expendit. Cętera uerò plurima non ingratè ad maiorem cautionem adhibentur: præſertim ſi coſti loco myrrha & caſtorium, quod faciunt quidam ex Gal. pręſcripto, addantur: ut non illibenter huius uſum omnibus tritum confirmarim, ad uehementiſsimorum dolorum faciendas inducias. Colicos enim affectus doloris pręrogatiua quadam inſignes, cęterarumq; partium lethales dolores, uentris, hypochondriorũ, uentriculi, uteri, hepatis, lienis, renum ab intemperie frigida, flatibus craſsis, aut crudis humoribus excitatos, ſedat: tuſſes intenſiſsimas, ſuffocationis periculũ ex cordis aut pulmodis incendio, ſingultum etiam uehementẽ, & urinæ difficultatem liberat. Sanguinis eductionibus, tabidis, ſuſpirioſis, pleuriticis confert. Hęmorrhagiam ſiſtit, inſomniam leuat, & ſomni conciliatione uires reficit & recreat: doloreſque omnes abigit. Pro uarijs ſcopis uariè diluitur: modò enim poſca, modò uino: quin & in oxymelite & œnomelite propinatur, ut & Actuario cũ hypociſtidis ſucco, & uini pauxillo ſtomachicis datur, & ſuſpirioſis cũ thymi aut pulegij decocto. Sic ſanguinem expuentibus cum polygoni ſucco propinamus: nauſeabun- *Lib. 5. Meth.*

dis, & in ſtomachi morſibus cum abſinthij aut pulegij decocto adhibet Nic. Alexādrinus, qui Philonij tres habet deſcriptiones, plurimùm inter ſe diſsimiles, & à noſtris differentes. Auicennas lib. quinto huius Philonij Romani meminit, Tharſenſeque uocat, & ex Galeno capit: pauca tamen addit. Meminit & Philonij Perſici, quod ad uteri hęmorrhagiam, fluxum, procidentiam, ſanguinis ſputum, mẽſtruorum nimium profluuium, & abortionis metum adhibet, non longè ab eo quod Meſueo attribuitur diuerſum. Ponderibus enim tantùm, ijsq; paucis uariat. Philonium iſtud Romanum in colicis affectibus præcipuá habet dignitatem, eiq; affectui adhibet Gal. lib. 2. De loc. aff. *Cap. 1.* Doloris enim immenſitas ſæpe totam in ſe curationem intendit, & in miſerá uitæ deſperationem pleroſque iniecit. Doſis eſt adultis auellanæ magnitudo, minoribus & delicatioribus fabæ, pueris ciceris, in potu conuenienti. *Gal. lib. 12. Meth.*

## *Zazenea Meſ.*

℞ Caſtorij,
Opij,
Piperis,
Macropiperis,
Galbani,
Coſti,
Cinnamomi,
Phu,

Mei,

Mei,
Dauci,
Asari,
Croci, ana partes æquales.
Excipe mellis despumati triplo, aut sapa.

Quibusdam Musa Enea, alijs Zazenea, uel Egetea, alijs Sagenea, quibusdam etiam Azaranij Antidotus dicitur. Quam hic non eram appositurus, propter infrequẽtem eius usum, nisi me in hanc causam imposuisset doctiss. Manardus: qui hac Antidoto miro successu restibilem fertilitatem se fecisse scribit. Vteri enim intemperiem frigidam, indeq; natam sterilitatem, pesso subdita cum oleo lirino, aut etiam epota leuat. Subdita tamen tutior est, nec ultra tres aut quatuor horas teneri debet, idque dierum interuallo interposito. In quem usum uenire debet ab anno mixturæ secundo ad septimum. Quòd si ad dentium cruciatus adhibueris, perpetuã penè huius mali causam, frigidam multam pituitam discutit, doloremque tollit, si ter aut quater die denti dolenti imposueris: parua tamen mora, idque citra deglutitionem, ne opij malum tibi arcessas. Sed non nisi perpurgato corpore, & quadam tenus cocta materia, leuamẽtum sentitur. Mesueus ad intemperiem omnem frigidam adhibet & flatibus dissipandis, indeque obortis doloribus. Colicos dolores uteri & uentriculi, ex crassis, frigidis & aerosis humoribus sanat. Vrinæ difficul-

tatem,

tatem, renum dolores, & pectoris, à frigida & crassa pituita dissoluit. Auicennas lib. 5. multas huius Antidoti descriptiones habet, minimùm ab hac differentes, ijsdemq; usibus accommodatas. Cum uino exhibet ab aurei semisse ad integrum aureum. Nic. Prępositus aliam habet Musæ descriptionem, nemini usitatam, nec uerò satis tutam. Nic. uerò Alexandrinus tres habet Musæ Antidoti descriptiones, quę etsi ferè compositionis ratione cum illa consentiunt: diuersos tamen morborum scopos intendunt.

## *Athanasia magna.*

℞ Cinnamomi,
Casiæ ligneæ, ana drach. tres, gr. septem.
Croci,
Floris iunci odorati,
Styracis calamitæ,
Phu,
Seseleos,
Bethonicæ,
Seminis hyoscyami,
Apij,
Dauci,
Anisi,
Opij, ana sesquidrachmam, gr. tria.
Spicæ,
Folij,
Castorij,
Myrrhæ,

Lapidis

Lapidis hęmatitis,
Sanguinis draconis,
Corallij rubri,
Mumiæ,
Boli Armeniæ,
Symphyti,
Helenij,
Acori,
Aſari,
Corticis rad.mandragoræ,
Polij,
Baccarum lauri,
Mei,
Macropiperis,
Leucopiperis,
Seminis petroſelini,ana drach.dimidiam.
Seminis quinqueneruiæ,hoc eſt plantaginis minoris,
Myrti,
Roſarum,ana ſcript.tria,gr.quatuor.
Succi hypociſtidos,
Acaciæ,
Seminis oxyacanthæ & ſucci eius, ſing. unc.duas.
Succi quinqueneruiæ unc.tres.
Mellis Attici,aut ſacchari quod ſatis ſit.

Sumptuoſa magis,& ad oſtentationem parata confectio,quàm neceſſaria.In cuius deſcriptione primas Nicolao debent, qui eam in uſum deducũt. Sumpta eſt ex tertia Nic. Alexádrini

drini deſcriptione inter multas Athanaſię formulas, eoque nomine præcipuè, quòd quæ in uulgatis Nic. codicibus legitur, magna ex parte diminuta ſit & corrupta: in qua præſertim pro Selenio lemniam, hoc eſt auripigmentum, pudendo ueterum errore poni ſciam. In curationibus igitur, à quibuſdam ad omne ſanguinis effluuium adhibetur: quòd magis adſtringat, quàm quæ Meſueo deſcribitur. Dyſenteriæ, lienteriæ, gonorrhœæ, diabeti & urinæ profluuio benefacit, eamque Medici ad omne fluxionum genus ſiſtendum adhibēt. Meſuei deſcriptio, quæ omnino ex Auicenna lib. quinto deſumpta eſt, ad ea quæ præ ſe fert longè efficacior. In qua deſcribenda ueterum autoritatem quadamtenus ſecutus uidetur, niſi (ut fit) inualeſcente temporum ignauia ſuperſtitioſè nimis quædam adhiberentur. Gal. Athanaſiæ & Ambroſiæ Antidoti meminit paſsim libris

*Lib. 8. & 14.* Meth. & Sa. tu. Theriacæque comparat, eas tamen neutiquam deſcribit. Ambroſiam etiam ex Zopyro regi Ptolemęo exhibitam deſcribit Celſus lib. 5. cap. 23. Quod ſi quis in Athanaſiæ nomine ſibi placet: poteſt Pauli Athanaſiam lib. 7 deſcriptam, & Oribaſio aſſertam ad pleuriticorum dolores, omnemq; indolentiam aſſumere, eaq; non ſecus ac Philonio uti, quæ recipit caſsiæ drach. octo. ſpicæ nardi, amomi, croci, opij, ſtyracis, myrrhæ, coſti, ſing. drach. quatuor. mellis deſpumati quod ſatis eſt. Eſt &

*Pauli Athanaſia.*

Antidotum

Antidotum Mithridatis Athanasiũ triplex, lib. 2. de Antid. & Athanasia hepatica Tralliani, quarum hodie nulla est in usu. Nicolai Athanasia ad omnem hæmorrhagiam indita, adhibita aut supposita satis est efficax, atque eo nomine ualde ab omnibus commendatur. Auicennas duas Athanasiæ descriptiones habet, quarum prior Mesuei nomine satis probatur: minor uerò apud omnes desijt.

## *Requies Nic.*

℞ Rosarum,
Violarum, ana drach. tres.
Opij,
Hyoscyami,
Papaueris albi,
Corticum mandragoræ,
Intybi,
Lactucæ,
Portulacæ,
Psyllij,
Nucis moschatæ,
Cinnamomi,
Zingiberis, ana drach. unam & dimidiam.
Santali albi & rubri,
Spodij,
Tragacanthæ, ana script. duo, gr. quinque.
Sacchari candi drachmam unam.
Sacchari & stillaticij rosarum liquoris quod satis sit.

Hanc

Hanc confectionem Requiem à Romanis dici ſcribit Alexandrinus, deſcribitque ſub nomine Antidoti ad febres continuas & ardentes, omnemque febrilem affectum: omnes denique febres magnas, Romana lingua appellatas Acutas. Vnde certè integra petēda est, cùm in uulgatis codicibus ſit diminuta, & in Græcis etiam ponderibus defecta. Nomen habet ab efficacitate. Inſomniæ enim medetur, & inquieti, ſomnum facit in febribus præcipuè aſsiduis & peracutis, ſynocho & ardente, uacuata paulò ante humoris efferueſcentia, temporibus & manuum pulſibus inuncta. Cordis calorem mitigat. Exhibet autem ſæpe cum ſyrupo uiolaceo, in quo lactucæ ſemen tritum, per noctem infuſum fuerit. Datur etiā ſyrupo roſato aqua roſacea temperata, aut etiam ab his poſtea expreſſa, licet non ita prǽſenti auxilio. lectum petituris propinari debet, longo antè interuallo præſumptó cibo. Ex his uerò tritis in aqua coctis, & cum ſaccharo conditis, ſyrupus ad inſomniam non inefficax parari poteſt. Antid. 205.

## *Tryphera magna Nic.*

℞ Opij drach. duas.
Cynnamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,

Zingiberis,
Costi,
Storacis calamitæ,
Calami aromatici,
Cyperi,
Iridis,
Peucedani,
Acori,
Mandragoræ,
Nardi Celticæ,
Rosarum,
Piperis,
Anisi,
Apij,
Petroselini Macedonici,
Fœniculi,
Dauci,
Hyoscyami,
Cumini,
Ocimi, ana drach. unam.
Mellis despumati optimi triplum.

Trypherarum uaria est, ut nominis, ita & confectionum ratio. Trypheras dici (ut alias inanes nominis notationes omittam) delicatas per antiphrasin, quòd amaræ sint: non magni est nominis, ut nec ambitiosa nimis appellationis conquisitio alicuius est ponderis. Sed profectò Typherę delicatę dici possunt, quòd totius corporis colorem, & oris odorem commendent, ac delicatam quandam commenda-

bilis speciei ostentationem præ se ferant. Putredines enim humorum emendát, genuinam corporis succulentiam restituunt, formæ corrumpi cœptæ uicium redimunt, & ut cætera cosmetica ad ornatum plurimùm faciunt. Sic pancratiastarum τρυφερὸν Actuario dicitur Delicatum, quòd ad ambusta ualet, & cicatricis uestigia deleat. Hæc autem Trypheræ descriptio, quæ ex Nic. Alexandrino ad uerbum penè descripta est, in usum uenit ad muliebria mala. Cum opio quidem ad matricis uicia, uteri dolorificas præfocationes, errabundos à retorrido, fœculento & ambusto menstruo sanguine uapores, qui mentem persępe emouent, cum uino decoctionis artemisię exhibetur. Nō rarò tamen sine opio ijsdem affectibus adhibetur, frigidam uteri intemperiem, pituitosas & albidas mulierū fluxiones emendat, menstruorum crassam fœculentiam dissecat, uacuat & educit ex artemisiæ intrito cum oleo moschato (Moscellinū dicimus) subdita. Crassos enim, frigidos & uiscidos humores disipat, & uacuationi præparat: primumque ueluti mucosam quandam pituitam educit: tandem uerò menstruis & fœculento sanguini uiam facit. Ad stomachi uicia datur cum anisi aut fœniculi decocto, aut etiā cum uino. Nic. Alexandrinus in Tryphera magna Antid. 210. ad finē habet, Fœniculi, sinonis, dauci, hyssopi, ocimi, hyoscyami, sing. drach. cum reliquis consentit: ut hæc quoque

*Lib.6.Meth. cap.6.*

quoque ad descriptionis integritatem addenda existimem. Cumini nō meminit, ideoq́; pro sinone mendosè in Latinis suppositum credo, quòd Cinonem aliquando scribant. Trypherarum multæ sunt descriptiones Mesueo, Alexādrino & Auicennæ: sed in his tritæ sunt tryphera Persica, & tryphera Phenonis minor, quam ad nimium alui fluorē, hæmorrhoidum & mēsium cursum adhibet, quòd stomoma & tamaricis fructus sola ex adstringentium numero recipiat: sed profectò tenuantium & incidentium magna uis calore suo, & essentiæ tenuitate, adstrictionem illam aliqua ex parte labefactat, & effectionibus pugnat. ut facilè contenderim, in his scopis huiusmodi aromatis parcēdum esse. Ad albos uteri fluores, & alios frigori succedentes affectus, potest esse salubris, & ad uentriculi cruditates, humorumq́; putredines, dum ne stomoma, nimiamque adstrictionem recipiat, quæ illis malis prorsus est inimica. Quare ut est usu rara, ita illi libertatem assero: nec uerò hic descriptam uolumus, ut ne addam myrobalanos recipere, quæ nobis sunt marcidæ, & penè inefficaces. Auicennas in sua Trypheræ magnæ descriptione scoriā ferri addit. Alexandrinus quoque in sua Tryphera è ferro stomoma ponit, quæ ex hac quodammodo expressa uidetur. Trypheræ Persicæ compositionem confusam, inordinatam, negocij plenam, ideoq́; usui raram omittimus, quòd me- *Ant.iii.* *Tryphera Persica.*

dicamentis paulò simplicioribus eundem scopum liceat nobis consequi. Præterquàm quòd in myrobalanis, quas ex composito bis addit, medicamenti magnam uim ponit, quę hoc nomine nobis in suspicionem uenit: partim quòd ijs recentibus careamus: partim etiam quòd prima decoctio myrobalanorũ uires exoluat: nec exactè admodũ decoctionis ordinem hæc compositio seruet. Deinde etiam, quia longæ decoctionis parciorem copiam facit, dum depuratorum succorũ lib. octo nimia ebullitione consumit: tandemq; succorũ libra una epithymum, myrobalanos, tamarindos, casiã & saccharũ temperat, nõ idoneo satis, ut hęc omnia excipiat, decocto. Quòd nisi acetum suppetias ferret, lõgè maiore humoris copia opus foret. Cõsulerem igitur, si quis in usum raperet, myrobalanos ultimo loco descriptos, semel tantùm ad decocti extremum, cum rosis, uiolis, epithymo & spica apponi. Sic enim decoctionis leges imperant, ut ne deperditas uires cogaris iterato medicamento resarcire. In hac tryphe-ræ persicę compositione multa sunt, quę bilem utranque, præcipuè tamen atram expulsioni præparent, attrahant & uacuent: multa quoq; uisceribus & partibus nobilibus robur addentia: ut nõ temerè eam Mesues in morbis ab humoribus retorridis & assatis, biliosis & adustis adhibeat. Arquatis conuenit, icterum calidum ex obstructione leuat, biliosos uapores discutit,

tit, hepatis & ſtomachi inflammationes ſanat, humorum uſtioni, æſtate præſertim peſtilenti & autumno cõfert. Poteſt inter leniẽtia aluum medicamenta numerari: quod placidè admodum præſtat, nec humores exagitat aut calfacit, propter additam refrigerantium non paucorum mixturã. Quo nomine doctiſsimi quidam Medici, exęſtuante magno ęſtatis ſqualore, ad bilioſorum & calidorum humorum feruorem leniendum, leniterque deturbandum, hoc medicamentum in bolo exhibent, aut endiuiæ ſolatrique liquore diſſoluunt. Meſueus doſim facit unciam unam: ſed ad drach. decem progreſſus, non eſt inutilis. Et uerò, quoniam de Trypheris agimus, ut omnes ſuam tractationem expediant, quibuſdam uſitata eſt Try-phera de epithymo ad humoris melancholici & atræ bilis uitia, à Meſueo admodum commẽdata in opere ſuo medico, in curatione maniæ & melancholiæ ſanguineæ. *Tryphera de epithymo.*

## *Theriaca Andromachi.*

℞ Trochiſcorum ſcilliticorum drach. quadraginta octo. Sed Demetrius tempore Gal. factus etiã archiatros, tantùm drach. quadragintaſex miſcebat.
Trochiſcorum de uipera,
Magmatis ſicci hedicroi,
Piperis nigri, Damocrates. Andromachus, piperis longi.

Opij Thebaici, ana drach. quatuor & uiginti.
Rosarum ſiccarum foliorum,
Scordij Cretenſis,
Buniadis dulcis ſeminis, gōgilidis agreſtioris ſeminis alij: napi Ruellius, Actua. Auic. rapæ Nic.
Iridis Illyricæ odoræ,
Agarici albi pontici,
Cinnamomi,
Succi glycyrrhizæ, ſicci addit Damoc.
Opobalſami Iudaici boni. Hæc duo omittit Andromachus pater, addunt filius & Damoc. ana drach. duodecim.
Myrrhæ troglotidis,
Croci coricij, uel potioris,
Zingiberis ſicci & acris,
Rhei pontici integri, pro quo rhabarbarum ponit Auicenna.
Pentaphylli radicis,
Calaminthes ſiccæ, hoc eſt Nepithæ Romanis dictæ,
Praſij ſeminis, uel cum Damocrate σφαιρίων, id eſt, uerticillorum marrubij,
Petroſelini Macedonici montani, tenuis ſeminis,
Stœchados Creticæ, uel à Stœchadib. inſulis.
Coſti candidi,
Piperis albi & longi, cyanei Andro. pater.
Dictamni herbæ Cretenſis,
Schœnianthos Damoc. καρφίων alij, σχοίνου εὐώδους

ὅλους alij.
Thuris insecti, masculi alij.
Casſiæ fiſtulæ, hoc eſt caſsiæ ligneæ ueræ,
Nardi Indicæ, ana drach. ſex.
Polij Cretenſis comæ,
Seſeleos,
Styracis Pamphilij, liquidæ Auic. Cala-
mitæ Nic.
Thlaſpeos tenuis Cretenſis, uel potius Cap
padocis magni.
Ameos,
Chamædryos,
Chamæpityos campeſtris Cretenſis,
Hypociſtidos ſucci flauentis,
Malabathri foliorum,
Terebinthinæ,
Nardi Gallicæ puræ,
Gentianæ radicis,
Aniſi ſeminis torrefacti,
Mei Athamantini.
Succi acaciæ, adhuc humidæ, Damoc.
Fœniculi Cretenſis ſeminis,
Terræ Lemniæ,
Chacitidis toſtæ,
Amomi,
Botryos,
Acori,
Phu pontici,
Carpobalſami,
Hyperici Cretenſis ſeminis,
 Gummeos,

Gummeos,
Cardamomi Indici, Cardami,hoc eſt naſtur cij Auic.&Nic.ana drach.quatuor,Andromach.drach.duas,Damoc.
Dauci puri Cretici ſeminis,
Galbani,
Sagapeni recentis & ueri,
Opopanacis,
Bituminis Iudaici,
Caſtorei ſeu Caſtoris teſticulorum,
Comę centaurij Cretici tenuis, non recẽtis,
Radicis tenuis ariſtolochiæ probè ſiccatæ, longæ Nic.rotundę Auic.ana drach.duas Androm.drach.unam Damoc.
Mellis Attici drach. centumq́ quinquaginta, ſeu libras decem Androm,
Vini falerni, aut optimi ueteris odorati, quod liquoribus & gummis diſſoluendis ſatisfecerit.

*Mumiæ Nic. Beizeard & Auic.add.*

Theriaca Antidotus nobiliſsima, quæ antè à tranquillitate quam ægris pręſtabat γαλήνη dicta eſt,hác ſortita eſt deſcriptionem. Cuius parandæ modus ex Galeno cum Actuario ponendus eſt.

Paſtilli theriaci, ſcillini, magma hedicroi: tria piperis genera: herbæ,radices,ſemina,roſæ ſiccæ, agaricum:crocus ſi ſiccus fuerit,ſphragis lemnia,chalcitis toſta, amomum,cinnamomum,caſsia fiſtula, opobalſamum, acacia (niſi mollis fuerit &liquida) caſtoreum,aſpalathus: ſicca

ſicca hęc terantur in pila Aegyptia, uel alia duriſsima, ne aliqua huius ſubſtantia inter tundendum extrita, cum his prædictis remiſceatur. Leuigata hæc cribro tenuiſsimo incernantur, ut in corpus promptius penetrent. Myrrha autem & crocus, ſi non ſit ſiccus, uino macerata lęuigentur: ſi tibi ita tutius fieri uidebitur, ut crocus natura humidus non teratur. Omnes item ſucci & lachrymæ, ut ſagapenum, opopanax, opium, acacia (ſi liquidior eſt, & tundi contumax) ſuccus hypociſtidos, ſuccus glycyrrhizæ, uino perfuſæ ſoluantur, & ad lęuigationem fiant idoneæ. Sed thlaſpi & rapi ſemen ſatius eſt per ſe in pila tundere (quia cum alijs tuſa mortario hærent) deinde uinum affundere, quoad exactè diſſoluantur: tunc miſce his quæ uino macerata & lęuigata fuerũt. Sic thus per ſe in mortario terere prętat: ſed leuiter, ne lateſcat, & cretum in promptu habere: ut inſpergas his quę uino lęuigata ſunt. Gummi uino infuſum macerari poteſt. ac ipſum uel per ſe, uel cum thure lęuigari. Sic quędam ex uino, alia per ſe lęuiganda. Cùm hæc omnia uniendi tempus erit, in uaſe duplici liquentur cum melle, prima reſina terebinthina, poſt hanc ſtyrax & galbanum prius confracta & contuſa in pila, piſtillis aut uectibus ferreis, pauciſsimo melle crudo inſtillato. Vbi hæc noſtris digitis dilatata fuerint, iam liquata in melle reſina excipiantur, atque ita denuò operculo uaſi im-

posito resoluatur. Satius enim est mel simulatq; hæc fuerint iniecta, minimè agitare: sed operculato uase quod aquæ insistit, coctionem moliri. His uerò liquefactis, arida immitte his quę lęuigata ex uino fuerint: & misce denuò, dum abundè crassescant. Atq; ita paulo pòst his quę in mortario sunt, cochleari magno quæ liquefacta sunt, paulatim affunde tepida: & uir aliquis robustus ipsa in unitatem cogat. Vbi probè coierint, & crassamenta adepta fuerint, crassamque massam ostenderint, mellis cocti mediocriter & despumati nonnihil inijce: mox aliquam tritorum & cretorum portionem: deìnde rursus mellis quippiam. postea liquefacta misce tepida, & omnia in ampla pila cochleari ualenter contere, & adijce quæ ex aridis supersunt, & mel. Vbi omnia ex cochleari unita fuerint, tunc in pilam conijcere oportet, ac uectibus ferreis adamussim repurgatis, ne quid hæreat rubiginis, assiduè tundere, illitis opobalsamo uectibus: siquidem à tenaci medicamenti lentore detinentur, ut haud facilè à tundentibus attollantur. Præstat autem in sole tundere: ita nanque citiùs cuncta in unum coalescũt. Postea pilam quæ medicamentum continet, contegere oportet: & post quatuor aut quinq; dies similiter in sole tundere: atque id opus iterum atque iterum sex aut septem dierum interiecto spacio, ad duos menses, aut omnino dies quadraginta repetere. Tunc manu opobalsamo

balsamo

balſamo pauco intincta, in uaſa precioſa reponatur: ſic tamen, ut illa non repleantur: ſed ſpacium aliquod relinquendum, quo perſpiret. Ad hæc, operculum ſæpe detrahendum eſt, ut liberius exhalet, & maturior ipſius uſus tibi cõtingat. Longo enim tempore ad ſui coctionẽ antidotus eget. Color eius, quia uirtutẽ nõ mutat, parui faciendus eſt. Nigricat autem, niſi propter chalcitidem malè uſtam, flauum aut fuſcum medicamẽtum fiat: quæ quamuis pauca (drach. enim quatuor in totum recipit) aliorum tamen colorem ſuperat. In quo non aſpernanda mihi uidetur eorum opinio qui chalcitidem abdicant: non tam coloris lenocinio, quàm grato medicamenti ſapori intenti. Aeruginoſo enim & uiroſo ſapore totam compoſitionem inficit chalcitis, ut ſua abſentia non temerè gratiorem palato ſaporem faciat. Sed quia nigredo uehementer in theriaca ab antiquis expetita eſt, cremandæ chalcitidis ratio ex Aetio & Actuario depromenda eſt. Quatuor in uniuerſum chalcitidis drach. antidotus accipit: uerùm multo copioſiorẽ quàm hic ſit modũ aſſare conuenit. Crudæ itaq; chalcitidis drachmas non pauciores quadraginta in ollulam conijcito: quam deinde candentibus carbonibus non operculatam impones, ac ſimulatque fuſum fuerit medicamentum, ac leuiorem & ſpumoſiorem eius portionem ſuperuehi conſpexeris, ſtatim tollere, humique deponere

*Chalcitidis aſſandæ modus.*

nere oportet, & nequaquam, quemadmodum consueuimus interdum, perinde ut ij faciunt qui ignem suscitant, inflare ipsi conuenit (mirum enim est quàm ita rufus & flauus color excellat) sed ne soli quidem exponere: uerùm refrigeratæ capere quod spumosissimum insidet, nihil habens in se rufi, neque flaui aut pallidi. Chalcitidis enim ustæ colorem subalbidũ, aut cinereum, non fuluum, aut ex pallido flauum, probat Galenus. Deinde experientiæ gratia, eius exiguum quiddam sumere oportet, ac læuigatum intueri, num quid post læuigationem quispiam ex enumeratis coloribus appareat. Quòd si qualem sumpsimus perdurauerit, porraceum cinereumúe colorem referens, eius drach. quatuor adijcere cõuenit: tale siquidem exiguum ex tam copioso combusto reperies. Atq; hic est chalcitidis urendæ modus ex Gal. lib. 2. de Antid. desumptus, quem in Theriaca se scripturum receperat lib. 1. Comp. phar. gen. Est & Chalciteos ustrina & apparatus apud Oribasium huic ualde affinis. Theriacam porrò sic cõfici uult Aetius, ut cinnamomum, crocum, hedycroi magma, rheum, per se teri suadeat. Herbas, radices, & omnia arida simul tundit: semper similia cum suis similibus, aromata per se, ac reliqua etiam per se seorsum. Postea casiam & lemniam terram in pila cum uino optimo terit atque unit: melleque despumato omnia excipit. Valerij Cordi præparatio non admodum

*Lib. 1. Comp. phar. gen.*

*Lib. 13. ad Iul. Imp.*

admodum ab his disſimilis eſt, & facilitate ſua commendabilis, omnibusq; in promptu, quo iure Pharmacopœis ommnibus imitãda. Theriacæ uires ex Gal. monimentis ſic decerpunt Actuarius & Alexandrinus. Ipſa aduerſus maxima mala medicamentum alexiterium eſt expertum. Datur in uenenatis medicamentis, aut uenenatorum plagis, nucis ponticæ magnitudine cum uino. Capitis dolores diuturnos, uertigines, auditus graues, hebetudines oculorũ, guſtus inſtrumẽtum debilitatum, comitialem morbum, non niſi recta ceruice ſpirantes cum mulſa pota ſanat, diſſecans, attenuans, & eductu faciles reddens humores. Succurrit etiam recenti & ueteri tuſsi, & ijs quibus thorax dolet. Febre carentibus ex mulſo: febricitantibus autem ex mulſa. Conuenit ſanguinem expuentibus, ſiue à thorace, ſiue à pulmone eductio fiat. Siquidem recens eductio ſit, cum poſca: inueterata uerò cum aqua decocti radicis ſymphyti mane & ueſperi ſimiliter. Stomachi uicia, uentriculi difficilem coctionem & imbecillitatem emendat. Inflationes ſtomachi & inteſtinorum cruciatus ſedat, aut colum diu dolentes, aut ileoſos placat. Datur nucis ponticæ magnitudine cum aqua calida. Valet etiam in cardiacis, & ijs qui animo linquuntur, & cholericis. Lumbricorum omne genus mirabiliter exigit, cum ſucco mentę data. Hepaticos affectus, itemque morbo regio laborantes ſtrenuè curat.

*Theriacæ uires.*

rat.

rat. Febre carentibus cum uino mulſo, febrici-tantibus autem cum tepida aqua data. Induratos lienes liquefacit, ſordes in ijs conſumens cum oxymelite data. Deterit & lapides renũ, cũ decocto apij & petroſelini, aut ſemine dauci, aut quorundam aliorum, & difficilem mictionem ueſicę: & in ipſa exulcerationes interdum ſanat, cum decocto chamæmeli febre uacantibus data, aut cum uino dulci. Præbetur quoque in omnis generis rigoribus diuturnis. Maximè uerò quartanis, ſi quis ea artificioſè utatur, hoc eſt poſt inclinationem. Datur etiã hydropicis cum aſari decocto, & ſimilibus malis: potiſsimùm uerò ijs qui anaſarca laborant. Elephantia quoque correptis ſæpe auxiliatur. Et partium corporis reſolutiones in potu accepta ſæpe ſanat. Mulierum purgationes mouet, & mortuos fœtus eijcit, data cum paſſo aut aqua mulſa: ruta tamen, aut dictamno prius in ijs liquoribus incoctis fabæ magnitudine. Podagra afflictis, & articulorum defluxione infeſtatis conducit poſt inclinationem, non ſemel tãtùm, ſed multoties etiam pondere drachmæ unius pota, pro uiribus & ægri temperamento. Opitulatur dolentibus etiam impoſita. Admirari autem oportet hanc antidotum, quòd non modò corpori, uerumetiam animo malè affecto medetur. Ex atra enim bile natas diuerſas imaginationes, hoc medicamentum exhibitum ſedat, è uaſis lienis atram bilem ueluti

eluens

eluens & exhauriens, quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum uenenum, & aquæ formidinem (hydrophobiam uocant) pessimum sanè, & curatu difficilem morbum, aut potius incurabilem, assiduè data sæpe sustulit. In pestilentibus similiter constitutionibus præsumentes ipsam, hoc malo corripi prohibet. Hyemis tempore iter facientibus cõsulo, ut ex ipsa sumant. Est enim ueluti bonum uiscerum integumentum, quòd plurimum ijs qui eam sumpserunt, calorem exhibeat. Dare oportet hoc medicamentum, cùm probè concoxerit qui ipsum accepturus est, neque cibis refertus sit. Bibat autem ieiunus: & iube, ut sufficienti tempore à cibis abstineat, quo medicamentũ concoqui possit. Inspicere uerò etiam oportet tempus & ætatem eius qui sumpturus est. Aestate enim neque omnino dabis, neque in uigore ætatis existentibus: ut qui plurimùm habeant caloris, neque sæpius medicamentum ipsum exhibẽdum esse hortor. Ijs uerò qui iam uitæ declinationem attigerunt, pituitosis, nauseabundis, & cruditate laborantibus, ijsq; qui cibum non appetunt ex melancholia aut frigiditate, hanc sæpius & plurimam exhibere conuenit. Similiter etiam ijs qui stomachi inflatione laborant, & uteri malis, non cum aqua, sed cum uino bono ac ueteri, consulo hanc frequenter esse sumendã. In biliosis, febricitãtibus & pueris, omnino eius exhibitionem uitare oportet.

Maior enim eſt eius facultas, quàm uires eorũ tolerare poſsint, eo quòd illorum corpora facilè diſſoluat, & innatum ſpiritum celeriter extinguat. Atq; hæc de theriacæ uiribus ex Galeno dicta ſunto. Non ignoro nobiliſsimis quibuſdam noſtræ tempeſtatis Medicis, ſingularem eorum quæ theriacam conficiunt raritatẽ, celeberrimæ Antidoti facultates deſperaſſe, quòd magna uerorum ſimplicium penuria diligentiam noſtram infamet, ut omittam Arabũ in huius deſcriptione uarietatem. ſed profectò iſta nullo modo ueterum autoritatem conuellunt: nec ſi quid nos deficit, protinus ingenij ſecuritate maiorum fides antiquanda eſt, quin potius ſumma diligentia ex remotiſsimo orbe ad commendatiſsimi medicamenti ſupellectilem materia petenda eſt. Theriaca uera nos uti nõ poſſe, contendũt Leonicenus in erratis Medicorum, & Manardus Epiſt. 3. lib. 6. & Fuchſius Parad. lib. 1. cap. 42. Ea tamen neutiquam maiorum luminibus obſtruunt. Quin theriacæ laudes exequitur Alexand. Aphrodiſienſis lib. 1. Prob. ult. Et theriaces Antiochi compoſitionem deſcribit Plinius cap. 24. lib. 20. Theriaca Diateſſaron, quòd ex quatuor rebus conſtet, Meſueo & Auicennæ deſcribitur, ad uenenatos morſus & potus efficax, omneſque cerebri frigidos affectus, conuulſionem, reſolutionem, morbũ comitialem, ſpaſmum cynicum, uentriculi inflationẽ, & coctionis tarditatem, non

*Theriaca Diateſſaron.*

non multùm diuersa à theriaca Alexandrini, quam ex herbis parat. Chamædryn enim illic pro myrrha recipit. Venenatis ictibus admota & epota benefacit. Nicolaus multis alijs additis, ampliorem theriacam Diatessaron facit. Mulomedici Absyrtus & Vegetius addito ebore Diapente faciunt, seruandis ueterinis saluberrimam. Hanc passim agyrtæ circumferũt, & pro magna theriaca uenalem exhibent. Datur theriaca ad præcautionem quidem, fabæ Aegyptiæ magnitudine, semel cũ tribus aquæ calidæ cyathis. Ad curationẽ uerò sumpti iam ueneni, quotidie bis detur, quadruplo uel quintuplo aucta. Capitur autem hora somni, uel mane, uel utroq; tempore. Mane quidem, his qui die ægrotant: uespere uerò, his quibus nox est molestior. Danda potui, nec recens nimis, nec uetustate perarida: qualis si fuerit, cum pauco melle iterum feruefacienda, & diu terenda, ut in usum ueniat: sed tamen paulò inualidior, quàm quæ simplicem mixturam experta est. Recens præpollentem adhuc habet opij frigiditatem, ideoque stupefacit, nec aliquid præstat promissarum uirium, quoad fuerit percocta. Tẽpore uerò longo, plurimùm annis duodecim ad coctionem eget antidotus. Vigẽtior autem ualidiorque est ab anno quinto, sexto, septimo: pręsertim in his qui à uirulentis feris, aut cane rabido morsi sunt, & pharmacis lethalibus petiti. Hi enim omnes, cùm grauem no-

xam ab his uenenis acceperint, potentiore theriaca indigent. In alijs autem affectibus ubi tāta noxiæ cauſa non eſt, ſufficit uel ſexagenaria. Potens enim eſt ad annos triginta.

## *Mithridatios Antidotus ex Andromacho.*

℞ Acori,
Phu pontici,
Hyperici,
Acaciæ,
Gummi, ana drach. duas.
Scinci, drach. duas, obolos duos.
Aniſi, drach. tres.
Folij,
Nardi Indicæ & Gallicæ,
Roſarum ſiccarum,
Fœniculi ſeminis,
Mei Athamantici,
Cardamomi,
Gentianæ, ana drach. quatuor. alijs trium poſtremorum drach. tantùm duas.
Opij drach. quatuor, ob. duos.
Petroſelini, drach. quatuor, ob. tres.
Caſsiæ nigræ & ueræ,
Polij,
Seſeleos,
Coſti, ana drach. quinque, ob. duos.
Gallij, drach. quinq;, ob. tres. alij drach. ſex.
Styracis, drach. quinque, ob. quatuor.

Myrrhæ,

Myrrhæ,
Caſtorij,
Thuris,
Hypociſtidis ſucci, ana drach. ſex.
Spicæ nardi,
Opopanacis,
Schœnu anthos,
Reſinæ Terebinthinæ,
Scordij,
Sypheos, ana drach. ſex, ob. duos.
Dauci ſeminis, drach. ſex, ob. tres.
Opobalſami,
Thlaſpeos, ana drach. ſex, ob, quatuor.
Galbani, drach. ſeptem.
Croci,
Cinnamomi,
Zingiberis, ana drach. ſeptem, ob. duos.
Glycyrrhizæ, drach. ſeptem & dimidiam, & ob. quatuor.
Vini Chij quod ſatis ſit.
Mellis Attici cocti quantum ſufficit.

Mithridatios Antidotus celeberrima ad lethales & uenenatos morſus, à Mithridate Pōti & Bithyniæ rege famam & nomen accepit. Longo enim uſu comprobata medicamenta, quæ uenenis omnis generis reſiſterent, concinna inter ſe mixtura ita temperauit, ut antidotum ad deleteria ualde efficacem reddiderit: cuius quotidiano uſu corpus ita aſſuefecit, ut aduerſus uenenorum pericula tutum effe-

cerit: nec tandem quæſita per uenena, morte non niſi transfixo iugulo interire potuerit, ut ſcribit Galenus lib. 2. de Antid. Ei enim uni (ut inquit Plinius) excogitatum fuit quotidie uenenum bibere, præſumpto hoc remedio, ut cõſuetudine ipſa innoxium fieret. Mithridatium uiribus affine eſt theriacæ, niſi quòd ab ea in uenenatis ſerpentum morſibus ſuperatur. Atque adeò Andromachus theriacam ipſam ex Mithridatio decerpſiſſe uidetur: & eſt Mithridatis theriace, lib. 2. de Anti. qua ſemper uſus eſt Mithridates contra uenena lethalia, quaq; utebatur Andromachus, ut ferè dimidium theriacæ prius deſcriptę eſſe uideatur. Hoc Andromachi mithridation à pleriſque Rom. Imperatoribus ualde probatum, non immeritò prætulerimus Nicolai farragini ex ſimplicibus cẽtum & octo circiter conflatæ. Valet autem ad capitis, aurium, oculorum, dentium, pulmonũ, uentriculi, inteſtinorum affectus frigidos, hoc eſt, pituitoſos, melãcholicos: ſeu ad ſtuporem, paralyſim, apoplexiam, epilepſiam, ſpaſmum, tetanum, cephalæam, hemicraniam, maniam, melancholiã, grauem auditum, oculos lachrymãtes, odontalgiam, cynanchem, aſthma, ſputum ſanguinis, peripneumoniam, lienteriam, dyſenteriam, ſiue ſumatur, ſiue admoueatur. Pręterea ad frangendos calculos, menſes ciendos, omnia uteri uitia, ſcirrhos, podagras, morſus & ictus uenenatos, morſum canis rabidi, ad febres

*Lib. 25. cap. 2.*

febres quotidianas & quartanas initio accesſionum, cocta iam materia, in modum auellanæ cum uino uel aqua, cui ſaluia uel menta ſit incocta. In alijs autem ueſpere ſumpta, uel admota. Diuturnis ſtomachi defluxionibus & thoracis prodeſt. Tabidis, uentris inflationibus, cœliacisque medetur. Bonum corporibus colorem conciliat. Appetentiam immutatam reſtituit, ex morbo languidos reficit, difficultatẽ urinæ ſanat, melancholiam non ſinit conſiſtere, mortuum fœtũ eijcit, uiſum acuit. Præſumpta non permittit lædi à lethalibus pharmacis. Omnibus in profundo corporis factis exulcerationibus & abſceſsibus benefacit. Quæ omnia per internos omnes affectus intelligit Andromachus. His qui media ſunt ætate, nec febricitant, cum uino datur, aut mulſo, aut condito. In obſtructionibus iecoris & febricitãtibus datur, ex aqua aut mulſa. Paulus lib. 7. aliã Andromachi mithridation Dia ſcincu deſcribit: cuius etiam meminit Actuarius. Sunt & duæ mithridatij deſcriptiones apud Nic. Alex. ab hac differentes, ex quibus tamen ambitioſa illa Præpoſiti mixtura deſumpta eſt. Eſt & mithridatios Damocratis ualde probata, lib. 2. de Antid. uerſibus deſcripta, cuius ſchema ſtatim licebit proponere. Celſus quoque libro quinto, Mithridatis medicamentum nobiliſsimum aliter etiam deſcribit. *Cap. 23.*

## *Mithridatios Damocratis.*

℞ Myrrhæ Arabicæ trogloditidis,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Spicæ nardi,
Thuris,
Thlaſpeos, ana drach. decem.
Opobalſami,
Seſeleos,
Schœnu anthos,
Stœchados,
Terebinthinæ,
Galbani,
Coſti,
Piperis longi,
Caſtorei pontici,
Hypociſtidis ſucci,
Styracis boni,
Opopanacis,
Foliorum malabrathri noui, ana drach. octo.
Caſiæ nigræ,
Polij,
Piperis albi,
Scordij
Seminis dauci Cretici,
Carpobalſami,
Cypheos,

Bdellij,

Bdellij (quod quidā addūt) ana drach. septē.
Nardi puræ Celticæ,
Gummeos,
Petroſelini,
Succi papaueris,
Cardamomi,
Fœniculi ſeminis,
Gentianæ,
Florum roſæ, ana drach. quinque.
Dictamni Cretici paulo amplius, uel æqualem portionem.
Aniſi,
Arij,
Acori,
Phu,
Sagapeni, ana drach. tres.
Meu Athamantici,
Acaciæ,
Scinci uentris,
Hyperici ſeminis, ana drach. duas & dimidiā.

Vini mediocris modus, & mellis ſimiliter quod moderatum fuerit. Cypheos uerò compoſitionem poſtea in trochiſcis ex Damoc. deſcribemus.

## *Aurea Alexandri Antidotus.*

℞ Aſari,
Carpobalſami,
Seminis hyoſcyami, ana drach. duas & dimidiam.

Caryophyllorum,
Myrrhæ. Baccarum myrti Act.
Cyperi,
Opij Thebaici,
Opobalſami,
Cinnamomi,
Folij,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Coſti,
Corallij rubri,
Caſsiæ ligneæ,
Euphorbij,
Tragacanthæ,
Thuris,
Styracis,
Nardi Celticæ, Saluiæ Alexandrinus,
Mei,
Cardamomi,
Seſeleos,
Napeos, ſeu ſeminis ſinapis, cuius loco apium ponit Act.
Saxifragæ Act. radicis ſaxifragiæ alij.
Aneti, omittit Act.
Aniſi, ana drach. unam.
Xyloaloes,
Rhei, alij rheum & rhabarbarum addunt.
Luphiæ compoſitæ Act. Aliptæ moſchatæ, quod idem eſt, alij.
Caſtorei,

Spicæ

Spicæ nardi,
Galangæ,
Opopanacis,
Anacardij,
Maſtiches,
Sulphuris uiui,
Pœoniæ radicis,
Eringij,
Carnis palmularum, } addit Alexandri-
Been albi & rubri } nus.
Roſarum, omittit Act.
Thymi,
Acori,
Pulegij, cuius loco Halicacabum ponit Act.
Ariſtolochiæ lõgę, Act. & Alex. utriuſq;, alij.
Gentianæ,
Corticis radicis mandragoræ,
Chamædryos,
Phu, Act. & Alex. radicis Valerianæ alij.
Baccarum lauri,
Dauci Cretici,
Ameos,
Macropiperis,
Leucopiperis, quod omittit Act.
Xylobalſami,
Carui, omittit Act.
Amomi,
Petroſelini aut Macedoniſij,
Lybiſtici ſeminis,
Seminis rutæ,

Sinonis, cuius loco hyſſopum ponit Act. & electrum addit, ana drach. dimidiam.

Auri & argenti limaturæ tenuiſsimæ,

Margaritarum Act. non perforatarum Alexand. ambarum alij,

Blattæ Byzantiæ,

Oſsis è corde cerui, ana gr. quatuordecim.

Limaturæ eboris,

Calami odorati,

Pyrethri, ana gr. nouem uel octo, Alex. nouē & uiginti.

Mellis deſpumati quod ſufficit, libras tres Arnoldus. Mel tacet Act. Nic. uerò Alexandrinus addit in fine, ſapphiri, ſmaragdi, iaſpidis, ſing. drach. unam. nucis auellanæ drach. duas.

Hæc Antidotus aurea, uel ab auro quod recipit, uel à precio & uirium præſtantia dicitur. Efficax eſt contra capitis defluxiones frigore conceptas. Dolorem enim confeſtim mitigat, oculorum lachrymas ſiſtit, dentium dolores ſanat: capitis omnem noxam à frigido & humido, non modò epota, ſed & impoſita, & frōti illita propellit. Comitialibus, uertiginoſis, paralyticis, apoplecticis benefacit. Furioſorum imcompoſitos motus compeſcit. Tabidis, tuſſiculoſis, aſthmaticis, ſanguinis eductionibus, cardiacis, iſchiadicis, colicis, nephriticis, dyſuriæ, ſtranguriæ, iſchuriæ præſenti eſt auxilio. Calculos renum & ueſicæ comminuit. Quotidianis

tidianis & tertianis febribus, circa accessionis initium cum decocto stœchados eximiè medetur. Presumpta hæc Antidotus, & in consuetudinem uocata ab apoplexia & colico morbo facilè uindicat. Has eius uires ab Actuario celebratas, fusius explicat Arnoldus lib. de Antidotis. Initiò stupefacit, ut theriace. inueterata coctis simul omnibus calida euadit: ideoq; ad prædicta mala, affectusque frigidos multùm potest. Datur utentibus nucis auellanæ quantitate. Ceterùm si Mithridation & Theriacam celeberrimas maiorum antidotos respicias, nihil est quòd Auream, aut Esdram, aut Athanasiam requiras. Quas profectò non eram appositurus, quòd earum usus apud nos euiluisset, nisi in animum induxissem, quòd à ueteribus summa contentione probatum fuisset, id à nobis negligi non oportere, ne quid maiorũ iudicio à me detractũ quis existimaret. Esdræ quatuor descriptiones habet Nic. Alex. quarũ prima cum Actuario consentit. Secunda uero ex Aetio sumpta est. Meminit Paulus libro septimo, & Auicennas libro quinto, qui Esdræ theriacam duobus modis describit. Diaolibanum Mesues & Actuarij raritate sua exoleuit. Quare satis fuerit eorum uel nominatim meminisse. Atque adeò hactenus Opiatarum confectionum recensio facta est.

*Esdra.*

*Lib.13.cap. 101.*

*Diaolibanũ.*

DE

# DE CATHARTICIS ET SOLVTIVIS,

## SECTIO TERTIA.



Ertius superest solutiuorũ delectus faciendus, quæ ut uniuersali Antidotorũ nomine insigniuntur: ita & in toto opere medico non temerè clauum tenent, aut utranque paginam faciunt. Medici enim prudentiam circunscribũt, ne infrà quàm par sit subsistat: aut etiam ne excussis habenis laborantis spem in præsentissimum discrimen adducat, aut miserè uexatam in sexcentas calamitates conijciat, & torminibus, uertigine, cõuulsionibus, animi deliquijs, alijsque permultis noxijs conficiat. Qua in re prudẽter à maioribus cautum est, ut καθαρτικῶν usus à mitioribus inciperet: tũ uerò experiundi laborãtis sensus ergò, tum etiam, ut usu maiora ferre condiscat, & uires tentẽtur, non autem periclitentur. Est tamen quoddam, ut & in bene instituta præceptorum ratione medium, ad quod recta mentis acie collimantes, calumniam effugimus, ægrumque reapse & consilio iuuamus. Etsi enim in infinita naturarũ uarietate id nõ usqueadeò certũ est, ut medici iudicio labefactari nõ possit aut debeat: magnũ tamen

*Galenus ad Glauc. lib. 1. lib. 2. De rat. uict. in morb. ac. lib. Meth. 3. & lib. De sang. miss.*

men eſt,& laude dignum, id uſu eſſe comprobatum, quod uitæ retinacula teneat, ne confidens imperitorum manus temerè per miſerorum mortes obambulet. Huc autem tractanda ueniunt medicamenta purgătia quæ Electuariorum formis cõtinentur, & ad potiones medicas in uſum ueniunt quotidianum. Quędam enim forma liquida, quædam etiam ſolida in officinis repoſita aſſeruantur. Quæ pro uarijs morborum caſibus diuerſis liquoribus in potiones ſoluuntur: modò etiam integra & ſolida deglutiuntur, additis quibuſdam ſimplicibus medicamentis, quo purgătium facultas acuatur, & uires acquirat. In quo non niſi ſagaci iudicio circunſpecta propria cuiuſq; natura, certus modus adhiberi poteſt. Sunt enim quibus obtuſior ſenſus, corpus medicamentis habile uix reddat, atque adeò prępotentiora medicamenta requirunt. Non ſecus ac quibuſdam delicata ſenſuum uis uel minimis offenditur, uel lubrica corporis fluxilitas, inſtrumentorũ mollities, humorũ promptiſsima deturbatio, lentiſsimis medicamentis paret. In eorum uerò apparatu unicè obſeruãdum, ut guſtum iucunda condulcatione fallamus, ne ſtomacho purgantia inimica negocium faceſſant. Qua in re quędã eligimus, quæ robur ſtomacho addunt, & uim medicamentorum refręnant. Ad quem uſum maſtichẽ Chiam, cydonia ipſa addimus, & quædam purgantia dactylorum pulpis retunduntur.

tunduntur. Quædam etiam medicamentosis uiribus iuuantia admiſcentur, dum per incuneatas & infarctas capacitatum uias aditum purgátibus faciunt, & humorum craſsitie euicta diſsipatas reliquias deturbant. Quę purgátium diſciplina, cùm per latiſsimos medcinæ campos amplè fuſa ſit, totumque Medici iudicium ad ſe conuertat: neq; poteſt his anguſtijs expediri: nęc uerò in numerũ cogi, ſed ex ſolidis maiorum monimentis, uelut ex uberrimis fontibus penitus haurienda eſt.

## *Diaphœnicon Meſ.*

℞ Dactylorum fuluorum & immaturorum, aceto per triduũ maceratorũ, drach. cẽtum.
Penidiorum hordeatorum drach. quinquaginta.
Amygdalarum purgatarum, drach. triginta.
Turbith, drach. triginta quinque.
Scammonij, drach. duodecim.
Zingiberis,
Piperis longi,
Foliorum rutæ ſiccorum,
Cinnamomi,
Macis,
Ligni aloes,
Aniſi,
Fœniculi,
Dauci,

Galangæ,

Galangæ, ana drach. duas & dimidiam.
Omnia probè trita, mellis despumati triplo excipienda.

Hoc electuarium ex palmulis usu ipso admodum receptum, pituitam præcipuè, deinde bilem quoq; deturbat. Larga enim turbith copia scammonium superat. A' quo profectò appellationem sumere poterat, nisi aliud Diaturbith cap. de Turbith descripsisset Mes. aut palmularum magna copia nominis prærogatiuã haberet. Viribus conuenit cum electuario Indo maiore: sed clemẽtius purgat, & bilem scãmonij ratione magis educit. Ideoque febribus complexis & diuturnis, ex diuersa humorum connexione præcipuè benefacit. Tertianis nothis ex bile flaua & pituita conuenit. Ventriculi dolorem, & totius uentris intemperiem frigidam sedat. Colicis cruciatibus, plurimisque alijs malis humorum cruditate obortis confert. Podagras frigidas iuuat, & thoracis, capitisque affectus frigidos. Cuius etsi uariæ sunt designationes à quibusdam usitatæ: in hac tamen nobis cõquiescendum existimamus. Nam quòd quidam, ut cæterorum pondus uariant, ita & scammonij drach. undecim: alij duodecim, alij duos & uiginti, alij tres & uiginti ponunt. Id quia inscijs Medicis imponũt, in ægrorum perniciem fieri censendum est. Aetius lib. 3. Oxyporion Diaphœnicon facit bilem flauã *Cap. 92.* educens, ictericis & tertianarijs accommodatum.

tum. Alexandrinus quoque Diaphœnicon ex palmulis posuit, ad solius bilis expurgationẽ, quòd solùm scammonium ex purgãtibus medicamentis accipiat: quo solo & palmulis ipsis cũ hoc cõsentit. Auicẽnas uerò lib.5. ex tribus Diaphœnici descriptionibus, mediam non admodum dissentaneam facit. Palmulæ hic addũtur non alio iure, quàm quòd adstringẽtia medicamentis purgantibus, libenter ex Gal. præscripto admiscemus: quorum uis confirmato uẽtriculo, alienam catharticorum qualitatem eludat, & effrenatam actionem inhibeat. Non secus ac uirosum scammonij gustum cydonijs reprimit Galenus lib.1. Alim. Nec enim placet palmulas addi, ad impediendam longè transmissam medicametorum actionem, quam uerius sublatis uaporibus adiuuant. Scammoniũ autem crudum admiscẽdum, quòd aromatum & palmularum cõditura, aut penidiorum lentore probè temperetur. Certum est hoc medicamentum, etsi usu quotidiano abundè tritum est, nauseam propter palmulas aceto maceratas promouere, & tormina facere, præcipuè si melle non satis expumato condiatur. Quamobrem quidam saccharo solida forma addito, leuistico & nucleis pineis parant: gratius quidem, sed non æquè efficax. Dosis est Mesueo ab aureis tribus ad septem. Nos uerò drachmas octo non excedimus, & creberrimè drachmas sex cum infuso aliquo propinamus. Cuius

*Lib.3. Simpl.*

*Diaphœnicõ forma solida.*

ius uim mirificam cum ſennæ decocto in dies experimur.

## *Antidotus Catholica Nic.*

℞ Caſsiæ fiſtulæ purgatæ,
Pulpæ tamar Indorum,
Sennæ mundatæ, ana unc. octo.
Rhabarbari,
Violarum,
Polypodij,
Aniſi, ana unc. quatuor.
Glycyrrhizæ raſæ,
Penidiorum,
Sacchari candi, ana drach. quatuor.
Seminum quatuor frigidorum maiorum purgatorum, ana unc. unam.
Polypodij alterius lib. unam, tritum in aqua coque diu, colatum percoque in ſyrupum, cum libris octo ſacchari.
Caſsiam & tamar Indos in colati parte diſſolue. cola, ſyrupo iam percocto adde: poſtremò pulueres adijce.

Hæc Catholicæ Antidoti deſcriptio ſoli Nicolao debetur, qui eam ex duobus Alexãdrini uniuerſalis Antidoti ſchematibus deſumpſit. Quæ etſi longo interuallo diſsident, origine tamen propè conſentiunt. Huius autem nominis inſigne præ ſe fert, quòd uniuerſos corporis humores blandè admodum educat. Sennæ enim & polypodij beneficio atram bilem & ſe-

rosos humores deturbat, ob casiam & thamarindos bilem flauam, ob rheum uerò bilem pituitæ permixtam. Cuius usus, ut tutissimus, ita & creberrimus est, ut nec febrium suspectiones uitare necesse sit. Acutis enim & peracutis morbis facilè conuenit, dum lubrica alui lenitione reliquos humores digerit, & uiscera ipsa corroborat. Lienis & iecoris affectibus præcipuo quodam modo conuenit. Blandum est admodum medicamentum, & quod uehementioribus lenitudinis nomine admisceri possit. Omnibus penè morbis conducit, eaq; ratione Catholici nomen sibi uendicat. Cuius tam secura est tractatio, quāta haud scio an contingat nemini. Ideoq; à quibusdam non indigno nomine Familiæ medicamentū dicitur. Senna, polypodiū, glycyrrhiza, anisum, uiolæ simul teri debét: rheum per sese, non tamen tenuissimè, ne purgatoriorū medicamentorū leges excedat. Semina frigida maiora mundata cum saccharo & penidijs minutim cōcidantur, ne pinguescāt. Casia & tamarindi per se creta, syrupi parte potius dissoluantur, quàm decocti portione, ne acceptum humorem coctione consumere sit necesse. Quòd si decocto soluere uisum fuerit, propè percocto syrupo permisceri debent, ut acceptum humorem deponant: anteaque decoctum ipsum pendendum, ut intelligas, si cretorum tamarindorū quæsitum pondus habeas. Postea uerò prædictorum pulueres, & postremò

postremò rhabarbarum, & concisa semina pau latim addátur, pistillo ligneo probè permiscen do. Pro decocto autẽ polypodij recentis, à quo humiditas tantùm excrementosa exhalarit libra una aquæ, libris duodecim percocta, & libris quatuor diminuta, in syrupum cum libris sacchari octo condiatur, ne necesse sit non determinatum decocti pondus longiori coctura uiolare. Cęterùm in huius quoque medicamẽti forma plurimùm uariant Pharmacopœi, ut rari sint qui in ea, quã proponimus, descriptione secum cõsentiant. Quidam enim plus æquo rhabarbarum augent, & duplo addunt pondere: quidam etiam sennã ipsam quantitate promouent, ut uiribus efficacius medicamentum reddant, & inscijs medicis imponant, quod & in rem ęgrorum est admodum exitiale, & uerò publica censura diligenter animaduertẽdum. Delicatius etiam quidam & sumptuosius hoc modo parant. Sennæ enim unc. sexdecim in libris quatuor, rhabarbari uncias octo, in alia dimidia decocti radicis polypodij infundũt. Sennæ expressum cum saccharo coquunt in electuarij propè consistentiam. Expressum uerò rhabarbari miscent paulatim extra ignem: deinde casſiam, tamarindos & pulueres. Sed nostram hanc uulgarem formulam in omnibus omnium oculis, tanquam uitæ quoddam speculum esse uolumus. Etsi quibusdam Alexandrini posterior descriptio magis arridet, pro-

pter turpetum & diacrydium : quorũ quidem accesſione, Catholicæ antidoti firmiorem denominationem retinet. Sed profectò huius ſolennis antidoti mitiores, nec uerò inefficaces uires quotidie experimur, ut febrium & præcipitium morborum inſultus in hoc medicamento propinãdo ſuſpectos habere nihil ſit neceſſe. Doſis eſt Nicolao à ſemuncia ad unciam. Sed profectò non temerè drach. decem, quibuſdam etiam duodecim propinamus. Benignum eſt enim medicamentum, & quod molliendo tantùm leniat.

## *Electuarium Eleſcoph, aut Epiſcopi Meſ.*

℞ Scammonij Antiocheni,
Turbith albi, ana drach. ſex.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Nucis moſchatæ,
Myrobalanorum emblicarum,
Polypodij, ana drach. duas & dimidiam.
Sacchari unc. ſex.
Mellis deſpumati triplum.

Hoc Electuarium etſi rarum eſt, in uſum tamen deducendum. Omnes enim humores educit, ſcammonij ratione bilem, turbith pituitam, & polypodij bilem atram. Hypochondriorum dolores leuat, totius corporis flatus enixè euincit,

euincit, colicosq; cruciatus proprio quodam modo amuleti uice mitigat. Quam in rem non sine plausu à nobis arripiendum est, cùm obstinatissimos, hoc tractu præcipuè, colici doloris affectus omnino plerunque deleat. Arthritidi conducit, & humores ad renes & uesicam decumbentes expurgat. Venerem etiam excitat. Quidam eo utuntur ad purganda corpora in lue uenerea: sed addito præcipuè lapide lazuli ad drach, duas. & auctis aromatibus, & humores à remotissimis partibus ualenter educunt: indeque chirargicis & podagricis solenne est. Frequentior eius usus est in rotulis, quàm electuarij forma, etsi Manardo huiusmodi placentæ interdum nihil purgãt, ustis scilicet speciebus. Est etiam ubi immodicè purgant, ijsdem simul malè permixtis. Sed certè ista Pharmacopœorum ignorantia potius, quàm medicamenti uitio contingunt. Quòd si in placentas parare uoles, singulis drachmis pulueris, sacchari optimi unciam addes. Ad Electuarium autem parandum, sex unciæ mellis cum æquali saccharo satis sunt: aut ad pulueram unciam unam, mellis uncias tres adiunges. Neque tamen pulueratum saccharum addendũ, ne mellis copiam augeat. Sumptum est ex Auic. lib. 5. à quo tamen cardamomum & piper huic descriptioni adduntur. Potest largius tutò dari quàm scribat Mesueus. Dosis enim drachmarum quatuor est minima, & quæ delicatiori-

bus corporibus etiã conueniat. Musa frequenterdrach. sex. & ijs qui adstrictiorem habent aluum, drach. octo. quibusdam etiam, ut rusticis & fossoribus, drach. decem exhibet. Quin & addito lapide Lazuli, solennem purgationem Duci Ferrariensi bis in anno instituebat.

## *Antid. Hamech. Mes.*

℞ Myrobalanorum flauarum unc. quatuor.
Cepularum,
Indarum,
Rhabarbari, ana. unc. duas,
Agarici,
Colocynthidos,
Polypodij, ana drach. sexdecim, alij drach. octodecim.
Absynthij,
Thymi,
Sennæ, ana unc. unam, alij drach. sex.
Violarum drach. quindecim.
Epithymi unc. duas.
Anisi,
Rosarum,
Fœniculi, ana drach. sex.
Succi fumariæ lib. unam.
Pruna numero sexaginta.
Vuarum passarum purgatarum unc. sex.
Macera omnia sero lactis diebus quinque in uase uitreo, stricti oris & obturati: semel deinde ferueſiant, manibus fricetur & colentur.

lentur. Colato addes caſsiæ fiſtulæ purgatæ uncias quantuor.
Tamarindorum uncias quinque.
Mannæ uncias duas.
Frica manibus, iterum cola. Colato adde ſacchari libram unam & dimidiam: coque ad mellis craſsitudinem, & paulatim hũc puluerem inſperge: Gramo nœ ʒ vſs
Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Indarum, ana unc. dimidiam.
Bellericarum,
Emblicarum,
Rhabarbari,
Seminis fumariæ, ana drach. tres.
Aniſi,
Spicæ nardi, ana drach. duas.

Familiare eſt hoc medicamentũ in cutis uicijs, impetigine, prurigine, & humorũ ſalſugine, quæ ſcabiẽ gignit. Adhibetur etiá in lepra, pſora, elephantia morbo, alphis nigris & cancro. In affectibus melancholicis, mania & melancholia tutò exhibetur. Cachexiam omnem ſanat. Moderatè enim & abſque dolore, omnes humores pituitoſos, bilioſos, & melãcholicos educit: ijsq; deturbandis ſaluberrimè conuenit. Ideoque febribus coniunctis & confuſis, morbisque diuturnis diuerſæ naturæ conducit magis, quàm ſimplici affectui. Serum lactis caprini recens mulcti, & in rem præſentem

coagulati, ad lib. quatuor, quinq; aut ſex ſumitur: & die ſexto parum concalfactum mediocriter exprimitur. Colati portione idonea, diſſoluta caſsia & tamar Indi, manna quoq; ſeorſum, cocto ex reliqua colati parte ſyrupo, cum ſacchari ſeſquilibra miſcētur, & minimùm coquuntur, ne longior coctio uires adimat. Hodie uerò quidam, ne omnino coquantur, expreſſo cum ſaccharo in ſyrupum percocto & refrigerato, caſsiam ſine humore purgatam & tamarindos miſcent: quo tempore pulueres aliorum, & ſcammonium coctum additur. Experientia tamen comprobatum eſt, diutius ſeruari medicamētum, ſi omnia ſimul ebullierint: deinde ſi coctioni perfectę pulueres addantur. Ex duobus Meſ. deſcriptionibus hanc ſolam ſequimur: in cuius doſi admodum eſt ſobrius. Aureos enim duos non excedit, qui profectò nihil aut parum proficiunt. Drachmæ ſex crebrò exhibentur, & leniter educunt. Vncia una tutò datur Manardo, ad pruritum & maniam.

## *Electuarium è pſyllio Meſ.*

℞ Succi bugloſsi domeſtici & ſylueſtris,
Intybi,
Apij coquēdo deſpumatorum, ana lib. duas.
Succi fumiterræ unc. tres.
In quibus macerentur per horas uigintiquatuor.
Cuſcutæ,

Aniſi,

Anisi,
Folliculorum sennæ, sing. semuncia.
Adianti albi, manip. unus.
Asari, drach. tres.
Spicæ nardi, drach. duæ.
Semel feruefiant. Deinde adde
Violarum unc. tres.
Epithymi, unc. duas.
Quæ semel quoque feruefiant & colentur. Colato inijciantur psyllij seminis integri unciæ tres, uigintiquatuor horis maceratæ, horis singulis rudicula agitando.
Deinde sume totius expressæ à psyllio muccaginis lib. quatuor.
Sacchari albissimi lib. duas & dimidiam.
Scammonij in malo cydonio cocti uncias tres & dimidiam.
Coctis omnibus lento igne, ad perfectionem adde
Trochiscorum diarhodon,
Trochiscorum de spodio,
Trochiscorum de rhabarbaro, ana unc. uná.
Trochiscorum oxyacanthæ, unc. dimidiam.
Fiat Electuarium secundum artem.

Raro in officinis usu confectio hæc penè euiluit: quæ tamen ad biliosos & retorridos humores à sanguine præcipuè assato leniendos plurimùm prodest. Bilem quoq; euocat, eamq; maximè quę adustione in atram desinit. Febribus tertianis, ardentibus, lipyrijs, & ob caloris

immodicã intemperiem cõtumacib. medeláq; ferè respuentib. confert. Cephalalgiã, uertiginem ex biliosorum succorũ uaporibus enatam sanat. Ictero, intẽperiei hepatis calidæ, renum quoq; ardori medetur, & siti immodicæ. Lenit magis hoc medicamentũ quàm soluat. Quo nomine quidam scammonium crudũ miscent, ne multiplici coctura uires amittat. Antiquis fuit celeberrimum hoc electuarium: nec ab re quidem ad bilis feruorem retundẽdum, & sanguinis totius fęcem repurgandam. Qua in re eorum uestigijs insistendum lubenter consulo. Aestuosiore enim tẽpestate, & calidiore natura eo medicamento securè utimur ad drach. octo & decẽ: licet Mesueus semunciã nõ excedat. Nec est cur syrupus rosatus solutiuus hanc cõfectionẽ de sua dignitatis sede deijciat. Ichωres enim in toto sanguine exundantes magis quàm bilẽ deturbat. Vocatur etiã Electuarium de trochiscis ab hamech, quòd trochiscos capiat, in quorum descriptione Mesüeus ipse sequẽdus est. Addũt aliqui aceti lib. unã & dimidiã, alij uiòlarũ lib. unã. Hanc antidotũ ferè ad uerbũ repetit Nic. Alexãdrinus, Mesueũ sequutus: ex quo Asari drach. quatuor pro uncijs restituimus. Neq; enim tanta asari copia necessaria est. Cuius quoque apparatus, cùm sit eo qui à Mesueo describitur melior, potius sequẽdus uenit. Aliam habet huius confectionis descriptionem Nic. Præpositus, nullo modo usitatã.

Quidam

Quidam in hoc electuario psyllij copiá ad uncias sex extendunt, cùm illius mucago sumpta, bilem tantùm lubricando soluat, eiusque calorem obtundat, frigida sua substãtia, ut ipsi uolunt. Qua ratione quibusdam sine scammonio paratur: quod satis expresit Alexandrinus.

## *Electuarium de succo rosarum Nic.*

℞ Succi rosarum,
Sacchari optimi, ana lib. uná, unc. quatuor.
Diacrydij, unc. unam, drach. quatuor.
Santali rubri,
Santali albi,
Santali citrini, ana drach. sex.
Spodij, drach. tres.
Caphuræ, script. unum.
Succus rosarum cum saccharo in syrupum percoquatur ad excipiendos pulueres.

Hoc electuarium usu admodum solenne est, & in officinas uenit sub nomine Electuarij de succo rosarũ, ad omnes affectus in quibus bilis flaua redundat, aut biliosi ichores peccant. Conualescentes ex ęgritudine quotidianarios & tertianarios purgat sine molestia, malorũq; humorum reliquias potenter educit. Tertianę, duplici tertianæ, febribus continentibus & biliosis benefacit, malisq; omnibus à calore natis prodest. Præbetur in calidis capitis affectibus, ad purgandam materiam calidam & biliosam. Succo rosarum cum saccharo in syrupum

percocto,

percocto, ſantala & ſpodium puluerata: poſtremò ſcammonium & caphura, utrunque per ſe tritum miſcentur. Succo parciore commodiùs fieret, aut quomodo nunc paramus in tabellas. Magnam recipit ſcammonij copiam, cùm uncia una ſcammonij, ſcriptula duo ferè capiat. Solenne uerò ſit omnibus ſcammoniatis, pro ſingulis uncijs ſcriptulum unum exhibere. Ideoq́ue quidam ſcammonij drach. octo ſufficere credunt. Nicolaus tamen Alexandrinus diacrydij drach. duodecim cum rheo & turbith ponit: ex quo ferè deſcripta uidetur hæc confectio, diciturq́ue Antidotus è zulapio roſaceo purgatoria, & ab Italis zuccarum roſaceum laxatiuum. Nicolaus caſtaneæ magnitudine exhibet. nos drach. quatuor, ſex, aliquando etiam octo non temerè exhibemus. Vſu comprobatum eſt tormina facere, ſed non admodum magna, nec operoſa.

## *Elect. roſatum Meſ.*

℞ Roſarum rubrarum perfectarũ lib. quatuor.
Sacchari libram unam & dimidiam.
Mannæ puræ & recentis unc. ſex.
Scammonij Antiocheni unciam unam & dimidiam.
Coquãtur ſenſim lento igne ad mellis conſiſtentiam: deinde adde
Trochiſcorum de ſpodio unc. unam.
Trochiſcorum oxyacanthæ drach. quatuor.

Galliæ

Galliæ moſchatæ,
Croci, ana drach. duas.
Repone in uaſe uitreo.

Hoc Electuarium roſatum cholagogũ dicitur, clemens & ſalubre in bilioſis affectibus, arthritidi calidę, cephalalgiæ, uertigini, oculorum dolori & ictero conueniens. Nulli tamen eſt uſui, præterquàm quòd in conficiendis catapotijs aggregatiuis, & de Hermodactylis minoribus à Meſueo accerſitur. Etſi quidam eo lubenter utuntur in uirgunculis maturis menſium purgatione defectis, ad ſanguinis feruorem bilioſum expurgandum. Datur à drach. quinque ad ſex. Eſt Tralliani Diarhodon cholagogon, affectus calidos & bilioſos mirè leuans. Eſt & Rhodomeli catharticum Actuarij, ex ſucco roſarũ, ſcammonio, agarico & melle.

*Diarhodon Tralliani cholagogum. Rhodomeli catharticum Act.*

## *Elect. Indum maius Meſ.*

℞ Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Roſarum,
Caſsiæ,
Macis,
Cyperi, ana drach. quatuor.
Santalorũ citreorũ drach. duas & dimidiã.
Nucis moſchatæ,
Ligni aloes, ana drach. duas.
Turbith boni, albi, gummoſi, arundinacei, drach.

drach. quinquaginta.
Sacchari,
Penidiorum, ana drach. uiginti.
Galangæ,
Cardamomi utriusque,
Asari,
Mastiches, ana drach. unam & dimidiam.
Scammonij boni in malo cydonio cocti drach. duodecim.
Terantur omnia, & cum oleo amygdalino dulci fricentur: deinde succis sequentibus excipe.
Succi cydoniorum,
Succi granatorum,
Succi apij,
Succi fœniculi, omnium depuratorum, sing. lib. dimidia.
Decoquantur succi cum melle ad spissitudinem idoneam, & misceantur aromata.

Hac confectione totum uentrem inferiorẽ, atque etiam iuncturas ipsas pituita putri expurgamus. Flatibus dissipandis, & affectibus inde natis, dolorique colico & nephritico plurimùm cõfert. Ventriculum totum, uiscera denique ipsa pituita & bile liberat. Ea sæpissimè in colici doloris uehemẽtia cum prospero successu utimur ad eliciendam pituitam, quæ intestinorum tunicis infarcta, eas distẽdit & lancinat. Neq; enim humores atros uacuat, quod existimãt quidam nomine decepti, Indi deno-
minationem

minationem à nigris & atris ſuccis attribuentes. Propriè nanque pituitam ducit: deinde etiam bilem. Valentius eſt Diaphœnice, ſi in utroque eodem modo ſcammonium adhibeatur. Huius drach. ſex cum tribus caſsiæ drachmis ad renes expurgandos ſimul dabat Manardus. Datur Meſueo ad drach. quatuor cum ſemiſſe, ſed ſubtimidè admodum. Pueris enim uix ea quantitas ſuffecerit. Grandioribus uncia una exhiberi poteſt: præcipuè ſi tribus uncijs pulueris libra una mellis miſceatur, quod eſt Meſueo ſolẽne. Alioqui ſi copioſius ſit mel, ut illius libra una duas pulueris uncias excipiat, maiori copia exhiberi tutò poterit. Tunc enim drachmæ decem aut duodecim uix ſuffecerint. Eſt & electuarium Indum, minus & dignitate, & efficacia præſtantius. Minus enim eſt calidum, ſimplicius & ualentius ad purgandam pituitam & bilem, quàm maius: unde & utilius exhiberi poteſt. Quin & præſcriptionis ſimplicis prærogatiuam obtinet. Nos nanque electuarium Indum cùm ſimpliciter præſcribimus, minus intelligendum eſſe ſignificamus: ideoque in uſu frequentiore eſſe debet, quia efficacius & tam delicatum Manardo, ut poſsit ſine melle in pulueris forma cum iure ſorberi: quod tamen alij negant. Potentius eſt maiore ad eos omnes affectus quibus cõuenit: ſed potiſsimùm conducit, quando ex inteſtinis, iecore, & omni alia corporis parte pituita educenda

da eſt. ualidè enim eam ob magnam turbith copiam deturbat. Febribus quotidianis & nothis à mixta bile ualde eſt ſalubre. Doſis Meſueo eſt ad aureos tres. Nos ad drach. quatuor, quinque aut ſex ſecurè progredimur, cùm uni mellis libræ duas pulueris uncias apponamus. Quòd ſi quis tres uncias ad mellis libram adhibeat, placet Meſuei doſis ad tres aureos, aut drachmas quinque. In hoc ſcammonium ſimpliciter ſcribit Meſueus, ideóque crudum apponendum eſt. Sed hác adhibemus cautionē, ut ſi ſtatim utendum confeceris, diacrydium miſceas: ſi uerò ſeruandum, ante uſum repoſueris, ſcammonium adhibeas. Solemus hæc medicamēta ferè admiſcere lenientibus, & imbecilliter purgantibus, ut caſsiæ & mannæ ad excutiendas eorum uires. Quidam etiam hæc electuaria in confectiones ſolidas perfectè cocto ſaccharo redigunt.

## *Electuarium Indum minus Meſ.*

℞ Turbith optimi,
Sacchari, ana drach. centum.
Maceros,
Piperis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Cardamomi,
Nucis moſchatę, ana drach. ſeptem.
Scammonij,

Scammonij, drach. duodecim.
Misce cum melle despumato.

## *Benedicta laxatiua Nic.*

℞ Turbith electi,
Sacchari, ana drach. decem.
Diacrydij drach. duas.
Hermodactylorum,
Rosarum, ana drach. quinque.
Caryophyllorum,
Spicæ nardi,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ,
Macropiperis,
Amomi,
Cardamomi,
Seminis apij,
Salis gemmæ,
Galangæ,
Maceros,
Carui,
Fœniculi,
Seminis asparagi,
Rusci,
Granorum solis, ana drach. unam.
Mellis despumati optimi triplum.

Hoc electuarium nominis auspicati habet prærogatiuam, & deturbandis glutinosis, pituitosisque humoribus in imis corporis pene-

tralibus reconditis efficax eſſe cōſpicitur. Quo nomine arthritidem leuat, & colico dolori auxiliatur. Potenter enim affixam inteſtinis pituitam elicit, frigidamque intemperiem ſedat. In quem uſum crebrò à nobis indicitur. Renū uerò grauitates, & ex magna humorum coaceruatione ueluti ſtupores, ueſicę quoque collectiones, præcipuo quodam modo infuſum alleuat, ut huic ſoli affectui penè deuotum eſſe uideatur, cùm diuretica multa tenuantia & incidentia recipiat, quæ craſſos & frigidos humores diſſecant. Qua ratione quoque paralyſim præcauet, & menſibus ſuppreſsis benefacit. Tunc enim mulieribus propinatur, quādo ſunt per catharticum expurgandæ: neque in uteri affectibus deſpectui habenda eſt. Huius electuarij puluere quidā ad renum affectus utū-tur. In quem uſum & pilulę parantur, ut poſtea ſcribimus. Quadruplex eſt Alexādrino, & ualde uaria Benedictæ deſcriptio. In quibus tamē craſsiorum, uiſcidorum & frigidorum humorum indicatio præualet. Quidam eſulæ drach. decem aut quinque addunt, & diacrydij drach. quinque. Apponunt etiam quidā lapidem lyncis fabuloſum, ammi & maſtichen. Quæ quia totam compoſitionem in dubium uocāt, ſummo iudicio circunſcribi: & uerò magna diligentia eo quo deſcripſimus modo parari debet. Nos Nicolaum ſequuti, diacrydij drach. tātùm duas ponimus: eſulæ etiam pepercimus. Do-

ſis

sis est ad drach. sex & octo. Nicolaus præbet ad castaneæ magnitudinem.

## *Diacarthamum Arnaldi Villanouani.*

℞ Pulueris diatragacāthi frigidi unc. dimidiā.
Pulpæ cydoniorum, unc. unam.
Medullæ seminis carthami,
Hermodactylorum, ana drach. quatuor.
Zingiberis albi, drach. duas.
Scammonij cocti, drach. tres.
Turbith albi, drach. sex.
Mannæ granatæ drach. duas.
Mellis rosati colati, unc. unam.
Sacchari albi, unc. octo.
Sacchari quod satis sit: fiat Electuarium.

Diacnicu uariè à Pharmacopœis paratur, ista tamen confectionis formula apud nos inualuit: etsi Nicolao Guidonis de Gauliaco descriptio magis probatur, quæ paulum ab hac diuersa est. Alij etiam in huius confectione Nicolaum Florentinum sequi malunt. Cydoniorum pulpa saccharo condiri debet: in cuius usum cydoniatū nostrate rectè succedit, & cum manna & melle rosato solutum colatur per stamen. Quæ omnia saccharo postea paulò ultra quàm electuario conuenit cocto, simul trita & colata cum pulueribus adduntur. Scammoniū tamen per se terendum est. Quidam tragacanthum omittūt, & cydoniatum cum melle sub-

actum, in saccharũ cum aqua percoctũ immittũt, deinde etiã pulueres addũt. Alij etiã aliter parant. Quod attinet ad sacchari unc. octo, quę ad medicamentorum ualentium robur, tanquam fręnum adduntur, placet Nicolao, ut nõ nisi propinationis tempore ponantur, & pulueres sine saccharo & melle rosato seruentur. Nec uerò opus est dum Electuarium paras, ut pręter circunscriptam sacchari copiam, has sacchari unc. octo uelut auctariò addas, ne medicamenti uires penitus exoluas. Quæ cautio profectò adhibenda est omnibus confectionibus, quę in sese saccharum recipiunt. Quod uidentes quidam pro uncijs octo drachmas faciunt. Bilem educit, & pituitam, & ad omnes affectus ex bile & pituita mixtos conuenit. Mixtis podagris, hęmitritęo, paralysi & cephalalgiæ benefacit. Datur ad drachmas quatuor: quandoque uerò ad sex procedimus, præsertim si recentes non sint rotulæ.

## *Diaprunum simplex Nic.*

Capit pruna Damascęna centum. Hæc aqua ad dissolutionem percocta, ubi modicè refrixerunt, exempta inde, & manibus confricata, per cribrum cernuntur, cortices & ossa abijciuntur. Collectam deinde pulpã ad lib. unam cum excolato eorũ decocto, in quo dimidia uncia uiolarum recocta fuerit, in syrupum cum sacchari libris duabus percocto, lẽto igne ad spissitudinem

ſitudinem coquito. Quæ ubi craſſeſcere inceperint, caſsiæ recenter extractę, & tamar Indorum æqua pars ad unciam unã in decocti parte diſſoluatur, ſubigatur & coletur. Omnia cæteris admixta, ad ignem lentum diligenter rudicula moueantur, dum perfectè coquantur. Igni ablata, & ſemper rudicula agitata, aſperſos ſequentes pulueres recipiunt.

℞ Santali albi,
Santali rubri,
Spodij,
Rhabarbari, ana drach. tres.
Roſarum,
Violarum,
Seminis portulacæ,
Intybi,
Oxyacanthæ,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ, ana drach. duas.
Seminis cucurbitæ,
Seminis cucumeris,
Seminis citruli,
Seminis melonis, ana drach. unam.

Omnia ſimul trita, & per cribrũ probè traiecta, lebeti inijciãtur, & calefacta, ſimulq; ſubacta in uaſe reponantur. Quòd ſi purgatorium medicamentum efficere uis, ubi ab igne ſuſtuleris, addes ſcammonij cocti unciam dimidiam in libras ſingulas.

Hoc Diadamaſcenum dicitur, à prunis Da-

 maſcenis,

mascenis, omnino ex Alexandrino sumptum, usuque utroque modo frequés, æstate præsertim ad leniendum & refrigerandum. Quo nomine acutis & ardentibus febribus, & synochis præcipuè conuenit: omniq́ue ferè tempore exhiberi non temerè potest, si scammonium non recipiat. In solutiuo diligentior adhibenda cautio. Bilem nanque potenter educit, & in biliosis febribus æstate ualde solenne est. Cuius confectio uario modo pharmacopœis paratur. Quidá enim in libras singulas scammonij drach. sex. alij unciam integrá addunt: sicq́; nescientibus Medicis imponũt, dum ualentius fit medicamentũ, quod clementius se indixisse existimabat Medicus. Nos ex Nicolao usum receptum seruauimus, & semunciam scammonij libris singulis appendimus. Nicolaus Alexandrinus scammonij pondus non apposuit. Quibusdá etiam solenne est in singulas libras scammonij drach. septem apponere: quod ex ueteribus Nicolai codicibus desumptum est, & crebrò in Italia usitatum ad acuenda lenia medicamenta, quæ per se nihil ferè educunt: qualia sunt syrupus rosarũ solutiuus, manna & casſia. Sicq́ue purgantius fiet medicamentum, cùm in singulas diapruni drachmas, diacrydij grana quatuor, & tertia unius grani pars ferè ueniant. Quæ solenne Nicolai præscriptum penè excedũt. Potenter enim educit, si ad drachmas quatuor exhibeatur, cùm tamen ad drach. quinque

*Diaprunum solutiuum.*

quinque & sex nonnunquam progrediantur in aluo adstrictiore. Confectionis è prunis damascenis, quæ scammonium recipit, meminit Actuarius quinto Methodi.

## *Diaturbith Mes.*

℞ Turbith albi & gummosi, drach. decem.
Zingiberis, drach. quinque.
Masticheś, drach. tres.
Sacchari optimi, drach. uiginti.

Diaturbith ex Zezare sumptum à Mesueo describitur in simplicibus hoc modo, quem in usum traduximus: sed ita rarum, ut præter uariam eius descriptionem penè etiam exoleuerit, Diaphœnicone electuario eius uicarias operas subeunte ob largam turbith, quam recipit, copiam. Paratur à quibusdam in morcellos & placentas: ab alijs etiam in electuarij formá: sed tamen alijs pluribus additis, ad turbith sæuitiam frænandá, ut santalis, uiolis, caryophyllis, cinnamomo, pipere, macere, galanga, aniso, croco. Quidam etiam purgátius efficiunt, cum diacrydio & hermodactylis. Montagnana uerò ad diaturbith, cum reliquis ferè omnibus rhei optimi drach. decem addit, alij sex. Pituitam egregiè educit, eamque crassam & uiscidam remotissimis ex locis: quo nomine articularijs morbis magnoperè conducit. Seruatur puluere, & in catapotijs exhibetur drachmæ unius, aut sesquidrachmæ pondere, quod

in placentarum forma augendum eſt. Diaturbith cum rheo ad uermes efficaciſsimũ eſt medicamentũ, & ualde idoneũ. Nam rheum uermes maximè necat, & turbith pituitam ipſam uermium uerum fomitẽ deturbat. Adde quod diaturbith ipſum ſua gratia pueros ad facilitatem allicit, ut haud ſciam an aliud medicamentum ſit uermibus æquè noxiũ, & ab Italis, qui maximè uermibus ſcatent, promptius uſurpatum. Diaturbith Mõtagnanæ, quo omnes ferè utuntur, capit turbith optimi, hermodactylorum, ana unc. unam, rhei barbari ſelecti drach. decem. diacrydij drach. quatuor. ſantalorũ alborum & rubrorum, uiolarum, zingiberis, ana ſeſquidrachmam. maſtiches, aniſi, cinnamomi, croci, ſing. drach. dimidiam. ſacchari albiſsimi quod ſatis ſit. Efficax eſt aquis ſubter cutem labentibus educendis, bilem & pituitam deturbat. Simplex etiam ſine rheo uſurpatur, & in officinas traducitur. Huius aliæ ſunt deſcriptiones quibuſdam uſurpatę, quas hic conſultò omittimus.

*Diaturbith Montag. cum rheo.*

## *Diaſena Nicolai.*

℞ Senæ unc. tres.
Auellanas uſtas numero quinquaginta.
Serici toſti, drach. duas.
Lapidis Armenij drach. unam.
Lapidis Lazuli, drach. tres.
Sacchari, unc. ſex.

Cinnamomi,

Cinnamomi, unc. unam.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Piperis,
Spicæ nardi,
Ocimi,
Foliorum caryophyllorum,
Cardamomi,
Croci,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Florum roriſmarini,
Piperis longi, ana drach. duas.
Mellis deſpumati quod ſufficit.

Vſu rarum, maniacis tamen, melancholicis, triſtibus & atra bile affectis ſuccurrit: quaatanarijs, lienoſis exhibetur. Deſcriptum uidetur potius ex Antidoto è Sena Alexandrini 12. quàm ex cæteris: etſi ea quæ deſcribitur Antid. 465. ad elephanticos, quibuſdam uera magis & legitima exiſtimatur: quæ tamen ſumptuoſa eſt & operoſa confectio. út Apelaxium & Aſimium omittam, quæ totam Antidotum mira caligine inuoluunt. Tres ſunt alię Diaſenæ deſcriptiones apud Alexandrinum, podagricis & arthriticis deſtinatæ, ab iſtis longè differentes. Eſt & alia in uulgatis Nic. codicibus, anacardos, hermodactylos, elleborum nigrum, & baccas lauri præter cætera capiens, nullam Alexādrini deſcriptionē exprimēs. Quòd ſi cui Anti-

*Diasena Alex.* dotus è sena in usum uenit, ea quæ est Alexandrini magis arridet, quæ recipit senæ, nucis auellanę, sing. unc. duas. serici usti, boli Armenij, lapidis Lazuli, sing. drach. uná. cinnamomi semunciam, caryophylli, galangæ, piperis, spicæ, ocimi, zingiberis, folij, cardamomi, croci, zedoariæ, floris boraginis, floris rorismarini, piperis longi, sing. drach. unam. margaritarum, auri puri, sing. script. quatuor. ligni aloes, drach. duas, script. duo. ossa cordis cerui quatuor. coralli rubri, script. quatuor. berberis gr. undecim. maceros, script. duo. moschi, gr. duo. sacchari & stillaticij rosarum liquoris, quod satis uidebitur. Datur cum aqua cui incocta sunt sena, scolopendrium, ramus tamaricis, & radix capparis.

## *Electuarium lenitiuum.*

℞ Passularum mundatarum, unc. duas.
Adianti nigri,
Violarum,
Hordei mundi, ana manip. unum.
Iuiubas,
Sebesten, ana numero uiginti.
Glycyrrhizæ, unc. dimidiam.
Prunorum enucleatorum,
TamarIndorum, ana drach. sex.
Senæ,
Polypodij, ana unc. duas.
Mercurialis, manip. unum & dimidium.

Decoquan-

Decoquantur secundũ artem in aquę quantitate sufficienti, & colentur.

Colaturæ adde,

Pulpæ caſsiæ recentis,
Pulpæ tamar Indorum,
Pulpæ prunorum,
Sacchari optimi,
Sacchari uiolati, ana unc. ſeptem.
Pulueris ſenæ, unc. tres, drach. tres & dimidiam.
Confice ſecundum artem.

Hoc Electuarium in uſu quibuſdam eſſe ſcio ad leniendam & molliendam aluum in febribus cõtinentibus & pleuritide, dum ualentiorum uſum morbus refugit. Bilem enim mixtam ſine moleſtia facilè educit, eius ſæuitiam reprimit, & ſang. feruorem ſedat, aluum adſtrictam ſoluit, & lubricã reddit. Sanguinem purgat, hepar concalfactum iuuat, totiusque corporis humores clemẽter perpurgat. Eo ſæpius utuntur Itali, præcipueq; medici Veneti. Eſt aliud Electuarium lenitiuum Alexandrini de Manna, quod hic prudens & ſciens omitto, etſi ad eoſdem uſus ualde eſt efficax. Malumus enim hic eſſe populares, quàm cõquiſitis & minus uſitatis medicamentis iactabundè nimis, & ad oſtentum potius quàm ad ullum uſum, Pharmacopolium noſtrum adornare.

## *Electuariũ de Sebeſten, Motagnanæ.*

℞ Sebeſten recentium ſine nucleis,

Prunorum

Prunorum exoſſatorum,
Tamar Indorum, ana unc. quinque.
Macerentur in lib. una aquæ ſtillaticiæ uiolarum, deinde bulliant & colentur. Colato & expreſſo adde
Aquarum Ireos,
Aquarum anguriæ, hoc eſt cucumeris, ana unc. ſex.
Succi Mercurialis depurati, unc. quatuor.
Seminum 4. frig. maiorum, ſing. unc. duas.
Coquantur ad dimidias, dein ualidè exprimantur, per colum tranſmittantur, adijcianturque penidiorum unc. octo.
Diapruni ſimplicis, lib. una & dimidia.
Diacrydij, drach. tres.
Miſceantur, & formetur Electuarium ex artis præſcripto.

Hoc quoq; inter lenitiua uſurpationem meretur, eoque nomine Venetis medicis crebro eſt in uſu ad bilioſas febres, continentes & intermittentes. Bilis ardores mitigat, ſitim compeſcit, inſomniam ſedat, & acrium humorum ſeceſſum per urinas promouet. Liberaliter & ſine noxa propinatur ad unciam unam, aut drach. decem. Variè à quibuſdã depingitur, hãc tamẽ formulã magis cõmunem eſſe duximus.

## DE HIERIS.

### *Hiera picra Galeni.*

℞ Aloes, drach. nonaginta.

Cinnamo-

Cinnamomi,
Xylobalſami,
Aſari,
Spicæ nardi,
Maſtiches, ana drach. ſex.
Croci, drach. quinque.
Omnia in puluerem redacta miſceto & ſeruato.

Hęc Hiera Galeno attribuitur, licet ante Galenum multis annis à Themiſone, Andromacho & Aſclepiade uſurpata ſit: ſed quia ab eo multis in locis deſcripta, laudata & exculta eſt. quam Hieram Dialoes & picram, hoc eſt amaram uocat, ab aloes quam recipit quantitate. Hieræ uerò, hoc eſt ſacræ, uenerandum confectionum antiquarũ nomen, à mirandis & propè diuinis effectis aſſumpſit. Antiqui enim ſuas hieras ueluti ſecretò ſepoſitas confectiones habebant, quibus plurimùm tribuebant. Deſcribitur à Gal. præcipuè lib. 8. De comp. pharm. part. & lib. 2. ſexto quoque Salub. & 7. Meth. med. Quibus ex locis hanc magis laudatã deſcriptionẽ cum Oribaſio deſumpſimus, quòd aliquando ad ſex reliqua, centum drach. aloes: aliquando uerò centum & uiginti: quandoque etiam octoginta tantùm pro uarijs ſcopis addat. Ea enim deſcriptione, quæ drach. nonaginta recipit, ſe tanquam optima ſępe uſum teſtatur Gal. Atque ea potius paranda eſt, quàm quæ à Meſueo ſumpta Pharmacopœis noſtris uſu

*Lib. 3. Synopſ.*

*Lib. 2. Comp. phar. part.*

usu recepta est, in qua aloe dupla tantùm ad omnia simplicia simul sumpta ponitur, cùm Galenus triplam ferè faciat, ideoq; magis purgatoriam. Hæc enim hiera drachmæ pódere sumpta, Galeno satis est efficax: cùm uulgaris officinarum hiera sesquidrachma minimùm proficiat. Nolim tamen scopum unum & eundem medico prudenti præfigere, cùm pro uarijs indicationibus diuersam parandam esse hieram profitear ex Galeni præscripto. Quandoque enim ex aloe lota parabat, cùm roborãtem uolebat: ut purgantem magis ex illota aloe reddebat. Idem quoque aloes copiam pro purgationis scopo augebat & imminuebat. Nãq; ferè semper drach. centum miscebat: quandoq; etiã centum & uiginti, cùm purgantem magis expetebat: ut & intra drach. octoginta substitit, cùm gratiorem, sed tamen calẽtem magis mulieribus menstrua purgatione defectis propinabat: quibus & croci drach. sex. & carpesium loco asari addebat. Quæ uarietatis ratio in croci quantitate etiam uidenda est. Parcius enim misceri uult Gal. in his quibus medicamẽtum suo odore caput tentat: in quibus drach. quinque, quandoq; etiam tres sufficere dicit. Sicca & puluere melius seruatur: etsi quidam melle exceptam condiunt, ut uult Mesueus. Galenus ferè siccam exhibebat: aliquando etiam melle despumato exceptam, ut purgantiorem etiam & gratiorem, partes quas permearet detergen-
do

do redderet. Sed tunc uentrẽ minus roborat, minusq; attrahẽdo ſoluit. Quidam, ut Paulus, hydromelite excipiebant. Interdum etiam uino & aquæ cyathis: nonnunquam etiam mulſo, aut alio quouis liquore diluebant. Nos ſępe in catapotia fingimus, ut amarũ aloes guſtum fallamus. Quidam etiam trochiſcos exprimũt, quod non tacuit Meſueus ex Auic. lib. quinto. Calfacit, tenuat, incidit, terget, ſiccat, obſtructiones aperit: humores & flatus prauos, craſſos, corporis poris imbibitos, & uentriculi tunicis infarctos, ſeparat, digerit, & expurgat. Affectibus capitis, uentriculi, hepatis, renũ, iuncturarum, & cæterarum partium frigidis, mirè confert: humorem ab his frigidum, aut putrem uacuãdo. Stomachicis præcipuè eſt adiumento, qui appetentiam perdiderunt, & continua uentriculi nauſea conflictantur. Valet enim maximè ad deturbandam bilem flauam, & pituitam, quæ uentriculo, inteſtinis & uenis meſeraicis inſidet: eam uerò præcipuè, quæ tunicis uentriculi altius adhæret, aut ſua tenuitate eius cauum occupat. Quæ omnia cum leui uẽtris motu deturbat. Neq; enim hepar ſuperat, ut teſtatur Gal. lib. 8. Comp. phar. part. Quo nomine uiris literatis, & ſtudio liberaliori deditis, ob humorum prouẽtum, quem uita ſedentaria cogit, admodũ ſalubris eſt: uentriculum omnium ferè crudorum humorũ alueum expurgando & roborando, ſi præcipuè elota ſit.

Stomachi

Stomachi ſubuerſiones confirmat, inflationes diſcutit, tardæ coctioni medetur, æſtuantibus conuenit, ad urinam probè eſt efficax, hydropicis, iecorarijs, nephriticis ſuccurrit: & his qui bilem uomunt. Inflammationibus internis ex hydromelite conuenit, difficiles ſanorum concoctiones emendat, & robur particulæ addit. Ventriculi morſum & dolorem (καρδιωγμὸν, aut καρδιαλγίαν dicimus) ex bilioſo & putri ſucco enatum, indeque capitis dolorem, & ſuffuſionū ſymptomata delet. Aluū ſuppreſſam ſoluit, & ructus nidorulentos corrigit. Intemperiei calidæ aut frigidæ ſiccæ citra uiciatos humores eſt infeſtiſsima. Mulieribus quæ non probè purgātur, conuenit. Quæ omnia ex Gal. monimētis deſumpta ſunt. Maſtiche uerò additur ad ſtomachi robur, quia odora, & ut medicamentariam aloes uim reprimat. Cinnamomum etiam (cuius penuriam optimæ caſsiæ duplum reſarcit) præter quàm quòd tenuium eſt ualde partium, ut aperire uentris meatus poſsit, extergereque ac tenuare craſſam humorum ſucculentiam. Aloes enim facultas tam parcè purgatoria eſt, ut eos attrahere nequeat. Reliqua uerò partim ut ſtomacho commoda, partim roborantia, detergentia & incidentia, in compoſitionis laudes ueniunt. Doſis eſt Galeno ſumma, drach. unius, minima ſemidrachmæ. Sic Andromachus apud Gal. cochlearij unius mēſura propinabat, quod drach. unam argēteam, quam

*Lib. 7. Meth. lib. 6. Salub. lib. 2. & 8. Comp. phar. part.*

*Meſ. cap. De aloe.*

quam Romani Denarium uocabant, interpretatur Gal. Paulus drach. unam exhibet, & Aetius ad cochlearij magni unius modum. Quidam carpobalſamum loco xylobalſami, quidá utrunque: alij xyloaloen, caſsiam, & iuncum odoratum addunt, ut Auicenna & Meſueus. Actuarius præter pondus, quo multum uariat, pro aſaro xylocaſiam ſubſtituit. Paulus ualde compoſitam Gal. hieram facit lib. 7. iſtam tamen ex rebus ſex poſtea agnoſcit. Aetius quoque lib. 3. multiplicem æquè Gal. hieram facit. Sed lib. 6. in melancholiæ cura ex Poſidonio, hieram Themiſonis ex rebus ſex apponit, quibus epithymum addit. Alij abſinthium addebant: alij etiam alia plurima, ut notat Meſueus, qui Auicennæ deſcriptionem uniuerſitatis (ſic enim uocat) ſequutus eſt. Datur hodie ſicca ad drach. duas, magno profectu. Syluius ſemunciam cum diaphœnici drachma, mulieri innoxiè propinari uidit.

Cap. 8.
Cap. 11.
Cap. 10.

## *Hiera picra Nic.*

℞ Cinnamomi,
Spicæ nardi Indicæ,
Croci,
Schœnu anthos,
Aſari,
Caſsiæ ligneæ,
Xylobalſami,
Carpobalſami,

Violarum,
Absinthij,
Epithymi,
Agarici,
Rosarum,
Turbith,
Pulpæ colocynthidos,
Masticbes, ana drach. dimidiam.
Aloes quātū alia omnia, hoc est, drach. octo.
Mellis despumati quod satis est.

Hiera magna & cōposita dicitur, & ut est Nicolao propria, ita sub nomine confectionis hieræ picræ indicitur, & hiera ex sexdecim rebus uocatur: non numerata aloe & melle. Ad enematum usus ualde est solēnis. Probè enim pituitam lentam crassam & frigidam intestinis adhærescentem eluit. Iecoris obstructiones liberat, lienis duritiem emollit, densitatem expedit, renibus & uesicæ humoris deturbatione proficit, uteri intemperiem emēdat, capitis affectus, oculorum & aurium grauedines à magna pituitæ lenticia iuuat, stomacho etiam benefacit. Hoc modo ab Alexādrino describitur, & Galeni nomine donatur. Vnde simplicium singulorum pondus semidrachmam fecimus, quod alij scriptulorum duorum esse dicunt. Aloes uerò pondus cæteris omnibus æquat: nōnullos etiam alijs omnibus duplam facere scribit. Dosis est in enematis à semuncia ad unc. duas. Quòd si propinetur, ad drach. unam sumi potest.

poteſt. Nic. Alexandrinus ieiuno cum aqua tepida ad exagia tria exhibet.

## *Hiera diacolocynthidos Antiochi ex Scribonio Largo.*

℞ Stœchados,
Marrubij,
Chamædryos,
Agarici,
Colocynthidos, ana denarios decem.
Opopanacis,
Sagapeni,
Petroſelini,
Mali terræ, hoc eſt ariſtolochiæ rotundæ.
Piperis albi, ana denarios quinque.
Cinnamomi,
Spicæ nardi,
Myrrhæ,
Folij,
Croci, ana denarios quatuor.

Opopanax & ſagapenum mortario terũtur, adiecto melle tenui, hoc eſt quàm liquidiſsimo: deinde cętera trita & cribrata melle deſpumato triplo & ſufficienti cum his comprehendantur, & uaſe uitreo reponantur.

Huius hieræ laudes multis uerbis exequitur Scribonius Largus: quæ & à Galeno probatur lib. Comp. phar. part. Sumpta eſt autem ex Antiocho Pacchio auditore Philenidis Catinenſis, ab eodemque uſu illuſtrata. Quapro-

pter diutina eius effecta utendum potius censeo, quàm hiera Rufi à Mesueo descripta. cum qua ferè etiam cõuenit, nisi quòd folium pro polio, & cinnamomum pro cassia habet. Valet ad lateris dolorẽ cum febre & sine febre, morbum comitialem, maniam, melancholiam, uertiginem, cephalalgiam, suspirium, uocis abscissionem, subitas pręfocationes ex qualibet causa ortas, & ad eos qui sæpius existimantur ab incubone deludi. Adhibetur quoque ad tetanum, spasmum cynicum, ad contusiones corporis ex lapsu, casu aut ictu. Tremorem, siderationem, neruorum resolutionem, articularios morbos sanat: dolores spinæ & lumborũ, mammarum duritias emendat, carcinomata & ulcera maligna, & quæ Græci κακοήθη uocant, corrigit: stomachicis benefacit, & stomachi imbecillitatem adiuuat, eosque quibus inacescit cibus, qui asiduè inflationibus urgentur, uel uentriculi dolore conflictãtur, aut asiduè nauseant, aut perpetua saliuatione detinentur, sanat. Prodest etiam his qui inedia consumuntur ob stomachi dissolutionem, dum omne ciborũ genus fastidiosè respuit, eiusque atoniam reficit. Melancholicis, & atram bilem generantibus subsidio est. Colicũ dolorẽ, eiusq; inflãmationẽ sedat: futuras quoq;, uel iam factas in intestinis uomicas discutit, aut celerius aperit. Menstrua mulieribus promouet, quę difficulter purgãtur, ex artemisiæ aut dictamni decocto.

cto. Papulis & ſacro igni medetur. Eſt ubi propter uiciorum difficilem curationem, aut diuturnitatem, efficaciore eo medicamento uti poſsis in paulo obſtinacioribus morbis, proq́; cuiuſque uirium & ætatis ratione non una eademq́; præſcriptione niti. Inualeſcẽtibus enim morbis, ut in ualde furioſis, aut comitialis morbi miſerabili ſpecie non leuiter correptis, aut podagra lamentabiliter conflictatis, ad medicamenti uires adiungimus, & ſuperioribus colocynthidos denarios uiginti. opopanacis & ſagapeni, ſing. denarios tres adijcimus. Quamobrem utraque parata debent eſſe medicamẽta: ut cùm opus fuerit, uſus alterius in promptu ſit. Denarius uerò Romani põderis genus eſt, drachma paulo grauius. Vncia enim ſeptẽ denarijs cõſtat, cum octo drachmas recipiat. Sed eius loco drachmá ex minimo interuallo ſubſtituere licet, cùm drachma Attica Plinio denarij argentei pondus habeat. Doſis eſt ex puluere cum liquore aliquo, uel in catapotijs à ſcriptulo dimidio ad ſcriptula duo. Melle uerò excepta à drachmis duabus ad quatuor, aut etiá quinque progredimur. Nos igitur hieram diacolocynthidos Nicolai, quibuſdam receptiſsimam, à iuſto Pharmacopolij noſtri uſu deijcimus: & iſtam multis nominibus celebratiſsimam æquiſsimis ſecundum ſalubritatem uindicijs aſſerimus, quæ non multum ab antiquorum hiera differt. Etſi enim Paulus & Aetius

*Denarius.*

*Cap. 34. lib. m.*

aliam hierę Diacolocynthidos descriptioné afferűt: paruo tamé interuallo ab ea quã Mesueus Rufo assignat, differűt. Sic Nicolaus Prępositus quã Diacolocynthidos hieram descripsit, ex Rufi hiera Alexandrini deprompsit. Actuarius lib. 5. Methodi, Paulum & Aetium in descriptione hieræ Rufi propius assequitur. Auicennas etiam & Serapio diuersas huius quoq; medicamenti compositiones fecerűt, quas tamen ad exemplű sibi pręscripsit Mesueus. Non me latet etiam quosdã huius medicamenti uarietatem fastiditos, catapotia Galeni de aloe in usum pro hac hiera diacolocynthidos induxisse, quòd colocynthida reciperent. Sed certè nil est cur leuis eorum indicatio nobilissimo medicamento præiudicij fucum facere possit, aut debeat. Neq; enim Gal. catapotia de colocynthide, sed de aloe uocat: nec hieræ nomine donat, quanquam & huius quoque mentionem pluribus locis facit: sine descriptione tamen, quam in libros de Med. purgãtibus reseruasse uidetur. Tandem uerò istam Antiochi hieram prò hiera diacolocynthidos non ingratis substituimus, & ex Pauli & Aetij authoritate tibi confirmamus. Hanc enim uterque tibi ijsdem simplicibus & põdere describit, nisi quòd marrubium omittunt: & pro folio aut polio πρόκα φύλλων legunt, uiciosè tamen, ut opinor. Alexãdrinus quoque hanc hieram mutato nomine descripsit. Hieram nanque è marrubio uocat,

*Lib. 1. Comp. phar. part.*

cat, immutatis quidẽ ponderibus, & polio pro folio, ut cęteri quoque faciunt, ſubſtituto. Propinat Gal. hieram diacolocynthidos ad drachmas quatuor & quinque. Sunt qui hiera Galeni Aetij, pro hiera diacolocynthidos utantur: quam tamen nullo colocynthidos nomine inſigniuit. Iſta tamen uſui magis recepta eſt. *Lib. 1. Comp. phar. part. Lib. 3. cap. 113.*

## *Hiera Logadij Aetij.*

℞ Pulpę colocynthidos, unc. duas & dimidiá.
Scillæ aſſatæ,
Agarici,
Ammoniaci thymiamatis,
Thymi,
Scammonij, ana drach. uiginti.
Corticis ueratri nigri,
Hyperici, ana drach. decem.
Epithymi,
Bdellij,
Polypodij ſicci,
Aloes,
Chamædryos,
Marrubij,
Caſsiæ, ana unc. unam.
Myrrhæ troglodyticæ,
Piperis albi,
Piperis longi,
Piperis nigri,
Cinnamomi,
Croci,

Opopanacis,
Sagapeni,
Castorij,
Petroselini,
Aristolochiæ longæ, ana drach. quatuor.
Melle sufficienti excipe.

Describitur Aetio lib. 3. cap. 112. Paulus istam sub hiera Antiochi comprehendit (Auicennas tamen lib. 5. hieræ Logadij nomine ab eo donatam facit) & relicto thymo, scillę tostę, agarici, ammoniaci thymiamatis, corticis ueratri nigri, scammonij, hyperici, sing. denarios tres facit: Oribasius uerò decē, reliquis cōsentiunt. Actuarius Meth. quinto hieram Logadij describit, huic nō admodum rebus dissisimilē, sed ponderibus uariantem. Quibus omnibus descriptionib. suffragatur tertia Logadij hieræ descriptio apud Alexandrinū, ponderibus etiā diuersa. Nicolaus Præpositus aliam cùm ridicula nominis interpretatione, tum uerò barbara uoce, hieram Logodion adducit, secundam Logadij hieram ab Alexandrino descriptam innuens: quæ etsi ambitiosè admodum operosa est, non tamen ad ea quæ præ se fert, omnino contemnenda. Pręstat tamen ex limpidissimo fonte haurire, quàm lutulentos riuulos securè nimis consectari. Epilepticis, uertiginosis, lethargicis, hemicranicis, cephalalgicis, cholericis, elephanticis salutaris est. Diuturna & inueterata corporis uicia deturbat,

bat, fœdas & atras impetigines delet: furori, maniæ & melancholiæ præcipuo quodam modo confert. Cæteris enim ad atram bilem purgandã præfertur. Oculorum caligines dissipat, membrorum tremores discutit, & pleuritidi succurrit. Iecinerosis, lienosis, cardiacis, ischiadicis, mulieribus menstrua purgatione defectis auxilio est. Vocem undeuis præpeditam & præfocationes expedit. Venenis efficaciter admodum resistit. Datur ad summum drachmis quatuor, ut minimùm duabus, ut plurimùm tribus cum mulsæ cyathis tribus. Præcipuè uerò puluere ad catapotia melle rosato excepto utimur. Auic. lib. 5. tres hieræ Logadij descriptiones affert: quarum prima cum Nic. Præpositi schemate: tertia cum ea quam ex Paulo adduximus, plurimùm cõuenit. Atq; ista de hieris quæ in magno usu apud nos tam sunt, quàm esse possunt, dicta sunto. Hieram Iusti & Archigenis ex uarijs autoribus sibi quisq; uenari potest.

# DE CATAPOTIIS AVT PILVLIS,

## SECTIO QVARTA.



Ntidotorum aciem meritò catapotia excipiunt, & materię & actionis genere aliquantulum affinia. Ex ijs enim omnino medicamentis quæ Antidotos cōstituunt, globuli nostri formari possunt, & præterea simplicia purgationi humorum quorumlibet propriè destinata recipere. Quæ catapotiorum efformatio maximè est celebris. Purgantes enim materiæ eò concluduntur, ut & pharmacorum insuauitas deuoratione ipsa eludatur, & medicamentorum uis aliquanto robustior facili deglutitione ægrotantis tædium non sine efficacitate leuet. Ferè enim quæ in pilulas inducuntur, ualentia sunt medicamēta: eaque forma assumpta, diutius uires suas exercent, cùm mora in uentriculo longiore, à remotioribus totius corporis partibus, succorum eluuiem in aluum & intestina, uelut in publicam sentinam, exhauriant. Duriora enim medicamenta, qualia sunt catapotia, ægrius à uentriculo comminuuntur, & tardiores uires nacta sunt: liquida uerò fluxili sequacitate promptius elabuntur & euanescunt.

ſcunt. Quam materiæ rationem in formandis catapotijs obſeruamus. Quæ enim corporis impuritas, & obſtinatiſsimorũ humorum longinquitas, efficaciora medicamenta ad deturbationem requirit, ea per catapotia & maiora & duriora euocatur. Mollia uerò & parua exhibentur, ubi uentriculi imbecilla facultas, paruum temporis interuallum pro facili humorum promptitudine ad actionem deſiderat. Qualia ſunt ea quæ ad iuuandũ uentriculi robur, cibos cõcoquendos, & actionem toti corpori neceſſariam propinantur: ut alephangina, ſtomachica, & quæ peſtilentia uulgo dicuntur. Fit enim, ut parua quantitate & forma in uentriculo celerius diſſoluantur & permutentur. Horum quędam ſunt in medio, mediocritate uſqueadeò temperata, ut inter utrunq; ambigant. Pro corporis enim & humorum ratione formam, & temporis diuturnitatem mediocritate temperant. Catapotiorum ferè in capite purgãdo ſolennis eſt uſus. Quum enim materiæ uacuandæ longinquitas uulgaribus medicamẽtis nõ cedat: ea facilius pilulis quàm alio quouis pharmaci genere propinantur. ut ne addam, liquida ad ſtomachi eluuiem noui cuiuſdam morbi acceſsionem facere, nec ſatis abũdè uicioſos ſuccos è capite attrahere. Quo nomine qui opus medicum factitant, & curationes exercent, catapotia media nocte leuiſſimè cœnatis, aut poſt primum ſomnum, non improban-

improbando inuento exhibent, ut à cibo liber uentriculus in ijs conficiendis liberius exerceatur. Tunc enim craſſa & dura, ut diutius & potentius agant, à totoq; corpore attrahant, exhibentur: quo tempore tardiorem moram ad actiones ſuas in uentriculo deſiderant. Quę exhibendi occaſio nō omnibus catapotijs cōſtans eſt & perpetua. Eſt enim ubi uentrem totum inferiorem, uentriculum & primas uenas leuiter exonerare uolumus, & nauſeabundum ſtomachum confirmare. Qua in re catapotijs leuibus utimur: qualia ſunt Rufi, maſtichina, ex aloe, & quæ ante cibum à conſueto utendi tempore nuncupantur. Eo enim nomine hora una ante epulas, aut etiam pòſt exhibentur: tuncq; parua quantitate ſumpta, abundè purgare uidentur, unaq; potum & cibum abſque noxia deturbare. Quod uacuationis genus imprimis uentriculo à magna pituitæ copia affecto conducit. Redundantes enim illi ſucci, & leue uelut pituitæ tectoriũ, tunicis uentriculi inductum, facilè eluitur: & medicamenti uis in partis ſubſtantiã ad uires reficiendas promptiſsimè tranſit, qui eſt pręcipuus inſtituti ſcopus. Sed certè in hũc uſum parua & pauca pręcipiuntur, crebrò tamen repetũtur. Reliquum catapotiorũ genus cōſuetum medicandi tempus non mutat, & matutinis horis cum cęteris pharmacis in uſum uenit. Catapotia à deuorãdo, aut deglutiendo (quod eſt καταπίνειν) uſurpantur.

pantur. Latinè globuli aut orbiculi, pilulæ etiá à paruæ pilæ similitudine dicuntur. Horum præcipuus usus est Actuario, dum medicaméti iniucunditatem fallere uolumus, & uentriculum satis per se humidum, nouo humoris genere degrauare est iniquum. Ea antiquis cicer aut eruum, aliquádo fabá Aegyptiam magnitudine æquarunt. Plinius pilulas lupini magnitudine ex aniso facit. Nos pro sumentis libidine in quantitate & magnitudine abutimur. Habemus ferè huius generis materiá in pyxidibus stanneis reseruatam, corio tectam, ne quid exhalet: ex cuius uarietate pilulas pro scoporũ indicatione efformamus, & liquore aliquo, aut syrupo, aut etiá melle emollimus. Quæ si diutius in massam ad fermentationem reponéda est, glutinoso aliquo, ut syrupo aut melle, non succo aut aqua sola, ne citius siccetur, situmq; contrahat, conformanda est. Catapotia, quia semel deuoranda sunt, ob ingratum saporem tectorio aliquo indigent. Qua in re saccharo, aut cinnamomi puluere, aut auri folijs utimur, quod longè est æquius, quàm membrana prunorum & uuarum (quod nonnulli factitant) inducere. Durior enim ille cortex tam obstinatè sæpe pilulas tegit, ut uentriculo negociũ facessant: nec multis post horis actionem exerant: interdum etiam integræ uomitu aut secessu regerátur. Prunorum aut pomorum pulpa inuolui tutò possunt, ut & pane azymo ui-

*Cap. 9 & 3. lib. 5. Meth.*

*Lib. 20. cap. 17.*

no

Lib.11. no molliter perfuſo. Alexander Trallianus facili negocio ex ouo ſorberi iubet. Earum doſis perſæpe drachmam, rarò uerò quatuor ſcriptula excedit.

## Pilulæ aromaticæ Meſ. quæ Alephanginæ dicuntur.

℞ Cinnamomi,
Cubebarum,
Ligni aloes,
Calami aromatici,
Maceros,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Aſari,
Maſtiches,
Schœnu anthos,
Spicæ Indicæ,
Carpobalſami, ana unciam unam.
Abſinthij ſicci,
Roſarum, ana drach. quinque.

Contuſa craſsiuſculè coquantur in aquæ libris duodecim ad duarum partium conſumptionem, fricentur manibus, colentur & exprimantur. Deinde accipe aloes optimæ libram unam. Laua ſæpius in uaſe uitreo, cum aqua pluuia: ſiccatæ affunde decocti prædicti libras duas. tere in ſole, poſtea admiſce

Myrrhæ,

Maſtiches,

Mastiches, ana drach. quinque.
Croci, drach. tres.
Tere optimè, & reliquum decocti affunde. In sole optimè siccata & tusa repone.

Catapotia ista aromatica (ob magnam aromatum quam habent copiam) uentriculum & nutritionis partes potius roborant, quàm purgant. Concoctionem firmant, putridam humorum colluuiem & pituitosam desiccando, digerendo, & crassiores succos dissipando. Cerebro benefaciunt, illiusque sensationes omnes acuunt: stomachi dolorem à frigido, pituitæ sobolem leuant. Aromata crassiusculè trita, ex aquæ libris octo lento igne ad dimidias coquātur. Largior enim aquæ copia diutiori concoctione aromatum igneam uim minueret. Reliquę decoctionis ad quatuor libras dimidium, aloe prius optimè in aqua pluuia elota & siccata, sua maceratione bene tribulata imbibet. Pulueres reliqui tenuissimi, myrrhæ, masticbes & croci, reliquis duabus libris permixti, aloe etiā imbuentur. Quæ omnia tritura & insolatu æstatis tempore cōuenientiore desiccata, in massam reponātur. Quidam aromatum decoctionē parum probantes, omnino harum pilularū usum officinis interdicūt, & pilulas de hiera in earum uicem substituūt. Alij uerò eadem ratione aromatū dimidiū in aqua decoctum aloe immiscent: reliquum uerò dimidiū tenuissimè tritum, in massam exiccando

cando efformant, non absurda omnino ratione, nisi in idem uicium reciderẽt. Sed istius decoctionis, & uerò confectionis rudimentũ est apud Mesueum in Simplicibus, cùm aloes purgandi tarditatem, aromatum decocto accelerari consulit: sed aquam sextuplam facit, & ad tertias decoquit, quæ proportio impẽdiò modum excedit. Reliqua profectò est iustior, & huic descriptioni conueniens, cùm aloes selibram in expressi libras singulas assignat: hic uerò expressi libris duabus aloes, librã unam imbuit. Crocum idem quoque ad semunciam præcipit. Aloen etiam prius in umbra, postea insolatu exiccat. Sunt quoq; qui pro illius autoritate hic bdellium & tragacanthum addãt, quòd miro quodam modo aloes uicia emendent. Istius uerò aromatũ decoctionis, & aloes eodem decocto maceratæ, quoddã expressum est exemplar in cõfectione Lamponis Pelusiotæ ex Andromacho apud Galenũ, ubi & ablutionis aloes in aqua pluuia meminit: quam postea tritam & insolatã decocto aromatum imbuit, ut huiusce cõfectionis notionem tãquam in uestigio reponere uideatur. Hic autem de aloes lotione ad præsens institutum dicendum uidetur: Aloen ab antiquis lauari solitã, ut medicamentosam & purgatoriam uim, amarum saporem & acrimoniam, terreas etiam partes, & impuras ac ueras sordes deponeret. Quod satis indicat Gal. octauo de Comp. phar. part. &

*Cap. de Aloe.*

*Lib. 8. Comp. phar. part.*

*Aloes ablutio.*

& Meth. septimo, cùm aloem lotam magis roborare scribit, uim autem purgantem exuere. Tum etiam, quòd in Lamponis Pelusiotę confectione, aloem primò aquæ pluuiæ ablutione condulcari uult. Acrimoniam enim & amaritudinem abiecisse innuit. Actuarius quoque in Galeni hiera picra abluendæ aloes modum aperit, cùm aloem tritam in aquam, ut subsidat, mitti iubet: dein emergẽtem summatim aquã unà cum innatantibus sordibus abijci, idq; iterum & tertiò repetere iubet. Qua ratione medicamentum morsus expers, & stomacho gratum parari censent. Est uerò alia Medicis nostris aloes ablutio, quę potius infusio, maceratio, aut imbutio quædã uocanda est. Quod genus est præparationis, quod à Mesueo in Simplicibus describitur ex decocto aromatũ, aut etiam puluerum hieræ picræ Galeni. Qualis etiam quæ Albucasis nomine circũfertur aloes ablutio. Hęc enim nullam adimit aloe aut substãtiam, aut qualitatem, sed suas facultates potius impertit. Similis est etiam quæ hic commendatur à quibusdã aloes ablutio cum aqua brassicæ, aut aqua myrobalanorum, aut etiam aqua cui infusum sit rheum. Quinetiam quidã aloen quater aut pluries elotam, & terrena fæce subsidentem relinquunt: aquam uerò ipsam tenuiorem, igneã, & propè aeream, hoc est diuinam aloes substantiam adeptam, insolatu resiccant: quæ penè medicamenti facultates om-

*Cap. 9. l. 5. Meth.*

*Aloes ablutio per uiam nutritionis.*

n nes

nes ebibit. Vtranq; ablutionis speciem expressisse uidetur Galenus lib.8. Comp. phar. part. Quod ad catapotiorum nostrorum rationem attinet, Manardus aloen auget. Sunt qui ista parari uelint cum aloe lota & illota, pro uario successu, non temerè quidem. Sunt his affinia catapotia Thomæ de Garbo, ad cerebri affectus frigidos & contumaces, spinæ & neruorum offensiones à frigida, peruicaci, lenta & crassa materia. Dosis est innoxiè à drachma una ad duas. Nicolaus Alexādrinus duas habet pilularum aromaticarum, aut odoratarum descriptiones, inter se non multum discrepantes, quas sumpsit ex Mesueo, paulū immutato aloes & croci pondere, alioqui seruata proportione.

*Pil. Thomæ de Garbo.*

*Cap. de Aloe.*

## *Pil. assaiereth Auicennæ.*

℞ Specierum hieræ picræ Gal. unc. unam.
Masticheſ,
Myrobalanorū citrinarū, ana unc. dimidiā.
Aloes optimæ, unc. duas.
Syrupi de stœchade quod satis sit. fiat massa.

Caput purgant Auicennæ, quanquā uentriculo potius quàm capiti conuenire uideantur. Est enim hiera picra Galeni, additis myrobalanis, & mastiche cum aloe auctis. Bilem igitur flauam & pituitam purgant, quæ uentriculo insidet: ideoque capitis affectibus ab impuro uentriculo ortis, & uiciosis stomachi succis, quibus succurrit hiera picra, cōuenit: cùm humores

*Lib. 2. Comp. pharm. part.*

mores tunicis uentriculi ita ſunt impacti, ut di
lui non poſsint, quáuis illic potius aloen Gal.
minuat, quàm augeat. Non igitur ſimpliciter
capitis affectibus conueniunt: ſed tunc admi-
ſcendus eſt agaricus, aut aliquid aliud quod è
capite educat. Quod etiam monet Auicennas *Fen 1. lib. 3. cap. 29.*
in cephalalgia, unde deſumptæ ſunt hæ pilulę.
earum uires tam eſſe per ſe imbecillas, ut addi-
tis alijs medicamẽtis, humori deturbãdo cuiq;
proprijs, uſum augeat. Maſtiche augetur ad fir-
inius robur uentriculi. Myrobalani adduntur,
ut biliofos & calidos uapores, qui ſunt in ſto-
machi alueo à capite arceſſant. Quo nomine
propinantur in tenuibus & acribus capitis flu-
xionibus, ut liquidam materiam facilè decum-
bentem ſiſtant. Gentilis aloes pondus reliquis
æquale facit, qui præcipuus eſt harũ pilularum
architectus. Rabi Moſes cum ſucco allij effor-
mari pilulas uult, ut facilius è capite educant.
In his capitis affectibus, autores pilulas effor-
mari iubẽt cum infuſione aloes in ſucco endi-
uiæ & maioranæ, cui parũ addetur maſtiches.

## *Pil. de hiera cum agarico.*

℞ Specierum hieræ ſimplicis Galeni,
Agarici recẽter trochiſcati, ana unc. dimidiã.
Aloes bonæ, unc. unam.
Cum ſyrupo roſato fiat maſſa.

Quidam harum loco pilulas de hiera ma-
gna compoſita, quæ ex ſedecim rebus conſtat,

 uſurpant,

usurpant, quòd agaricum recipiant: sed profectò agaricus in illis non maiorē cæteris simplicibus habet prærogatiuá, ut nomenclaturam catapotijs adferat, cùm cætera pondere non superet. Quare huiusmodi pilulæ, etsi in usum ueniunt, de hiera magna cōposita, aut de hiera Nicolai nuncupandæ sunt, ut pilulæ quæ Galeni hieram simplicem recipiunt, hieræ simplicis nomine donātur: de quibus abundè suprà diximus. Hęc uerò catapotia, quę de hiera cum agarico dicuntur, etsi medicis sunt salubria, nō tamen uicio carere uidentur. Debet enim agaricus unius simplicis hieræ simplicis Galeni, pondus æquare, ut nō excedat drach. sex. Sunt qui omnium etiam simplicium pondus, aloe dempta, æquare uelint. Sed cùm ista incerta sint, consulerem, ut agaricus à prudenti Medico pro morbi genere, humoris qualitate & quātitate pulueri hieræ simplicis admisceretur, ad efformanda catapotia cum melle rosato, aut syrupo stœchadite, aut succo absinthij. Qua ratione uentriculo & capiti plurimùm conferēt: quibus succurrunt etiam quæ de hiera cum agarico descripta sunt, & passim in officinis circunferuntur. Stomachicis, asthmaticis, & thoracis uicijs à crassis & pituitosis humoribus auxiliantur. Agaricum autem nolim in trochiscos rotundari, aut alioqui corrigi, cùm hieræ misceatur, quod à recentioribus inuentum ab antiquis nunquam est usurpatum. Nec desunt

egregij

egregij nominis Medici, qui agaricum in puluerem redactum cum ſolo ſaccharo profectu optimo exhibeant.

## *Pil. de agarico Meſ.*

℞ Agarici, drach. tres.
Ireos,
Praſsij,
Myrrhæ, ana drach. unam.
Turbith, drach. quinque.
Hieræ picræ, drach. quatuor.
Colocynthidos,
Sacocollæ, ana drach. duas.
Excipe ſapa.

Hæ pilulæ longè à ſuperioribus diuerſæ ſunt, & crebro officinarũ uſui. Deſcriptionem autem nactæ ſunt ex Meſueo: quáuis Auicennas in aſthmatis curatione, pilularum de agarico meminerit, quæ eadem omnino recipiunt, paulùm immutatis ponderibus, ubi myrrham quoque omittit. Meſueus etiam in opere Medico harum pilularum, ſed uariatis pōderibus, meminit. Sunt & his affines Serapionis pilulæ pectus abſtergẽtes, ponderibus tantùm uariæ. Sed quas idem de agarico pilulas obſtructionibus leuandis & hydropi aſsignat, nihil habẽt cum iſtis commune. Recipiunt autem epithymi, aloes, ſing. drach. ſex. agarici, drach. quatuor. ſcammonij, petroſelini, aniſi, ſeſeleos, ſeminis apij, dauci, ſing. drach. duas. Nicol. etiam

*Lib. 3. Fen 10 tract. 1. cap. 40.*
*Cap. de Aſthm.*
*Tract. 7. cap. 17.*
*Tract. 2. cap. 24.*
*Pil. de agarico Serap.*

Alexandrinus pilulas de agarico ex ſuperiore materia deſcribit,ſed pōdus imminuit,& myrrham deſiderat. Officinæ noſtræ maſtiches drach.tres addunt,cùm nullus illius mentionē fecerit. Caput & thoracem craſsis & uiſcidis humoribus expurgāt,remotam in ultimis corporis partibus pituitam eliciunt, tuſſem inueteratam ſedant, aſthmaticis & peripneumonicis conferunt, thoracis uicia ex glutinoſorum ſuccorum lenticia propulſant,& ſimplicium ratione humores omnes educūt:potiſsimùm uerò bilioſos & pituitoſos. In his (ut nec in cæteris) agaricum in paſtillos redigi nihil eſt neceſſe. Doſis eſt ad ſcript. quatuor. Vinum autem ad dimidias aut tertias decoctum, quod Latinis Sapa aut Defrutum dicitur (Græcis σιραῖον aut ἕψημα) ſuo lentore & craſsitudine his comprehendendis pilulis ualde eſt idoneū,ut facilius à putredine aut tranſpiratione uindicētur.

## *Pil. aureæ Nicolai.*

℞ Aloes,
Scammonij cocti,ana drach. quinque.
Roſarum,
Seminis apij,ana drach. duas & dimidiam.
Aniſi,
Fœniculi,
Maſtiches,ana drach.unam & dimidiam.
Croci,
Pulpæ colocynthidos,ana drach.unam.

Cum

Cum aqua muccaginis tragacãthi fiat massa.

Aureæ propter eximias dotes & singularem uim dictæ sunt. Etsi enim nullis alijs purgatione ipsa cedunt, moderatæ tamen sunt, neque naturam lacessunt, aut tormina excitant, quę ualẽtibus catapotijs sunt admodum communia. His non temerè utimur è capite humores crassos aut tenues, pituitosos aut biliosos educendo. Sensus omnes acuunt, præcipuè oculorum aciem, obstructiones iecoris delent, ac uentriculo uiciosis succis grauato conferũt: flatus etiam stomachi aut intestinorum dissipant. Tuta sunt admodum ista catapotia, quòd aluum citra molestiam deijciant. Nam etsi magnam uim scammonij recipiunt (singulæ enim totius partes, quæ omnino sunt quindecim, scammonij scriptulum unum capiũt) reliquis tamen rebus ita temperantur, ut iustam & colocynthidis & diacrydij actionem obeãt. Quorum opera tenues & biliosos, crassos etiam & glutinosos succos ex remotioribus corporis partibus attrahunt. Aloes ratione pituitam & bilem ab intestinis depellunt. Atque præterquàm quòd ipsa uentriculo cõducit, ita & medicamentorum ualentium impetũ optimè retundit. Diacrydium bilem mouet, colocynthis pituitam & glutinosos à remotis partibus humores. Rosæ aqueam & serosam humiditatem deturbãt, roburq; addunt. Anisum, fœniculus, apiũ, crocus & mastiche roborant, flatus discu-

 tiunt,

tiunt, & medicamenta reprimunt. Obstructa leuant, uertigini quę ex flatibus uentriculi oritur, frigidis humoribus uacuatis succurrit: qua ratione etiam concoctionem iuuat. Quòd si addideris quiddam ad atri humoris uacuationem, omnes humores protrudent. Quidā diacrydij duplum pondus faciunt ex Plateari j inuento non satis probando, cùm potius totius compositionis pondus augendum sit: nec sit imprudenti Medico imponendum. Tragacanthi drach. una, aquæ uncijs duabus ad dissolutionem super cineres calidos maceratur, colati mucagine paulatim affusa pulueres comprehenduntur, & massa optimè fingitur, propter tragacanthi lenticiā, qua facilè omnia coeunt. Hodie tamen syrupo aut melle rosato non infeliciter comprehendunt, duritiem ex tragacātho metuentes. Sunt qui pilulas aureas Mesuei (quæ Turbithicæ dicuntur) harū loco substituant: sed non satis aptè. Valentiores enim sunt, propter magnam turbith copiam: ideoq; tormina excitant, etsi Mesueus zingiber non addiderit, quod medicamenti uim acuit. Recipiunt autē turbith boni drach. sexdecim. aloes unciam unam & semissem. mastiches, rosarum, sing. drach. septem. myrobalanorum flauarum, drach. decem. croci, drach. tres. Excipiuntur succo absinthij. Quidā in his pilulis mastichen drachmæ unius tantùm pondere ponunt: alij etiam fœniculum omittunt. His utitur Nicolaus

*Pil. Mes. aureæ, quæ Turbithicæ.*

laus Alexãdrinus ad ſtomachicos, colicos, nephriticos & inflatos, easq́; ab Italis Aorias uicioſè pro aureis nuncupari ſcribit.

## *Pilulæ aggregatiuæ Meſ.*

℞ Myrobalanoum flauarum,
Rhei optimi, ana drach. quatuor.
Succi eupatorij,
Succi abſinthij, ana drach. duas.
Diacrydij, drach. quinque.
Myrobalanorum Cepularum,
Myrobalanorum Indarum,
Agarici,
Colocynthidos,
Polypodij, ana drach. duas.
Turbith optimi,
Aloes, ana drach. ſex.
Maſtiches,
Roſarum,
Salis gemmæ,
Epithymi,
Aniſi,
Zingiberis, ana drach. unam.
Excipe Electuario roſato: fiat maſſa.

Omnium quibus utimur pilularum, ſunt ſaluberrimæ, tutiſsimæ, & uſitatiſsimæ. Abſq; difficultate educunt, & maximè ſunt efficaces, ſine torminibus, & ualentium medicamentorum noxa. Ideo propter uſus, & nominis celebritatem, per aggregatiuas ſimpliciter in uſum

ueniunt, quòd multorum ſint affectuum propriæ, & ueluti polycreſtę. Omnes enim humores purgant, & nulli non morbo conueniunt, ab omnibusque corporis partibus probè uacuant: pręcipuè tamen à cerebro, capite, uẽtriculo & hepate. Nutritionis inſtrumenta ſordibus eluunt, cerebri ſenſationes erigunt, pituitam & bilem utranq; deturbãdo. Quo nomine febribus complicatis & antiquis commodant, quibus dantur cocta iam & permixta materia. Humores tenues & calidos magis quàm pituitoſos, craſſos & frigidos eliciunt: quanquam & his quoq; conueniunt, & atros quoque ſollicitant. Ob tam efficacem igitur in quoduis morborum genus uim, & cuiuſuis humoris ſecretionem, aptæ ſunt purgationi uernæ. Primas uenas, uentriculum & iecur putridis & uiciatis humoribus liberant. Ex tribus Meſuei deſcriptionibus hæc ſola uſum obtinuit. Excipiuntur electuario de ſucco roſarum, deſcripto à nobis antea ex ipſo Meſueo, ne quis aliud ex Nicolao aſſumat: in quo utendo uidẽdum eſt, ut galliam moſchatam & trochiſcos ex eodem Meſueo haurias. Quidam nunc excipiunt melle roſato, ſed non ſatis efficaci. Nicolaus Alexãdrinus harum pilularũ ſchema proponit, quas ad omnes affectus pręſtantes facit, nec ponderibus uariat: huius compoſitionis dimidium appendens. aloen tamen omnino omittit. Eas excipit ſaccharo roſato laxatiuo, quod illi eſt electua-

electuarium de ſucco roſarum ſolutiuum, ut prius diximus. Sunt ſatis efficaces drachmæ unius pondere. Auicennas alias deſcribit pilulas aggregatiuas lib. 5. Sunt etiam qui alia adſcribant pondera, & aliquantulum ab his quæ adſcripſimus, differant: ſed maximè uulgatos codices ſecuti ſumus.

## *Pilulæ Arabicæ Nicolai.*

℞ Aloes optimæ, unc. quatuor.
Radicis bryoniæ,
Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Indarum,
Emblicarum,
Belliricarum,
Maſtiches,
Scammonij cocti,
Aſari,
Roſarum, ana unc. unam.
Caſtorei, drach. tres.
Croci, drach. unam.
Excipe ſucco fœniculi: fiat maſſa.

Sumptæ ſunt ex Gilberto Anglo, ubi agit de morbo articulario. Saluberrimæ ſunt, & tutiſsimę, omnibus expurgãdis humoribus idoneæ: præcipuè capiti, cerebro, hemicranię, memoriæ affectæ conducentes. Vertigini ſuccurrunt, menti offuſas tenebras explicant, eiusq; a..e n firmãt, læticiam ingenerant, aurium grauitates

uitates leuant, oculos iuuant, dentes, gingiuas confirmát. In arthritide plurimùm possunt: cui etiam nunc potissimùm deseruiunt. Ex his cō-ponuntur quæ ad omnes humores ualent. Aloe ipsa, scammonium, myrobalani flauę bilem sollicitant: emblicæ, belliricæ, cepulæ, pituitá. Bryonia serosos humores ex remotis etiá partibus prouocat. Cætera robur firmant, & medicamentorum impetus retundunt. Nicolaus falsò eas longa temporis duratione commenmendat: statim enim durescunt, cùm fœniculi succo comprehendantur. Quidam absinthij succo, aut brassicæ excipiunt.

## *Pilulæ mastichinæ Conciliatoris.*

℞ Masticḣes, drach. quatuor.
Aloes optimæ, drach. decem.
Agarici optimi, drach. tres.
Excipe succo artemisiæ: fiat massa.

Magnam habent in opere medico prærogatiuam, hisq; omnes pro mastichinis utuntur in stomacho confirmando, & à putribus corruptisq; humoribus uindicádo. Ventriculū leuiter purgant, eumq; biliosis & pituitosis succis affectū liberát, & noxiá imposterum pręcauēt. capiti conferūt, uterū iuuant, & miro quodam modo roborant. Quanquam pro tanta laude malim Galeni hiera picra uti, & pro humoris specie addere agaricum, aut scammonium, aut epithymum: quod facit Actuarius lib. quinto Meth.

Meth.. aut si cui sit in animo, quandam ex Andromacho compositionem quę mastichen reciperet, ex octauo Comp. phar. part. in usum deducere. Sunt aliæ pilulę ab Auic. & Mes. descriptæ ex aloe cum mastiche: de quibus in pilulis de aloe agemus. Has pilulas quidam temerè pilulas de aloe, propter magnã eius copiam uocant: cum ea nomenclatura alias usus insigniat. Quidam harum loco pilulis Nicolai de mastiche & aloe utuntur, quæ recipiunt aloes unciam unam'. croci, scammonij cocti, sing. script. duo. succo fœniculi, aut absinthij excipe. Memini etiam loco succi artemisiæ, quosdam syrupum stœchaditen rectè supponere. *Pilulæ de mastiche & aloe Nic.*

## *Pilulæ de aloe.*

℞ Pulpæ colocynthidis, drach. unam.
Aloes,
Scammonij, ana drach. duas.
Mastiches, drach. dimidiã, alij drach. unam.
Excipe succo absinthij.

Has describit Gal. lib. I. Comp. phar. part. in Alopecię curatione, dum crassos & uiscidos succos è capite extrahit. Quibus uti debemus, cùm pilulas de aloe præscribimus, omnibus alijs relictis descriptionibus. Ventriculũ, hepar, & nutritionis instrumẽta putridis humoribus expurgant, caput & cerebrum deplent. Describuntur à Paulo libro septimo, aliter tamen *Cap. 5.*

men quàm Gal. Aloen enim cum colocynthide ad drach. unam æquat. Sunt quibusdam usui pilulæ de aloe lota simplicissimæ, autoribus celeberrimæ. Meminit Mesueus in opere medico pilularũ de aloe sola, quater aut quinquies in succo caulium infusa & exiccata, ad cerebri, capitis & oculorum affectus. Sunt qui harum etiam loco his utantur, quæ recipiunt aloes lotæ cum succo rosarum rubrarum unciam unam, agarici trochiscati, drach. tres. mastiches, drach. duas. specierum diamoschi dulcis, drachmæ semissem. cum uino Cretico cogatur massa. Pilulas etiam de aloe cum mastiche Auicennas facit in Cephalalgia. Mesueus quoque illis turbith addit. Recipiunt autem aloes drach. septem. mastiches, rosarum, sing. drach. tres. turbith drach. decem. formẽtur catapotia. Sed ipse mastichina uocat, quibus stomachum & caput purgat. Quidã harum loco pilulis Nic. de mastiche utuntur. Sed in tanta uarietate, non est cur ambitiosè nimis simus delicati, his quas ex Gal. adduximus, abundè contenti. Has enim pilulas ex aloe 5. Meth. mirificè commendat, ad uarias excrementorum species: sed bdellium, agaricum & gummi Arabicum addit, omissa mastiche: quam etiam postea sustulit, ut testatur in lib. Comp. phar. part. Sed hæ uidentur esse pilulæ de colocynthide, ijsque similes, quas postea ex Alexandro describimus: quibus utebatur sæpe Leonicenus in

*Cap. de Cephalalg.*

*Pil. de aloe Mes.*

in capitis affectibus, & pilulas de sex rebus uocabat, quòd aloen, colocynthida, scammoniũ, agaricum, bdellium, & gummi Arabicum ad ęquale pondus caperēt. Quæ non immeritò in usum quoque à nobis deduci debent, ut ijs in ualentioribus affectibus utamur: superius uerò descriptis non ita urgente morbi sæuitia, aut parciore humorum copia. Pilularum de aloe uarias etiam descriptiones adfert Nicolaus Alexandrinus.

## *Pilulæ cocciæ Rhasis.*

℞ Pulueris hieræ picræ, drach. decem.
Colocynthidos, drach. tres, script. unum.
Scammonij, drach. duas & dimidiam.
Turbith,
Stœchados, ana drach. quinque.
Excipe syrupo stœchadite: fiat massa.

Catapotia ista Coccia dicuntur, à Gręcis deducto nomine, qui pilulas modò καταπότια, modò κοκκία, hoc est granula erui magnitudine uocant, nos orbiculos. Sic Actuarij κοκκία ad hydropem, lib. 5. Meth. ut sit ridenda barbarorum in pilulis cochijs interpretatio nominis. Existimo enim Coccia in usum adduxisse autores, quòd Galeni catapotia de aloe in purgandis cerebri & capitis affectibus plurimùm laudarint. Vnde apud Mesueum & Nicolaum Galeni Coccia: quibus solenniter in capitis affectibus utuntur. Coccia etiam usurpat Auicennas

Fen 1. l. 2. tract. 1. cap. 29. cennas in Cephalalgia, nō alia intelligens: initio quidem morbi materia non satis cocta, aut sequaci, necdum fluxili. Vt abundè ridēdi sint, qui in quouis etiá leui & primo capitis discrimine, his Rhasis coccijs utuntur. Sunt enim admodum ualentia, incorrecta, ualde torminosa & suspecta: nec his nisi pręgressis quibusdam alijs, nec nisi in materia crassa & frigida utendum, ut uult Rhasis & Gradensis. Magná recipiunt turbith & scammonij copiam: qua ratione parum tuta sunt: nec his libenter utimur, nisi multa addantur, quæ medicamentorum uim reprimant. Quare cum Coccia præcipimus, Galeni de aloe pilulas intelligimus, ut scribit Gradensis, quæ rectè pro his substituentur. Nec uelim Pharmacopœum Coccijs Rhasis, non nisi ex prudentis Medici præscripto uti, qui consultè multa ad correctionem addiderit. Moderationem istam adhibet Musa, ut cæterorum nihil mutato pōdere, turbith drachmæ semissem faceret: adderet uerò bdellij, stœchados, masticbes, dauci, galangæ, seminis fœniculi, zingiberis, gummi Arabici, sing. drach. unam. Sumpta est hæc descriptio ex Rhasis nono ad Almansorem. Cuius omnino Cap. 1. similem habet Mesueus in cephalalgia frigida, duplicato tantùm pondere: ubi etiam Galeni Coccia describit, ex aloes, scammonij cocti in cydonio, interioris colocynthidos, masticbes, absinthij, sing. partibus æqualibus. Qualia omnino

nino

nino describit Serapio, Galeni Coccia uocans. Mesueus quoq; in asthmate pilulas coccias lõgè diuersas describit. Quo in cæco suspicionis tormento, malim Galeni catapotia ab his autorib. toties usurpata & celebrata indicere, quàm istis uti, quæ magnam ægro facessunt molestiã, quibus nec unquam sine torminibus uti licuit. Cephalica rectè dicuntur, quòd scilicet caput magna efficacia expurgent, ideoque à neruis crassos & frigidos humores euacuent. Hemicranicis cõueniunt. Alexãdrinus pilulas Cocceri aut Cotzeras uocat, quæ uidẽtur Coccias exprimere. Quarum tres cùm adhibeat descriptiones, primam non temerè harum loco usurpari crediderim, ad cephalalgiam, hemicranicos, destillatione laborãtes, lippitudine & neruorum incontinentia affectos. Recipiunt autẽ hieræ picrę Gal. drach. quinq;. diacrydij drach. unam cũ semisse. pulpæ colocynthidos, drachmæ dimidiũ. turpeti, stœchados Arabicæ, sing. drach. duas & dimidiam. sagapeni, opopanacis, bdellij, ammoniaci, agarici, spicæ, singul. drach. dimidiam. rhei barbari, aloes, flauæ, sing. exagium unum, hoc est aureum unum. Excipiuntur succo fœniculi. Sunt qui in utẽdis pilulis coccijs Rhasis, hierã picram Rhasis quoq; usurpent, quæ parum differt ab hiera, quã Gal. assignauimus. Huius hæc est formula. ℞ pul. rosarũ, rubrarũ, spicę, mastiches, xylobalsami, carpobalsami, cinnamomi, xylocasiæ, asari, ana

*Pil. Cocceri Alexãdrini.*

*Hiera picra Rhasis.*

drach.unam. aloes ſuccotrinæ, unc. duas. ſingula ad artem exactiſsimè trita, & per cribrum decuſſa, in uſum ſeponantur.

## *Pilulæ fœtidæ Meſ.*

℞ Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij,
Colocynthidos,
Rutæ agreſtis, & huius inopia, ſiccæ hortenſis,
Aloes,
Epithymi, ana drach. quinque.
Hermodactylorum,
Eſulæ, ana drach. duas.
Scammonij, drach. tres.
Cinnamomi,
Spicæ,
Croci,
Caſtorei, ana drach. unam.
Turbith, drach. quatuor.
Zingiberis, drach. unam & dimidiam.
Euphorbij, ſcript. duo.

Succo porri calfacto liquores quatuor diſſoluuntur, & ad ſucci cõſumptionem coquuntur: deinde cætera trita comprehenduntur.

Sunt ualẽtia admodũ hęc catapotia, ideoq; parum tuta, quòd minimè repreſſa purgátium uis ea ſuſpecta reddat, ut ſcribit Gradenſis in nonum ad Almanſorem. Omnis generis humores

mores educunt, crassos, tenues, à partibus propinquis & remotis. Viscidos quoque & lentos è cerebro & articulis prouocant: qua ratione podagræ, gonagræ, cerebri affectibus frigidis, neruorum incontinentiæ auxiliàtur. Ventrem totum pituita abluunt, & colico dolori succurrunt. Resolutioni neruorum, spasmo & tremori adhibentur: sed in morborum declinatione potius quàm principio, propter effrænatam uim. Drachma enim una abundè purgat, nec per se tutus est earum usus. Quidam minoribus Mesuei fœtidis utuntur: quæ etiam magis suspecta sunt, & minus correcta, simplicibusq; (licet paucioribus, unde Minora dicuntur) ualentiora. Quæ recipiunt sagapeni, ammoniaci, opopanacis, bdellij, myrrhę, sing. drach. quinq;. turbith drach. decē. colocynthidos, drach. sex. fiunt ut priora. Alij fœtidas Rhasis ad Almansorem adhuc longè inclementiores parant, quæ habent hieræ picrę drach. decē. pulpæ colocynthidos, drach. quinque. euphorbij drach. duas cum semisse. castorei, piperis, assæ fœtidę, sagapeni, opopanacis, lepidii, sinapis, singul. drach. unam. centaurij minoris, elaterij, sing. drach. quinque. liquores succo rutę dissoluuntur. Sed his uetat uti Gradésis, nisi accedat iusta moderatio, & optima simpliciū correctio. Dicuntur autem omnes *Δυσώδεις*, aut fœtidæ, quòd castorium, rutam agrestem, assam fœtidam, & liquores graueolentes recipiāt potius,

*Pil. fœtidæ minores Mes.*

*Cap. de Paralysi.*
*Pilulæ fœtidæ Rhasis.*

quàm quòd humores putres educant, aut quia fœtidis morbis occurrunt: quales ſunt lepra, ſcabies, uitiligines, impetigo, alphi. Quibus ſuccurrunt uacuatis tenuibus, bilioſis & ſeroſis ſuccis. Sunt pilulæ Alexandrini è caſtorio non longè abſimiles ad reſolutos, arthriticos, morbo comitiali correptos & ſideratos. Quatuor pilularum fœtidarum deſcriptiones habet Auicennas lib. quinto: quarum quæ ſecunda eſt, huic maximè reſpondet, niſi quòd hermodactylos, eſulam, turbith & zingiber omittit, & dimidium huius confectionis tantùm ponit: qua proportionis ratione, euphorbium drachmæ ſemiſſem excedere non debet. Eas fœtidas maiores uocat. Quatuor quoque pilularum fœtidarũ ſchemata habet Meſueus, cap. De affectibus neruorum: ſed ex iiſdem omnino ſimplicibus confectas, uariato tãtùm pondere. Sunt earum aliæ multæ deſcriptiones apud Serapionem & Halyabbatem, quibus in præſentia ſuperſedemus.

## *Pilulæ Indæ Meſ.*

℞ Myrobalanorum nigrarũ, hoc eſt Indarum,
Ellebori nigri,
Polypodij, ana drach. quinque.
Epithymi,
Stœchados, ana drach. ſex.
Agarici,
Lapidis Lazuli loti,

Colo-

Colocynthidos,
Salis Indi,ana drach.quatuor.
Succi eupatorij inſpiſſati,
Spicæ,ana drach.duas.
Caryophyllorum,drach.unam.
Hieræ picræ,drach.duodecim.
Excipe ſucco apij:fiat maſſa.

Ex Halyabbate à Meſueo deſcribuntur, & miris laudibus celebrantur ad affectus melancholicos, atram bilem, humores aduſtos, maniam & melancholiam morbum. Cancrum, elephátiam,alphos nigros curatu difficiles,icterum nigrum ex ſplenis affectu ortum : quartanas etiam ſanant. Ea recipiunt, quæ omnibus modis atros humores expugnát: licet craſſos, bilioſos & pituitoſos ſuccos aliqua ex parte protrudát. Antonius Muſa in flatu hypochondriaco,aut hypochondriaca melancholia (quę à barbaris Myrachia dicitur) his pilulis feliciſſimè utebatur. Sed initio pro morbi huius natura, ut cætera omnia medicamenta quæ huic adhibentur,nocere uidentur:poſtea tamē ualde prodeſſe. Indarum nuncupationem habēt, quòd ſalem Indum, qui niger eſt ( cuius penuria ſaccharum rubrum potius quàm candefactum,aut ſal gemmeus foſsilis ſupponitur)potius quàm quòd nigros, atros & melancholicos humores educant,aut myrobalanos Indas recipiant. Lapis Cyaneus, qui Lazurius dicitur, toties ablui debet, ut nullum amplius co-

lorem aut ſaporem in aqua relinquat. Qui ca-
non eſt ablutionis, lapidum maximè proprius.
Eupatorij ſuccum denſatum, qui parco nimis
drachmarum duarum pondere ponitur, apij
ſuccos compenſat, qui depuratus & coctus ac-
cipi debet, ne mucorem aut ſitum promptè
contrahant. Quod in omnibus catapotijs, quæ
ſuccos capiunt, eſt obſeruandum. Sunt pilulæ
*In Cepha-* ſaporis Indæ apud Meſueum, quæ tãtùm pon-
*lalg. melãch.* deribus differunt, & ad maniam, melãcholiam,
epilepſiam, alphos nigros, & nigra ulcera adhi-
bentur. Alexandrinus pilulas habet, faciem &
totum corpus purgantes, uiribus non abſimi-
les: quibus etiam reſpondent aliæ, quas ad me-
lancholicos admodum probatas facit.

## *Pilulæ de fumoterræ Auic.*

℞ Myrobalanorum flauarum,
Nigrarum,
Cepularum,
Scammonij, ana drach. quinque.
Aloes, drach. ſeptem.
Omnia imbuantur ſucco fumariæ depura-
to, & toties ſiccentur: dein fiat maſſa.

Affines ſunt pilulis Indis prius deſcriptis, ſed longè imbecillius biliosos, mordaces & ſe-roſos humores purgant, pituitam ſalſam, aduſtos quoque & ſalſos ſuccos, qui putrilagine concepta cutim fœdãt, pruriginem & ſcabiem excitant, purgant. Poſſunt uerò pro re nata au-

geri, ſenna, polypodio, epithymo & elleboro pro Medici prudentia. Sunt imbecillæ, nec minori quàm ſcript. quatuor copia exhibendæ. Omnia craſsiuſculè trita, ſucco fumariæ defœcato irrorantur, inſolantur ad mediocrem reſiccationem: iterum & tertiò repetuntur, poſtea in maſſam cõprehendantur. Deſcribuntur ab Auicenna lib. 4. in Cura pruritus & ſcabiei. *Fen 7. cap. 7.*

## *Pilulæ communes.*

℞ Croci,
Myrrhæ, ana unc. unam.
Aloes, unc. duas.
Excipe uino aromatite.

Dicuntur ab omnibus pilulę Communes, & ſine cuſtodia, à quibuſdã etiam peſtilẽtiales Rufi nominantur. Certus eſt autem & tutus earum uſus in peſtiferæ luis cõtagione præcauenda, ſi quotidie uacuo ſtomacho ex his globulus unus ſcriptuli, aut etiam maiore pondere ſumatur. Mirè enim humorum proluuiem ſiccát, putrida abſumũt, partes corporis nobiles roborant. Vacuant nanque excrementa biliosa & pituitoſa, uentriculo, meſaræo, hepate & inteſtinis, ueluti corporis cauo cõcluſa: unde cerebrum quoque & eius ſenſationes confirmant, corpusq; à putredine uindicát. Confectionem ex aloes, myrrhæ & croci æqualibus partibus Auicennas & Meſueus in peſtilentia præcauenda quotidie imperant. Rhaſis *Lib. 4. Fen 1. tract. 4. cap. 5.*

lib. quarto ad Almanſorem in prꝭcautione peſtilentiæ, aloes proportionem duplam ad cætera facit, unde ſumpta eſt hæc deſcriptio. Falſò uerò, ut omnibus patet, Rufi Epheſij nomẽ

*Cap. 35. l. 2.* prætendunt. Ille enim, Paulo teſte, potionem non catapotia conficiebat, ex aloes & ammoniaci thymiamatis partibus duabus, myrrhæ parte una. Quæ ſimul tuſa, cum uino fragranti quotidie ad dimidium cyathum propinabat in peſtilentia miro ſucceſſu. Neminem enim unquam fruſtratum dicit. Cui uſui mirè conferũt hęc catapotia ex aloe illota, aut ęſtate lota, in aqua intybi & roſarum. Omniaque tunc excipi debẽt ſucco citri acido, aut ſyrupo limonum. Quibus ſi boli Armeniæ lotæ par pondus aloe addideris, magnam uirium habebunt acceſsionem.

*Pil. de tribus cum rhab.* Pilulæ de tribus dicũtur omnibus: & addito rhabarbaro, pari cum aloe põdere, De tribus cum rhabarbaro dicũtur: etſi pro iſtis aliæ à Pharmacopœis quibuſdá ſubſtituuntur, quæ agarici, aloes & rhabarbari, ſing. partes æquales recipiunt. Nicolaus Alexandrinus duas habet pilularũ communium deſcriptiones, nihil ferè inter ſe diſtãtes, ſed longè ab iſta diuerſas.

## *Pil. ſine quibus eſſe nolo. Nic.*

℞ Aloes lotæ, drach. quatuordecim.
Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Belliricarum,

Embli-

Emblicarum,
Indarum,
Rhabarbari,
Masticheſ,
Abſinthij,
Roſarum,
Violarum,
Sennæ,
Agarici,
Caſſutæ, ana drach. unam.

Temperentur ſcammonij bene triti drachmæ ſex cum ſemiſſe. fœniculi ſucci ea quantitate, quæ ſcammonio per pannum colãdo ſufficere poſsit, & cæteris pulueribus comprehendendis, & orbiculis effingendis, qui manibus inunctis oleo uiolato, uel communi, pro artis præcepto loto, formentur.

Hodie uerò Pharmacopœi ſcãmonium per ſe tritũ, cæteris pulueribus miſcent, quos melle cum quo ſuccus fœniculi coquendo ſit conſumptus, excipiunt. Efficaciſsimæ ſunt pilulæ ad purgandos omnes humores partium ſuperiorum. Quo nomine ſuffuſionibus, oculorum caliginibus, uiſioni conferũt: aurium dolorem ſanant, purgantq́; mirè caput à pituita, bile flaua & atra. Iliacos iuuant. Quòd ſi quis unius tantùm humoris eductionem requireret, poſſet ea augere medicamenta, quæ expetitum humorem propriè depellerẽt. Pilulas ſine quibus ex Campano facit Arnoldus Villanoua-

nus ferè nostris communibus similes, ex aloes partibus duabus, myrrhæ una, croci dimidia, cum succo rosarum.

## *Pil. stomachicæ Mes.*

℞ Myrobalanorum flauarum,
Aloes,
Turbith, ana drach. decem.
Rosarum,
Spicæ,
Mastiches, ana drach. duas & dimidiam.
Anisi, drach. unam & dimidiam.
Salis Indi,
Croci, ana drach. unam.
Excipe succo absinthij: fiat massa.

Ex multis stomachicarum pilularum descriptionibus Mesuei, ultima ista præcipuo quodam modo in officinis paratur, ad biliosos & pituitosos humores propellendos, qui uentriculum & caput obsident. Sed istis pilulis, ut nec cæteris quæ stomachicarum nomine circunferuntur, nisi præscripto scopo, temerè abuti ad hominum salutem nolim: tum propter magnam turbith copiam (quæ stomacho mirũ in modum nocet) tum quòd pro uario stomachi affectu, miscenda quæ illi laboranti opem ferant, non autem uires opprimant. Pilulæ ergo stomachicæ, cùm ferè eius esse debeant generis, ut stomachum affectum leuent, uel debilem confirment & roborent, ea debẽt à Medico

dico præscribi, quæ sibi destinatos scopos assequantur. Est enim ubi uentriculus humoribus scateat, qui in capacitate & cauo, aliquando etiam in tunicis continentur: aliquando uerò uenis & rugis imbibuntur. Quinetiam huius uis uiciosis succis obtunditur, ad quæ omnia pilulæ stomachicæ parari debent. Non probo autem, ut hæ pilulæ ab antiquis scriptæ, quæ multum uacuant, & stomachi uires dissoluunt, parentur: sed earum loco lubens uterer pilulis de hiera simplici Gal. aut puluere hierę simplicis. Hęc enim est stomacho gratissima, & uiciosos succos, qui eius tunicis imbibuntur (quod est perpetuum ferè stomachi uiciũ) deturbat. Cui adderem cætera quæ pro uario laborantis affectu scopum destinatum attingerent. In his uerò pilulis ab antiquis institutis semper purgantia miscentur, & ea quidem quæ uentriculum subuertunt, ut agaricus & turbith, quod aliquando stomacho iam per se debili grauissimum est. Quinetiam cùm stomachus sæpe sola qualitate afficiatur, malè imperant Medici in his affectibus pilulas stomachicas purgantes, cum solis alterantibus egeat. Adde quòd aloe (quã ferè omnes hæ pilulæ magna copia recipiunt) sola qualitate affecto uentriculo est noxia, ut scribit Gal. octauo Comp. phar. part. Nõ est igitur quòd quis istis temerè utatur, aut officinis etiam in his pilulis parandis nimis ambitiosè liberis credat. Vix enim reperias unum

aut

aut alterum, qui eandem descriptionem sequatur. Quare si quis bilem flauam & pituitá non intemperanter ex uentriculo detrudere uolet, his pilulis stomachicis, quas huc adferimus, uti poterit. Quas ideo adscripsimus, quòd cæteris purgantibus sint moderatiores, & omnium ferè usu tritissimæ. Est uerò alia Mesuei descriptio, quę tolerabiliorem stomachicarum pilularum usum communem faceret, & quas ab omnibus parari cuperem: tum quòd simplicissimę sunt, ideoq; simplici uentriculi affectui maximè conueniũt: tum uerò quòd facilè quiuis purgãtia medicamenta, si res exigat, adscripserit. Parantur hodie sub nomine pilularum ante cibum. Recipiunt autem aloes, drach. sex. masticheś & rosarum, sing. drach. duas. Sed ea mallem succo absinthij, quàm solatri excipi. Nic. Alexandrinus duas habet stomachicarum pilularum descriptiones: quarum alteram ad usum ualde probarim, quæ recipit aloes flauæ, masticheś, absinthij, sing. unc. unam. succi marrubij quãtum satis erit effingendis catapotijs. Describuntur ab Auicenna lib. 5. pilulæ stomachicæ Alkindi: quæ etsi ab autoribus Medicis ualde probantur: magnam tamen turbith copiam recipere mihi uidẽtur. Actuarius pilularũ stomachicarũ meminit ad uiscerum & stomachi robur, doloremque sopiendum, quas ante & post cibum propinat. Hæ solis roborantibus, rheo & aloe constant.

*Pil. stomachica paranda.*

*Pil. stomachica Alex.*

*5. Meth.*

Pil.

## *Pilulæ oculares maiores, quæ Lucis dicuntur Mes.*

℞ Rosarum,
Violarum,
Absinthij,
Turbith,
Colocynthidos,
Cubebarum,
Calami aromatici,
Nucis moschatæ,
Spicæ Indicæ,
Epithymi,
Carpobalsami,
Xylobalsami,
Schœnu anthos,
Masticheſ,
Asari,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Anisi,
Fœniculi,
Apij,
Cassiæ ligneæ,
Seminis rutæ,
Seseleos,
Croci,
Maceros, ana drach. duas.
Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,

Indarum,
Emblicarum,
Belliricarum,
Rhabarbari, ana unc. dimidiam.
Agarici,
Sennæ, ana drach. quinque.
Euphrasiæ, drach. sex.
Aloes bonæ pondus omnium. Succo fœniculi excipe.

Hæc catapotia optica maiora solenni sunt apud Medicos in usu, ad excrementa capitis & oculorum pituitosa & biliosa deturbanda. ob idq; oculorum morbis, unde nomen habent, sunt familiaria: tum quia spiritus uisorios roborant, augent, & uisionem puriorem reddũt. Corpus sanum seruant, uacuatis excrementis, & uiribus confirmatis. Etsi uerò temerariam compositionem præ se ferunt, quòd confusè omnia simplicia, tam frigida quàm calida recipiant: saluberrimæ tamen sunt in pituita uacuãda, nec adeò ualentes, ut his sumptis, à cibo abstineas: cùm medicamenta uehementia turbith & colocynthida parua copia cõtineãt. Manardus in pituita uacuãda coccijs eas auget, in bile aureis. Vsu sunt minoribus celebriores.

## *Pil. oculares minores, seu lucis Mes.*

℞ Xylobalsami,
Carpobalsami, ana drach. unam.
Chelidonij, drach. quinque.

Rosarum,

Rosarum,
Violarum,
Absinthij,
Euphrasiæ, ana drach. tres.
Sennæ,
Epithymi,
Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Indarum,
Belliricarum,
Emblicarum,
Agarici,
Colocynthidos,
Schœnu anthos,
Lycij,
Lapidis Cyanei loti, ana drach. duas & dimidiam.
Aloes optimæ pondus omnium. Excipe succo fœniculi aut chelidonij.

In usum quoque ueniunt minora ista optica dicta, quòd pauciora simplicia recipiát, ualentia tamen. Præcipuè ualent ad atram bilem, & humores adustos potius uacuandos, quàm pituitam: quemadmodũ maiora pituitæ eliciendæ magis conducunt, quàm bili atræ. Excipiũtur, ut maiora, melle cocto cum succo fœniculi, aut chelidonij ad ipsarum consumptionem.

*Pilulæ de rhabarbaro Mes.*

℞ Rhabarbari, drach. tres.

Succi

Succi glycyrrhizæ,
Succi absinthij,
Mastiches, ana drach. unam.
Myrobalanorum flauarum, drach. duas & dimidiam.
Seminis apij,
Seminis fœniculi, ana drach. dimidiam.
Trochiscorum diarhodon, drach. tres & dimidiam.
Hieræ picræ simplicis, drach. decem.
Excipe aqua fœniculi,

Humores crassos, lentos & putres uacuāt. Vnde febribus chronicis & diuturnis, ex humoribus pituitosis & putridis, alijsq; uiciosis succis contractis conferunt. Hepatis dolorem, eiusq; obstructiones & lienis leuant, aquæ inter cutem rudimentis sunt salubres. Quo nomine tertianis nothis, quæ ferè ex diuturnitate, iecoris obstructiones & duritias pariunt, ad autumnum salubriter imperātur. Quod faciebat Manardus, ut in tertianarū exitu ad drach. duas, aut unam cum semisse consuleret. Musa etiam autumno aut hyeme in pituitosis febribus exhibet scriptuli unius pondere, alternis diebus sumpto. Solemus præcipere non sine magno profectu, ijs qui ex magna stomachi debilitate, flatibus aut ructibus ex putribus succis continenter conflictātur: & tandem in hydropis suspicionem deueniunt. Hæ pilulæ, ut diutius in officinis durēt, cum melle cōficiendæ

dæ ſunt: in quo coquendo ſuccus fœniculi cõſumptus ſit. Succi ſicci terendi ſunt: quáмеin rem cùm ſuccus abſinthij ſiccus nõ ſeruetur, in rem præſentem igne deſiccari poteſt. Rhabarbarũ, maſtiche & trochiſci per ſe terantur, reliqua ſimul. Sed trochiſci ex deſcript. Meſuei ſubaudiendi ueniũt, quos poſtea deſcribemus. Sunt aliæ pilulę de Rauedſeni Meſuei, iſtis longè efficaciores ad lienis & iecoris obſtructiones & hydropẽ, quibus uti poſſumus. Duas alias pilularum de rhabarbaro deſcriptiones habet Arnaldus, cap. De aurium affectibus. Sunt qui pro pilulis de rhabarbaro, ſolo rheo pulueratо utuntur.

## *Pilulæ de Sagapeno Meſ.*

℞ Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij, ana drach. duas & dimidiam.
Seminis apij,
Ammeos,
Rutæ agreſtis,
Aniſi, ana drach. unam.
Acori,
Lepidij,
Calaminthes,
Folij,
Centaurij,
Polij,

Costi,
Salis gemmæ, ana drach. dimidiam.
Aloes, drach. sex.
Colocynthidos, drach. quinque.
Excipe succo porri, aut marrubij, aut matricariæ: fiat massa.

Secunda est pilularum de sagapeno Mesuei descriptio, quam ex Serapione desumpsisse uidetur. Eandem enim habet Serapio, uariatis tantùm ponderibus, & ijsdem affectibus accōmodatam. Pituitam crassam, lentam, & bilem à remotis etiā locis & articulis ipsis, colocynthidis beneficio educit. Quo nomine ischiadi, podagræ & articularijs morbis conferūt. Aloe ipsa uenarum ora aperiens, & reliqua aperientia uteri morbis competunt, & menses proritant. Gummi genera crassos, frigidos & glutinosos humores dissecāt, aquas ducunt, & menstruum profluuium prouocant, emollitis & apertis, uiscerum præcipuè splenis obstructionibus. Nobis est earū saluberrimus & frequēs usus in uteri à mensium suppresione doloribus, quāuis Manardus se illis nunquam usum fuisse affirmet. Atqui harum tutior est usus, quàm priorum ex Mesuei descriptione, quæ ualentiores sunt, minusq; temperatæ ad neruorum resolutionem, conuulsionem & articularios morbos accommodatæ, quas pro istis antiqui supposuerant. Sed harum usus ex Serapione uenit, licet tutiores sint fœtidæ maiores

res prius descriptæ. Auicennas aliam habet pi- *Lib.5.*
lularum de sagapeno descriptionẽ ad genuum, coxendicum & laterũ dolorem. Serapio quoq; alijs utitur ad hydropem. Sed & Actuarij orbi- *Lib.5. Meth.*
culi de sagapeno ualent ad articulorum morbos, coxendicis & neruorum, morborumq; omnis generis, quem frigida crassaq; recrementa concitarunt.

## *Pilulæ de bdellio maiores Mes.*

℞ Bdellij, drach. duodecim.
Ammeos, drach. tres.
Myrobalanorum cepularum,
Indarum,
Belliricarum,
Veneriarum aut auellanarum adustarum,
Succini aut carabe, ana drach. duas & dimidiam.

Infunde bdellium succo porri sectilis decocto, & forma massam.

Ex tribus Mesuei descriptionibus sola ista prima usum obtinuit in sanguinis ab ano & utero immodico profluuio. Vacuato enim harũ pilularum beneficio, humore melancholico & usto, clemẽter per intestina, deriuatio fit ab hęmorrhoidibus, & ulceribus recti intestini, ab acrium & ustorum humorum erosione excitatis. Sistunt quoque superfluam mensium eruptionem transfusa in intestina materia, uimq; retentricem hepatis & lienis roborant. Bdel-

lium ſiccum capi debet nō molle, ad deſiccatio-
nem maiorem. Veneriarum loco auellanas a-
duſtas, aut earum corticem, aut pectinum & o-
ſtracorum conchas, non impunè quidam ca-
piunt. Alij cōchulas marinas, quæ ex occiduo
Oceano & Iacobi fano aduehuntur: alij lima-
cias cum cochleis aduſtas ſubſtituunt. Quidā
etiam lumbricos terreſtres uſtos po̊nunt. Sunt
qui Venerias acori radices intelligāt. Nos aptè
horum loco radicem quādam uſtam arnogloſ-
ſi, aut hippuris, aut etiam glandium calyces &
cupulas ſupponemus. Conchulas marinas nō
improbamus, cùm Meſueus in deſcriptione ha-
rum pilularum tertia (quæ profectò ad deſic-
candum, & profluuium ſiſtendū eſt ualentior)
*Lib.3. Fen 21. tract.3. cap.4.* conchas aduſtas capiat. Adde quòd Auicen-
nas in menſtrui profluuij ſuppreſsione, con-
chulas marinas ualde probat.

## *Pilulæ de Opopanace Meſ.*

℞ Opopanacis,
Hermodactylorum,
Sagapeni,
Bdellij mollis,
Ammoniaci,
Colocynthidos, ana drach. quinque.
Croci,
Caſtorij,
Myrrhæ,
Zingiberis,

Piperis,

Piperis,
Macropiperis,
Cafsiæ ligneæ
Myrobalanorum flauarum,
Belliricarum,
Emblicarum, ana drach. unam.
Scammonij, drach. duas.
Turbith, drach. tres.
Aloes, drach. duodecim.
Infunde lachrymas in aqua caulium, & forma maffam.

His pilulis quidam utuntur ad uacuandam è cerebro, neruofisq; partibus pituitã craffam, bilem & melancholiam. Efficaces funt in articulorum doloribus à pituita creatis. Refolutionem neruorum & incontinentiã, fpafmum cynicum, gonagram, podagram, aliorumq; articulorum dolores, morbosq; partium neruofarum frigidos leuant colocynthidos, turbethi & fcammonij ratione, non opopanacis, unde nomen fumpferunt: etfi Arabes glutinoforum & lentorum humorum eductionem ei uindicant: quod tamen negant Græci. Alias pilulas de opopanace habet Mefueus ex Ioánicio, cap. De paralyfi: & his quas adfcripfimus ferè fimiles habet Auicennas lib. 5. Pilulas de farcocolla propter nullũ in officinis ufum hic omittimus: tum quòd efficacia alia multa, & longè tutiora medicamenta ad frigidorum & pituitoforum humorum uacuationem nobis fuppetunt.

## *Pilulæ de euphorbio Mes.*

℞ Euphorbij,
Colocynthidos,
Agarici,
Bdellij,
Sagapeni, ana drach. duas.
Aloes, drach. quinque.
Cum ſucco porri fingantur catapotia.

Euphorbium prudenter tritum, cribratus agaricus, læuigata & conciſa colocynthis cum gummis uino diſſolutis, piſtillo calido, & mortario tandiu ſubigantur, dum in maſſam coeant. Fingũtur pilulæ non niſi ualentiſsimis & contumacibus morbis uſurpandæ, quæ pituitam craſſam, & ex partibus remotiſsimis potentiſsimè uacuát: ſed non niſi robuſtis & præcipiti malo exhibendæ. Vſus earum eſt in reſolutione neruorum, & ſideratione, articularijs affectibus, & aquę ſuſpicionibus. Rarò in uſum ueniunt, nec niſi magna cautione à prudenti Medico adhibita. Quamobrem urgentibus malis medicamentum ex Euphorbio Manardi, quod in Gallicis artuum tumoribus feliciter uſurpãt, in catapotia malũt quidam effingere, non improbando exemplo. Deſcribitur ab eo lib. Ep. 16. Ep. 5. & in Simpl. Meſuei, cap. de Euphorbio. Pilularum de euphorbio duas habet deſcriptiones Auicennas lib. 5. quarum altera cum iſta plurimùm conſentit.

Pilulæ

## *Pilulæ de mezereo Mes.*

℞ Foliorum mezerei, aut thymelææ per diem & noctem aceto infusorum & siccatorum drach. quinque.
Myrobalanorum flauarum, drach. quatuor.
Myrobalanorum cepularum, drach. tres.
Forma massam cum manna, aut tamarIndis aqua intybi dissolutis.

In Ascite & Anasarca hæ pilulæ usurpantur. Valenter enim aquas purgant, & hydropi nascenti consulunt. Datur drach. una, aut script. quatuor. Sed tutius est his admiscere rheum, aut pilulas de rhabarbaro, ut scribit Manardus. Describuntur à Mesueo in Simplicibus. Folia autem thymelææ aceto macerantur, ad reprimendam uim acrem, & purgatricem nimiam, ad eandemq; efficacitatem adhibentur myrobalani, ut scribit Mesueus: alioqui parum tutus esset earum usus. Sunt ferè similes, sed ualentiores pilulæ ducentes aquam Alexandrini, Epitoniæ dictę, quę capiũt chamelęæ, grani cnidij, elaterij, sing. drach. unã. succi brasicę quod satis est: formentur pilulæ erui magnitudine.

*In Simp. cap. de Mezereo.*
*Pil. Alex. Epitoniæ.*

## *Pilulæ de eupatorio maiores Mes.*

℞ Myrobalanorum flauarum,
Succi eupatorij Mesuei,
Succi absinthij, ana drach. tres.
Rhabarbari, drach. tres & dimidiam.
Mastiches, drach. unam.

 Croci,

Croci drach. dimidiam.
Aloes optimæ, drach. quinque.
Forma cum ſucco intybi.

His rarò utuntur Medici: quidam tamen in uiſcerum obſtructionibus & ictero imperát. In febribus periodicis, complexis, autumnalibus, diuturnis & antiquis ualent. Ad quas adhibent præſtantiſsimi nominis Medici, cùm magna lienis & iecoris obſtructionum eſt ſuſpicio. Biliosos, tenues & craſſos humores educunt. Citò dureſcunt hæ pilulæ, niſi aliquid glutinoſi capiant: quamobrem melle cum ſucco intybi cocto excipiendę ſunt. Minores alias deſcripſit Meſueus, ſed non ita efficaçes, quæ cum pilulis Auic. de Eupatorio conueniunt, niſi quòd Auic. rheum omiſit.

*Lib. 5.*

## *Pil. de hermodactylis maiores Meſ.*

℞ Hermodactylorum,
Aloes,
Turbith,
Colocynthidos,
Myrobalanorum flauarum,
Bdellij mollis,
Sagapeni, ana drach. ſex.
Opopanacis,
Euphorbij,
Sarcocollæ,
Caſtorij,

Seminum

Seminum rutæ agrestis,
Apij, ana drach. tres.
Croci, drach. unam & dimidiam.
Succo brassicæ excipe.

Hæ pilulæ sunt in usu ad crassos, uiscosos & frigidos humores ex remotissimis partibus educendos: quo nomine articularijs morbis conueniunt. Ducunt etiam tenues & biliosos, sed parcius quàm minores. Vnde arthritidi ferè semper congruunt. Maiores dicuntur, quòd pluribus simplicibus constent, sintque magis compositæ. Liquores succo brassicæ calfacto soluti: cætera omnia melle cum succo incocto excipiunt: etsi quidam, non secus ac minores, Electuario de succo rosarum excipiunt. Duas pilularum de hermodactylis descriptiones habet Rhasis nono ad Almansorem: quarum minores quidam parant, sed inconsultò. Valentiores enim sunt, quàm ut ijs tutò uti possimus. Confectionum ex hermodactylis meminerunt Paulus, Aetius & Trallianus. Pilulas etiam ex hermodactylis multiplices efformant Serapio & Auicennas, quas in præsentia omittimus. Nic. Alexandrinus pilulas de hermodactylo describit, quas Sanas uocat, longè ab istis differentes. *Tract. 7. lib. 3. Fen 22. cap. 8.*

## *Pil. de hermodactylis minores Mes.*

℞ Hermodactylorum, drach. quinque.
Scammonij, drach. duas & dimidiam.

Myrobalanorum flauarum, drach. tres.
Rosarum, drach. duas.
Aloes, drach. decem.
Excipe Electuario rosato Mesuei solutiuo.

Sunt in usu ad arthritidem calidam. Biliosam enim materiam crassam & tenuem ex iuncturis uacuant: sed & pituitosam, ut utriq; arthritidi & frigidę & calidę conueniāt. Myrobalani in huiusce generis pilulis ferè addūtur ad uicium stomachi, quod adferūt hermodactyli, prohibendū: dum humore excremētoso, flatu crasso & nauseabundo eum subuertunt. Myrobalani uerò uentriculum roborando, eos citò deturbant, & humorum affluxum prohibent. Est & alia harum pilularum ex Mesueo descriptio, sed quæ in officinas non uenit. Quidam quòd hermodactylos suspectos habeāt, utuntur in his affectibus pilulis Alexandri de nitro, quas postea describimus.

## *Pil. de lapide Cyaneo aut Lazuli Mes.*

℞ Lapidis Cyanei loti, ut decet, drach. sex.
Epithymi,
Polypodij,
Agarici, ana drach. octo.
Scammonij,
Ellebori nigri,
Salis Indi, ana drach. duas & dimidiam.
Caryophyllorum,
Anisorum, ana drach. quatuor.

Hieræ

Hieræ picræ, drach. quindecim.
Excipe ſucco intybi: fiat maſſa.

Valent ad affectus melancholicos, & à bile retorrida natos, cancrũ, elephantiaſim, quartanam & alphos. Tutò & ſine moleſtia purgãdo conferunt ad drach. unius pondus: etſi prudentiſsimis quibuſdã Medicis lapis Cyaneus ſuſpectus ad purgationem fuit. Qui pro lotionis legibus exactiſsimè læuigatus, toties lotus dum colorem & ſaporem exuerit: aut, ut uult Trallianus, duodecies, purgationem nullã moleſtam facit. Valentiores ſunt hæ pilulæ in aduſtis humoribus purgandis, quàm Indæ. Harum meminit Auic. in Melancholia, etſi eas nõ deſcribit. Alexandrinus plures habet deſcriptiones, quæ lapidem Cyaneum aut Armeniũ recipiunt: ſed pilularum iſtarum nõ meminit.

## *Pil. de lapide Armenio Meſ.*

℞ Lapidis Armenij loti & præparati,
Hieræ picræ, ana drach. quinque.
Epithymi,
Polypodij, ana drach. octo.
Scammonij in cydonio cocti, drach. tres.
Caryophyllorum, drach. duas.
Salis Indi, drach. unam & dimidiam.
Excipe ſucco ſolani.

Valent hæ quoq; ad melancholiam & bilem uſtam utranq; uacuãdam. Rarius in uſum ueniunt, quàm ſuperiores, fortè quòd impo-

tentius

tentius purgent, & clementius, aut quòd Manardo lapis Armenius desideratur. Sunt qui tamen in affectibus melancholicis, lapide Armenio ex Germania aut Armenia delato utantur: cuius uires scriptuli unius pondere in atra bile soluenda, mirabiles experti sunt. Alexander Trallianus & Actuarius lapidis Armenij uires ueratro albo præferunt: quandoquidem efficaciter & sine molestia, stomachi præfocatione, syncope, strangulatu, nigros & terrestres succos purgat: quæ uicia in ea quæ per ueratrum fit, purgatione succurunt. Exhibetur ad trium aut quatuor scriptulorum pondus, aut paulo etiã ampliori copia, pro uiriũ & humoris noxij ratione. Lotus uerò purgationẽ omnẽ per inferiora complet: & tantùm abest ut stomachi turbationem aut compresſionem excitet, ut eum etiam confirmare credatur. Quòd si purgatione per superiora indigeas, utranque non lotus perficiet. Probè autem lauatur cum aqua lupuli, cichorij, intybi, aut decocto polypodij, aut epithymi. Catapotiorum de lapide Armenio laudes plurimas exequitur Trallianus lib. 1. cap. 16. cui omnino consentit Actuarius lib. 5. Meth. Verùm quia omnes in eorum descriptione ponderibus differunt, eas operæprecium est apponere. Tralliani catapotia capiunt hieræ picræ, epithymi, sing. semunciam. agarici, lapidis Armeniaci, sing. script. quatuor. scammonij unc. unam. caryophyllorum grana uiginti.

*Cap. De inueteratis melanch.*

*Pil. Alex. de lap. Arm.*

uiginti. Actuarius picræ, epithymi, utriusque semunciam facit. agarici, Armeniaci lapidis, utriusque drach. quatuor. scammonij unciam. caryophyllorũ grana octo. Vbi drachmas pro scriptulis uiciosè positas existimo. Quæ descriptiones etsi ferè ponderibus inter se consentiunt, uehementes tamen uidentur, & nimis magnã scammonij copiam capere. Eas suspectiores reddit, quòd antiquus Interpres pondera uariarit. Scribit enim, picræ, epithymi, agarici, scammonij, sing. script. quatuor. lapidis Armeni loti drach. quatuor. caryophyllorum grana uiginti. In alio etiam exemplari legitur, scãmonij script. duo. lapidis Armeni loti, script. quatuor. In alio quoque, ana script. quatuor. Mesueus in Cephalalgia melancholica ista Alexandri catapotia describẽs, hieræ, picræ, epithymi, agarici, lapidis Armeni loti, sing. drach. quatuor ponit. scammonij præparati drach. quinque. caryophyllorum drach. unam. Quæ uarietas efficit, ut mendosam scripturam esse colligam, & scammonij copiam minuendam existimem. ut usui nostro sufficiant. Hæc igitur Alexandri catapotia sic me consule parari in rem nostram poterunt. Hieræ picræ, epithymi, sing. semuncia (aut si mauis script. quatuor) agarici, lapidis Armenij loti, sing. script. quatuor. scammonij script. duo, aut drach. una. caryophyllorum grana uiginti. excipe citrij succo, aut rhodomelite. Dosis script. duo, aut drach. *Alex. pil. paranda.*

una.

una. Mesueus in opere Medico pilulas de lapide Armenio ex Gabriele describit, ab istis etiã diuersas. Sunt etiam qui pro istis pilulis, quas descripsit Rhasis 9. ad Almansorem, cap. De Melanch. pilulas de epithymo substituát, non longè dissimiles, nisi quòd pro lapide Armenio ueratrum, & scammonio, stœchada recipiunt, ponderibusque uariant.

*Cap. De mania & melãchol. sang.*

## *Pilulæ de colocynthide Alexandri, aut de nitro.*

℞ Aloes,
Colocynthidos,
Scammonij,
Bdellij,
Gummi Arabici,
Corticis ueratri nigri, ana partem unam.
Euphorbij,
Nitri Alexandrini, ana partem dimidiam.
Excipe succo brassicæ, aut mali citri, aut melle rosato: fiat massa.

Has pilulas ex Alexandro decerpsimus, quę modò de nitro, sæpius autem de colocynthide dicuntur. Valent ad crassos, frigidos, lentos & glutinosos humores ex remotioribus partibus educendos: tum pituitam, tum bilem. frigidis neruorum affectibus succurrunt, & humores ex alto euocant. Quo nomine cerebri & capitis pertinacibus affectibus, articularijs morbis, comitiali uicio & resolutioni conueniunt: stoma-

stomachicis & ischiadicis succurrũt. Hieræ uires æquát, uertiginosos iuuant, humorem melancholicum & pituitæ lenticiam dissipát. Describuntur uerò ab Alexandro sub nomine pilularum de colocynthide, tribus in locis, utrobique tamen uiciosè. In hemicrania (quæ compositio uidetur esse iustior) bdellium omittitur, ut ex cæteris locis, & his quæ paulo pòst sequuntur, & Græci codicis lacuna satis apparet. In paralysi (quod caput in codicibus Græcis mendosè est transpositum) præterquam quòd scammonium tacetur, gummi etiá omittitur: ut ex Actuario patet, & Alexandri uerbis significatur, ubi de solo bdellio (ana) scribit. In Epilepsia uiciosissima & ualde diminuta est compositio. Præterquam quòd enim omittuntur nitrum, euphorbium & ueratrum (fortè quòd clementiora catapotia paraturus erat) pondus tamen ualde uariat. Gummi enim & colocynthidos unciæ sex pro semisse ponuntur, facili ex characteribus Græcis lapsu. Has autem ex hemicrania descripsimus, & ad huiusmodi affectus in hunc usum descripsimus: quemadmodum Mesueus ad Epilepsiam deriuauit, qui omnino cum hoc schemate consentit, nisi quòd fœdo lapsu cortices gummi post elleborum ponit, ubi Gręca ἐλλεβόρου μέλανος φλοιοῦ, hoc est ueratri nigri corticis legũt: etsi quidam in aliorum scriptis excusationem struendo ingeniosiores uideri uolũt. Actuarius in harum *Lib. 1. cap. 11.*

pilula-

Lib.5.Meth. pilularum descriptione per omnia Trallianum in Paralysi imitatus, huic compositioni cōsentit, & scammonium omittit, quod ex superioribus locis additur. Quæ locorum consensio effecit, ut hoc pilularum schema tibi integrum uelut ex media uastitate seruaremus. Cuius etiam specimen antea ferè ex Galeni pilulis de aloe exhibuimus, quæ lib.1. Comp.phar. part. & lib.Meth. quinto, ad plures excrementorum species uacuandas usurpantur. Vbi etiam præter hęc omnia agaricus additur. Possunt autem nuncupari pilulæ de colocynthide, hisque tutius ad omnes frigidos, pertinaces & articularios affectus, pituitosos & melācholicos morbos, luem uenercam, & alphos curatu difficiles utimur, quàm pilulis de colocynthide Mesuei. Harum præcipuus est nobis usus ad uenereæ luis contagionem, quæ nō nisi uiciosorum succorum, pituitæ & melancholiæ uehementi purgatione, successum capit. Dantur autem à mitioribus inchoando, à tribus aut quatuor scriptulis, quę in adultioribus & robustioribus ad sex deducuntur sine molestia. Gummi autē quod simpliciter effert Trallianus, gummi esse Arabicum, satis indicat Galenus in horum catapotiorum rudimento, quinto Meth. Aliam habet pilularū Alexandri descriptionem Mesueus in Cephalalgia frigida, quæ ab ea quam superiùs adduximus, nonnihil dissentit.

Pilulæ

## Pilulæ Bechicæ Mes.

℞ Succi glycyrrhizæ,
Sacchari boni, ana drach. decem.
Amyli,
Tragacanthi,
Amygdalarum dulcium depellatarum, ana drach. ſex.
Excipe mucagine ſeminis pſyllij, aut cydoniorum.

Fiunt pilulæ in ore tenendæ, & liquádæ trochiſcorum forma. Valent ad tuſsim ſiccam & inueteratam cum caliditate faucium, & gutturis aſperitate. Deſcribuntur in tuſsi à Meſueo. Ad idem ſunt efficaces pilulæ aliæ albæ eiuſdē Meſuei: quæ capiũt ſucci glycyrrhizę, amyli, tragacanthi, gummi Arabici, amygdalarum dulcium excorticatarũ, ſing. drach. unam. ſacchari optimi drach. tres. cum mucagine ſeminis cydoniorum fiant pilulæ. Poſſunt hæ omnes bechicæ pilulæ confici cum mucagine tragacanthi, ut Hypoglottides noſtræ, quæ fiunt ex ſacchari libra una in uncia mucaginis tragacanthi ſoluta, addito amylo. Sunt qui alias bechicas parent ex pineis nucleis, amygdalis amaris, ſingulorum ſeſquuncia. glycyrrhizæ drach. ſex. ſucci glycyrrhizæ unc. quatuor. Cum aqua roſacea formetur maſſa. His in leui & propè quotidiano tuſsis diſcrimine utendum. Periclitantibus autem deſtillationibus, bechicis Alexan- *Hypoglottidum comp.*

dri, quas describit Mesueus, uti poterimus: quas aggredi fas est. Reliquos pastillos bechicos albos & nigros in trochiscis describimus.

## *Pilulæ è cynoglosso Nic.*

℞ Radicis cynoglossi aridi,
Opij,
Seminis hyoscyami, ana drach. quatuor.
Myrrhæ troglodyticæ, drach. sex.
Thuris masculi, drach. quinque.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Styracis, ana drach. duas.
Excipe aqua rosacea.

Efficacissimæ sunt ad tenues in pectus & ualde inquietas distillationes, tusses inueteratas. Quascunq; fluxiones sistũt, sanguinis profluuium undecunq; reprimunt, somnum prouocant, dolores sedant: quæ maximè procurãda sunt in molestissimis destillationum generibus. Quia uerò stupefaciunt, non nisi necessariò utendæ. Describuntur Mesueo sub nomine pilularum, ad omnes destillationum affectus: sed quæ recipiunt myrrhæ drach. sex. thuris masculi drach. quinque. opij, hyoscyami, radicis cynoglossi, sing. drach. quatuor. croci sesquidrachmam. Sunt his omnino similes, quas ex Alexandro in Catharro describit, & in Tussi repetit: uocatque pilulas Alchabei, aut Alchazabeo: nisi quòd Alexander cum aqua in qua sit

*Pil. è cynoglosso Mes.*

sit opium dissolutum conficit: Mesueus uerò cum succo cynoglossi. Describuntur uerò ab Alexandro, cap. 1. libro 5. ex quibus codicum Græcorum mendum quiuis perspicere potest. Illic enim pro drach. septem aut decem, sex reponendæ sunt, ut legisse uidetur Mesueus & uetus interpres. Thus etiam masculum illic omitti credendum est: & ad drach. quinque ex ueteri interprete, Mesueo & Alexandrino, reponendum. Efficit uerò trochiscos Trallianus, quos crueta spuentibus, dentium fluxionibus, urinarum stillicidijs, uesicæ doloribus: in summaq; ijs qui uehemēti fluxione laborāt, colicis & lienosis pro uirium robore exhibet. Neque enim inconsultè aut temerè adhibendæ sunt, cùm stupefacientia recipiant. Quare cùm Mesueus crocum, Nicolaus caryophylla & cinnamomum ad opij moderationem addant, illis utendum myrrhæ optimæ penuria consuluerim, licet Alexander nihil eorum addat: quod nec facit Mesueus in opere Medico. Nicolaus quoque Alexandrinus per omnia Alexādrum secutus, nil præterea addit in pilulis ad dolorem dentium ex frigore natum, quibus istas reuera expressit. Sunt & Galeni catapotia bechica, dolorem sopientia, somnum conciliantia, & sanguinis sputo salubria. Capiunt styracis unc. unam. opij, myrrhæ, sing. semunciam. Passo dissoluta omnia, finge in catapotia, erui magnitudine danda dormituro.

*Cap. De cantharro.*

*Lib. 7. Comp. phar. part.*

## *Pilulæ de Benedicta Nic.*

℞ Specierum benedictæ Nic. drach. ſex.
Excipe melle roſato: fiat maſſa.

Arthritidi, podagræ, renum affectibus cõueniunt, & utero expurgando. Valent ad eos omnes affectus, quos Benedictę laxatiuę prius adſcripſimus. Sunt pilulæ Sanæ apud Alexandrinum, ad podagricos, quæ Benedictam laxatiuam recipiunt, & aliæ ad iecinoroſos & melancholicos, num. 135 & 136.

## *Pilulæ Arthriticæ Nic.*

℞ Hermodactylorum,
Turbith,
Agarici, ana drach. quatuor.
Caſsiæ ligneæ,
Spicæ,
Caryophyllorum,
Xylobalſami,
Carpobalſami,
Zingiberis,
Maſtiches,
Fœniculi,
Aniſi,
Saxifragiæ,
Seminis aſparagi,
Ruſci,
Roſarum,
Salis gemmæ,
Granorum ſolis, ana drach. dimidiam.

Aloes

Aloes optimæ ad pondus omnium.
Excipe ſucco fœniculi: fiat maſſa.

Vtimur ad podagrá, aliosq; articulorum dolores à frigidis, craſsis & pituitoſis humoribus: atque eo libentius, quòd ſatis moderatæ ſunt. Has non deſcribit Alexádrinus, ſed multas iſtis haud diſsimiles habet. atq; in omnium numero, quæ ad arthriticos ualde probantur, & num. 13. & 112 recẽſentur: ex quibus certè has decurtatas fuiſſe ſatis conſtat.

## *Pilulæ de quinque generibus myrobalanorum Nic.*

℞ Myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Indarum,
Emblicarum,
Belliricarum,
Agarici,
Diacrydij,
Colocynthidos,
Sennæ,
Epithymi, ana drach. unam & dimidiam.
Turbith,
Aniſi,
Marathri,
Maſtiches,
Lapidis Lazuli loti, ana drach. duas & dimidiam, & gr. quinque.
Aloes. unc. unam.

Excipe ſucco abſinthij: fiat maſſa.

His pilulis ſæpe utimur ad educendam pituitam & bilem utranque. Podagricos, ſplenicos, ſtomachicos & melancholicos iuuant, cerebrum purgant, & uiſionem acuunt. Valent autem præcipuè in plurium ſuccorum extractione. Veteres Nicolai codices epithymum omittunt, & uicioſa habent pondera. Deſcribuntur ab Alexandrino ſub pilulis è quinque myrobalanis, hoc modo. Quinq; generũ myrobalanorũ, agarici, diacrydij, colocynthidos, ſennæ, ſing. drach. duæ, ſcript. unum & dimidium. epithymi, turpeti, aniſi, maſtiches, lapidis Litzi drach. una, gr. ſexdecim. rhabarbari exagium unum, hoc eſt aureus unus. aloes flauæ ſemuncia. ſucci fœniculi quod ſatis eſt. Quę profectò deſcriptio conſtantior eſt, & nobis omnibus potius imitanda: quòd moderatius, & longè tutius priore uacuet, propter turbith & lapidis Lazurij parciorem copiam. Rhabarbarum uerò quod additur, totius cõpoſitionis & uacuationis ſecuritatem auget. Marathrum omittit Alexãdrinus, & lapidem Litzi pro Lazurio aut Praſio ſumit: ut multis alijs in locis. Vtitur ad ſtomachicos, melancholicos, lienoſos, inflatos, & ad duritiẽ uiſcerũ. Deſcribũtur ab eodem pilulę è myrobalano, quæ nihil cum his commune habent. Sunt qui addant zingiber: aut agarico, aut turbith trochiſcato utantur. Excipiẽtur ſucco abſinthij cũ melle cocto, aut

aut fœniculi ſucco ex Alexandrini præſcripto.

## *Pilulæ de octo rebus Nic.*

℞ Aloes flauæ,
Diacrydij, ana drach. duas.
Pulpæ colocynthidis,
Epithymi,
Dauci,
Agarici,
Maſtiches,
Mirobalanorum cepularum,
Abſinthij, ana drach. unam.
Excipe ſucco ſolani: fiat maſſa.

Catapotia iſta Octomera, octo ſpecierum uocat Alexandrinus, ex quo daucum repoſuimus, contra opinionem communium Nicolai codicum: cuius lectionis ueſtigia in ueteribus exemplaribus remanent. Etſi enim octo alia ſimplicia pręter daucum recipiant: aloe tamen numerũ tenere non uidetur in formãdis catapotijs: ut neq; mel, neq; ſaccharum in Electuariorũ cõditura. Solẽnia ſunt in capitis dolorib. qui crebrò repetũt, humores craſſos & uiſcidos diſsipãdo, & cerebrũ alleuãdo. Oculorũ hebetudinẽ, pterygia & ſuffuſiones ſanant. His omnibus non ſum additurus catapotia ante cibũ, quæ ex aloe, maſtiche & roſis ferè cuilibet parantur: tum quòd eorũ prius meminerimus: tũ uerò, quòd nõ ſit in hoc nomine perpetua & cõſtãs apud omnes deſcriptio. Sũt enim ꝗ pilulas

Alexandrini ante cibum parent, quas ad ſtomachi concoctionem firmandam numero 16. deſcribit. In quem uſum aut pilulis alephanginis, aut maſtichinis, aut de hiera ſimplici non temerè utimur, & doctis Medicis liberam pręſcriptionem relinquimus. Sunt ea tamen magis communia & celebria, quæ prius ſub ſtomachicis aſsignauimus. Catapotia Imperialia, de caſtorio, de ſtorace, de colocynthide, Alhádaal, Sebellia, quòd parum iuris in noſtris officinis obtineant, omittimus: his contenti, quæ nos quotidie in medicis noſtris indictionibus exercēt. Atque adeò ad ſyrupos uia faciēda eſt,

# DE ZVLAPIIS, SERAPIIS ET SAPIS.

## SECTIO QVINTA.



PEracta quoque ſolidorum ferè medicamētorum natura, ſuccorum & humidorum ineūda eſt ratio. In quibus ut antiquorum χυλάρια (ſuccatiunculæ nobis dicuntur) tractationem expediāt, zulapiorum, ſerapiorum & ſaparum (quæ medicati ſucci nuncupantur) habendus eſt quidā delectus. Quæ etſi recentiorum inuentu oblectamenta ſunt potius quàm medicamenta: nihilo

hilo tamen magis medicinæ autoritatem eleuant, ut plurimum accefsionis in ægrorum rebus faciant. His enim ipfis Arabum inuentis non deeſt antiquorum autoritas, ad quam omnes ferè ſuas rationes exegerunt. Habuerunt Græci uaria potionum genera, quibus delaſſatos ægros delinirent, & ad morbos depellendos ſpem ſibi facerent. Inde cenſum ſumpſerũt ὑλία ὠφέλιμα προπόματα, καὶ ἀποζήματα: pro quibus non temerè iulebos & ſyrupos Arabum ſchola reſtituit. Atque adeò quæ fuit potionũ ſuauium & dulcium efficacitas Philagrio, ut iucũditatis gratia iam affectas & languidas naturæ uires ſuo amplexu recrearent, & ad perſequendas morbi reliquias erigerent: tum quòd naturæ quadam repugnantia morbum opprimerent, facultatesq; animales ad uim depellendã ſuſcitarẽt: ea profectò in noſtris ſyrupis ineſſe fatenda eſt. Extenuantium, incidentium, & detergentium potionum facultas tam fuit apud antiquos celebris, ut malè ſucceſſuram purgationem, niſi his præmiſsis, ſæpe experirentur. In hos uſus paſsim à Gal. & Hippocrate uſurpata ſunt oxymel, aqua hordei, & melicratum cũ hyſſopo, pulegio, origano, calamintha probè coctum. Sic quoq; amplisſima eſt decoctorum ſuccorum ſeges ad morbos accommodata, & à ueteribus Medicis uſurpata. Antonius Muſa decoctum cichorij, anethi, iridis, & aliorum quoq; ad hepatis affectus celebrauit. Ar- *Lib.8.Comp. phar.part.*

 chigenes

Lib.9. chigenes chelidonij ſuccum cum mulſa, ad auriginem ex hepatis obſtructione exhibuit, quę
Ibid. uera eſt ſyruporũ noſtrorũ expreſsio. Aſclepiades cynogloſsi & chamædryos ſuccum ad lie-
Lib.6. noſos reponit. Galenus quoq; ex ſuccis nucũ, mororum, malorum punicorũ & cydoniorum uaria medicaméta ex melle decoquit. Quæ ratio à nobis obſeruata eſt, dum ſuccos ad repoſitionem per ſe parum idoneos, in uſum & temporis diuturnitatem coctura cum melle & ſac-
Lib.7.cap.15. charo pertraximus. Paulus de medicatis & dulcibus potionibus, & propomatis ad febres de-
Lib.13. ſtinatis multa ſcripſit. Aetius ex Philagrij ſententia multa promit, & dulcium potionum in febricitátibus uſum ex Philumeno liberaliter
Lib.5.cap. 132. prędicat. Oribaſius quoq; potiones dulces, refrigerantes, incidentes & adſtringentes, aliaq; id genus ex melle, aqua, aceto, & ſuccis fructuũ
Lib.4.Synopſ.cap.39. morbis accommodat. Alexáder Trallianus ex aniſi decocto, apij, abſinthij, altheæ, maſtiches, & malorum medicorum, ad dolorem colicum propoma parat. Ad hydropem uerò ex abſinthio, caſsia, ſpica nardi & apio. Ac ne in recentiorum nominibus parũ proficere uideamur,
Lib..2.De morb. Hippocrates limpidiſsimus medicinę fons, ad ſubducendam aluum mercurialis ſuccum cum ptiſana & melle decoctũ ter die exhibuit. Quæ omnia noſtris zulapijs & ſerapijs uiam muniuiſſe certum eſt, ut fœliciſsimè nobis in eorum locum ſuccedant. Succos enim corporis pur-

gationi

gationi præparant, meatus reſerant, obſtructiones leuant, humoris lenticiam diſſecant & detergent, materiam in corporis habitum digerunt, diſsipāt, qualitatibus ſuis intemperiem oppugnant: & quod non parui eſt momenti, quiddam etiam leuiſsimè educunt: ut his omnino nominibus in purgationibus ipſis non paruo ſint uſui. Qui ſyrupis noſtris morborum concoctionem, humorum maturationem adimunt: ideoq; uſu medico omnino priuant: næ illi ueterem & planè affectam controuerſiam renouāt, & nihil magnum conſequuntur, ſi ſyrupos noſtros eodem quo antiquorum propomata habuerimus loco. Syrupi (quorum copia ualde luxuriarunt Arabes) medicamentorum liquidiorum ex ſuccorum aut aliorum decocto cum melle aut ſaccharo uim obtinēt, ad ſaporis gratiā, & ſuccorum tutelam præcipuè inuenti. Coctura uerò ratio eſt, dum medicamentoſus liquor concreuerit & cōſtiterit, Zulapium & Serapium uocat Actuarius, nos Syrupum & Iulebum. Sed horum quoq; uaria eſt apud Arabas ratio. Syrupos enim ſimplices & compoſitos faciunt, iulebumq; ſimplici ſyrupo aſsignant: quamuis ei maiorem coctionem attribuant, minoremq; ex medicamentoſo ſucco decocto copiam. Eos tamen imitati, ſimpliciſſimos iulebos ex decoctis aut infuſionibus cū ſaccharo facimus: cocturam moderātes, ut delicatiores futuri ſint, & minori aquæ copia indigeant. *Iulebus.*

digeant. Quinetiam syrupos aqua dupla solutos iuleborum nomine donamus, ut nō parum ea in ratione ab antiquis discesserimus. Actuarius uerò zulapia non ex unius (ut nunc fieri solet) sed ex multorum medicamentorum decocto parat, ut parum à serapijs differant. Syrupos breues & longos neotericorum schola dedit, ut breues ob minorem aquei humoris copiam uocarent: longos uerò, in quibus decoctionis plus inesset: cuius generis sunt Apozemata, quæ Latinè (si nominis notationem rectè quærimus) defruta dici possunt. Syruporum autem conficiendorum non eadem est ratio. Interdum enim saccharum decocti pondus æquat: interdum uerò propè est ut æquare uideatur. Est etiam quando decocti dimidium non excedat, ut in syrupo Saboris, succorum circiter libræ sex, tribus sacchari percoquuntur. Aliquando dimidij pondus non attingit, ut in syrupo de corticibus citri, libræ tres decocti, sacchari libra una percoquuntur. Constans ferè tamen ea est ratio, ut parte penè altera decoctum saccharum excedat: sicq; succi libræ quatuor aut quinque, sacchari tres aut quatuor recipiant. Sic syrupus de pomis, succi libras septem, sacchari quinque capit. syrupus de succo citri decocti libras decem, sacchari octo. Syrupos primùm simplices (inter quos iulebos accensemus) in liquidiorū medicamentorum ordine recensebimus: quibus addemus complexos

*Syrupi breues & longi.*

*Syruporum conficiendorum ratio.*

complexos, & eos qui plurima medicamenta comprehendunt. Sapæ, quia medicati ſucci, liquoribus annumerantur: & ſub his comprehenduntur, quæ Arabum natio Rob & Robub uocat, Græci ἕψημα καὶ σιραῖον, uinũ ad tertias aut dimidias decoctum: quod ſapam abſolutè poſitam, & Latinorum defrutum dicimus. Nobis autem uniuerſitatis notam habet, & ſuccũ purgatum, Solis aut ignis ui incraſſatũ ſignificat. Huiuſmodi ſuccos, quos paucos uſus recipit, quia ſunt ueluti ſyruporum rudimẽta, ipſis annectemus. Syrupos ſub Droſati nomine (ſi modò uera eſt lectio) deſcripſit Nic. Alexãdrinus. Iulapios autem ſub propomatis, ut antiquorũ potiones exprimeret, ubi Pauli hydroroſatum, rhodoſtactum & rhoites adumbrat. Hodie uſus inualuit, ut ſyrupos cum dupla ferè aquarũ proportione propinemus, quos Iulebos nominamus, in hoc Arabas imitati, ut minima compoſitio Iulebis debeatur. Veneti tamen Medici aliter quàm nos, ſyrupos minima aquæ portione diluunt. Tribus enim ſyrupi uncijs aquæ ſeſquunciam miſcent, ſatis eſſe ad eorum eliquationem exiſtimantes. Sauanarola in craſſa & pituitoſa materia ſyrupos dilui prohibet, ne aquæ admixtione, medicamenti uires rarefactione exanimẽtur, quod ſua craſſa eſſentia in craſſam & uiſcidam pituitam integris uiribus magis agere natum ſit. In humorum uerò tenuium affluxu, attenuari poſſe non eſt iniquũ. Sapa.

In

In uentriculi imbecillitate, & caloris imminutione ſine liquore ſyrupos cochleari exhibemus cum Manardo. Iulebos uerò, quia paucos in officinas traduximus, & ſyrupis adſcribimus, inde iá noſtra ordiatur oratio neceſſe eſt.

Lib. 11. Ep. 2.

## *Syrupus roſatus ſimplex, aut ex infuſione roſarum Nic.*

Roſas recentes aqua feruente macera, uaſe operculato. ubi hæc refrixerit, expreſsis roſis, & abiectis, iterũ feruefiat: & eadem roſas alias recentes macera. Id opus toties repete, dum aqua rubeat. Hæc albuminibus ouorum purgata, cum pari ſaccharo dum filum ducat, neque marmori impoſita, neque ungui diffundatur, in ſyrupum percoquatur.

Hæc Nicolai roſarum infuſio indefinita eſt. Itaq; ex Meſueo ſupponenda, qui roſarum recentium libras ſex, calidæ libris quindecim, horis octo macerat, in uaſe uitrato terreo & operculato. Eidem quoque aquæ calfactæ, roſarum recentium tantundem immittit, tantoq; interuallo temporis macerat, deinde excolat. Cuius libræ quinque, cum ſacchari libris quatuor in ſyrupum percoctæ, ſyrupum noſtrum roſatum ſimplicem, aut ex roſarum infuſione faciunt, quem Iulebum roſatum uocat Meſueus. Is uſu celeberrimus eſt ad uentriculi incendium, & calorem febrium igneum, ſitimq; inexpletam ſedandam. Febribus peſtilentibus preſtantiſsimus,

mus, quòd putredini, uenenis, & aeris uicio subamara & aromatica sua qualitate resistat. Viscera nimio propè calore dissoluta refrigerãdo, & leuiter adstringendo roborat, & ad tẽperiem reuocat, triplicem horum substantiam ferè dissipatã in sese cogẽdo. Febriũ insomniã leuat, tũ quòd ex aqua quadrupla sumptus refrigerat & humectat: tum quòd uapores febriles acres, calidos & putres sua refrigeratione & adstrictiõe à capite arcet. Atq; hic est qui hodie parari pro syrupo rosaceo simplici debet, quẽ Mucharũ rosarũ Arabes uocãt: nõ autem eius loco substitui syrupus ex infusiõe simplici aut duplici rosarum siccarum, quod multis usu factitatum uidemus. Affine est Pauli hydrorosatum, quod ex rosarũ exunguatarũ libris quatuor in aquę sextarijs quinque, & mellis sextarijs duobus coctis ad tertiæ partis cõsumptionem aut insolatis cõponitur. Aetius, Actuarius & Alexandrinus aliter hydrorosatũ paulò uariatis ponderibus describunt. Est & zulapium rosatum Alexãdrini, quod paratur ex rosarum libris tribus in caldarium coniectis & feruefactis, aqua pluuiali rosis affusa, & ita per horas sex maceratis. Deinde per saccum traiectis, decocti libræ, & stillaticij rosarum liquoris libræ dimidiæ, sacchari libræ tres addũtur, & totum ad tertias percoquitur. Aliud quoq; zulapium Alexãdrinus rosaceum facit, ex duabus libris & dimidia aquæ rosaceæ, & aquæ libris sex.

*Lib. 7. cap. 15.*

*Lib. 5. cap. 136.*

*Sect. 39.*

*Sect. 19.*

Quibus

Quibus ad consistētiam coctis, inijcitur æquale pondus sacchari. Iulebum uerò alium rosaceum multis laudibus celebrē, in frequentissimū usum ex Mesueo traduximus. Fit ex aquæ rosaceæ libris tribus, cum sacchari libris duabus. ouorum albuminibus perpurgatis, & in iulebum percoctis. Biliosis omnibus febribus & æstuātibus gratissimus, tum sapore suo grato: tum uerò quòd sitim aquæ optimę quadruplo mixtus probè sedat. Vsu nobis frequentissimus æstate media: tum quòd præcedente iulebo, sit tum gustu tum sapore gratior: tum uerò uisu iucundior, & paratu facilior. Nobis iulebus Alexādrinus dicitur, Medicis Parisiensibus iuleb9 Regius, principali autoritate, quòd is Francisco regi, uerè unico literarum parenti, esset in delicijs. Minus gratus est & efficax, qui fit ex cōmuni aqua, cui aquæ rosaceæ unciæ duæ additæ sint, maioribus ignotus propter rhodostagma & sacchari usum: ferè tamē ex Alexandrino usurpatus. Cuius similis ferè est iulebus Auic. lib.5. cum libris tribus aquæ rosaceæ librā unam sacchari addit, & cum modico croco percoquit. Aqua autem ex qua propinari debet, sit optima, & omnibus notis absoluta, prius calfacta, deinde niue aut artē refrigerata. Ea adhibetur quadrupla, sexcupla, aut etiam pro ægrotantis arbitrio liberalior. Quando uerò syrupi rosati nomine perplexæ sunt Pharmacopœorum officinæ (quòd eius nomine

*Iulebus Alexandrinus.*

nomine quatuor ſyrupi parari debeant) id à nobis primùm expediendum eſt. Syrupus roſatus ſimplex aut ex infuſione roſarum à nobis dicitur hic, quem prius deſcripſimus ex duplici roſarũ infuſione cum Nic. & Meſ. qui ab alijs Iulebus roſatus dicitur, aut Mucharus roſarum. Qui autem à quibuſdam uicioſè huius loco ſupponitur, ex roſarum ſiccarum infuſione, ſic paratur, & ſyrupus de roſis ſiccis dicitur. Roſarum aridarũ unciæ quatuor, ſingulis aquæ colãdæ libris calfactæ inijciantur: macerentur, & bis aut ter repetãtur, ut in ſuperiore infuſione dictum eſt: deinde in ſyrupum percoquãtur. In quo recentiorum laus eſt, qui eo præſtantiſsimo inuento ſeſe nobis probarunt. Efficaciſsimus eſt enim ſyrupus ad uentriculũ roborandum, ualenter adſtringendum, & fluxiones ſiſtendas. Quo nomine nõ niſi temerè pro ſyrupo roſato ſimplici, in febribus præcipuè ſubſtitui poteſt. Sunt qui ut potentius adſtringat, ex aqua roſarum ſtillaticia, & infuſione aridarum roſarum parent. Fit etiã ſyrupus de ſucco roſarum, quemadmodũ iulebus uiolatus Meſuei, cùm ſucci roſarũ libræ tres cum pari ſaccharo, aut libris duabus, igni lento albuminibus ouorum perpurgantur, & in ſyrupũ percoquũtur. Sed hic ſyrupus eſt purgatorius uncijs tribus ſumptus. Aluum enim compreſsione ſoluit: ſed multo clementius quàm qui ex multis roſarum recentiũ infuſionib. paratur,

*Syrupus roſ. ſimpl. aut ex infuſ. roſ.*

*Syrupus de roſ. ſiccis.*

*Syr. de ſuccis roſ.*

ratur, nec admodum uſu tutus eſt. At uerò qui ex multis roſarum infuſionibus ſolutiuus dicitur, uſu eſt creberrimus in febribus bilioſis, æſtate præſertim ad calorem igneum depellẽdum. Bilem enim, ſeroſos & aqueos humores ſalubriter educit ex primis uenis, atque etiam ex alijs corporis partibus. Fit ex multis infuſionibus roſarum pallidarum recentium, quas Incarnatas dicimus, hodieq; odoratiſsimas & maximè purgatorias experimur. Atq; quo plures roſarum infuſiones recipit, eo magis ſolutiuus euadit. Sunt qui infuſionibus quinque contenti, ſyrupum iſtum uncijs ſex purgatorium experiũtur. Nos ex infuſionibus nouem parari cõſulimus, quem egregiè ſoluere tribus aut quatuor uncijs in dies conſtat. Sed quia flatuum, aut etiam torminum quãdam tentationem in aluo facit, ex aniſi aut fœniculi decocto propinamus ſolum, aut aliquid cinnamomi cum liquore idoneo exhibemus: aut etiam reliquis medicamentis diluendis, iſto nõ neglecto ſcopo, adhibemus. Si multiplicis huius infuſionis libræ dimidiæ ſacchari libra una incoquatur, minimùm ſoluit hic ſyrupus: ſi libra libræ mediocriter, ſi quoque infuſi ſeſquilibræ ſacchari libra una incoquatur, egregiè ſoluit. Coqui in hyemem poteſt. Nam recens purgatorius magis eſt, poſt menſem ſextum paruarum alioqui eſt uirium, quòd roſæ noſtrates citò uim & odorem amittant. Medicus quidam

*Syr. roſ. ſolutiuus.*

quidam regius magni nominis hoc ſyrupo cõſultò abſtinuit, quòd in roſis noſtratibus uim purgantem moleſtam, nimiam, & propè (ut dicebat) ſcammoniatam expertus fuiſſet, quod nobis uidere nondum licuit. Syrupum quoq; ex infuſionibus florum perſicorũ recentium, iucundum, & propè uinei ſaporis experimur: odoratum, febribus utilem, bilioſos & tenues humores educẽtem. Hunc in locum ſyrupi de ſucco perſicorum ſubſtituimus, adhibemusq; in bilioſorum & melãcholicorum morborum initijs. Recens autem utendus eſt, quia illius uis facilè euaneſcit. Septem infuſiones purgatorium faciunt: ſed & nouem tentamus ad maiorem autoritatẽ, & tribus uncijs ad quatuor egregiè quod petimus explet. Eſt ſyrupus roſatus Auic. ſolutiuus, quem ex roſarum ſucco, nõ infuſionibus cõponit. Capit ſucci roſarum libras duas, mellis libras quatuor, ſcammonij aſſati unciam unam. Alexãdrinus quoque zulapium roſaceum purgatorium facit. Habet ſpodij, trium ſantalorum, ſing. drach. quatuor. rhabarhari drach. tredecim. zulapij roſacei unc. quindecim. diacrydij drach. duodecim. camphuræ ſemidrachmam. ſacchari libram unam. Eſt etiam eiuſdem droſatum è roſis purgatorium ualde compoſitum.

*Syrup. ex infuſ. flor. perſicorum.*

*Lib. 3. Fen 22. tract. 2. cap. 21.*

## *Syrupus uiolatus simpl. aut ex infusione uiolarum.*

Violarum recentiũ libræ sex, horis octo libris quindecim aquę calidę macerẽtur, in uase terreo cooperto. Quibus colatis & expressis, uiolæ recentes totidem addendæ, eodemque interuallo macerandę aqua calida. Expressi & colati libræ quinque, cum sacchari libris quatuor, lento igne coquuntur, dum concrescant: purgantur albuminibus ouorum, ut in syrupo rosato dictum est. Sic Mesueus.

Hic syrupus uiolatus simplex, aut ex infusione uiolarum nobis dicitur, Arabibus Mucharus uiolarum, aut iulebus uiolatus. Eadem est infusio, quę rosarum in syrupo rosato. Quidam uiolas aridas infusioni addunt, quarum uncias tres aquæ sextarijs tribus, horis uigintiquatuor macerant. Colatum cum sacchari libris tribus, in syrupum percoquunt minus efficacem, quàm si ex uiolis recẽtibus paretur. Longè etiam debilior, quem in usum præsentem omnes conficiunt, & pro iulebo uiolato usurpant, ex aquæ uiolarum recentium stillaticiæ libris tribus, cum sacchari libris duabus, aut pari etiam quantitate: dum supra apozematum consistentiam, & infra syruporum formam condiunt. Atque hic est qui in omnibus omnium est manibus pro syrupo uiolato simplici, aut iulebo uiolato. In rem enim præsentem

tem ſtatim paratur. Sed profectò ſuperiore inefficacior, quòd uiolę ipſæ in infuſionẽ promptius uim ſuam immittant, quàm in aqua ſtillaticia retineant. Zulapium fit uiolatum Alexandrino ex floribus uiolarum, ad uncias tres coctis, & per noctem maceratis: dein cum ſacchari libris tribus percoctis. Cuius formula ex Rhaſio nono ad Almãſ. deſumpta uidetur. Syrupi uiolati ſimplicis nomine quatuor in officinis inaudiendi ſunt. Vnus, qui ex infuſione duplici uiolarum recẽtium fit, ad roſati exemplar: quo in febrium æſtibus, bilioſis & acutis morbis, uiſcerum inflammationibus, ſitis inexhauſtæ cruciatu, uti debemus. Refrigerat enim & humectat roſato potentius, unde & ſomniferus magis. Gutturis aſpredines lenit, thoracis & pectoris, totiusq; uentris inferioris affectibus calidis ſuccurrit, & ſiccam tuſsim, partes ſpiritales ſua humoris lenticia oblinẽs, eluit: aluum nonnihil emolliendo, bilis acrimoniam retundit. Alter eſt, qui ex uiolarum aqua ſtillaticia, ut diximus, paratur: uſu quidẽ crebrior, quia gratior & præſentior, ſed uiribus inferior. Tertius ex ſucci uiolarum libris tribus cum ſacchari libris duabus in ſyrupum coctis componitur, qui cæteris ingratior eſt, efficacior tamen, Actuarij Ioſacchar exprimẽs ex uiolarum ſucco & ſaccharo, quo ad thoracis uicia & bilis acrimoniam utitur. In quo condiendo inconſtantes ſunt Pharmacopœi. Prę-

*Sect. 19.*

*Syrup. uiol. ſimp. aut ex infuſ.*

*Iulebus uiolatus.*

*Syr. ex ſucco uiol.*

ter eum enim quem descripsimus modũ, quidam succi uiolarum unc. quatuor, sex, octo aut duodecim, cum sacchari libra una percoquũt: ut ea sit proportio uiolarum cum sacharo, quæ est in saccharo uiolato aut rosato, ex rosis aut uiolis integris confecto. Quartus etiam in usum uenit, quem ex septem & nouem uiolarũ recentium infusionibus indicimus, & saluberrimum in æstuantibus febribus, & bilioso incendio extinguẽdo experimur. Modicè quoq; purgatorius est ad uncias quatuor, & grati admodum odoris. Tam enim propè uiolas gustu refert, quàm infusio ipsa facilè cæruleum uiolarum colorem & odorem haurit. Durantior est hic syrupus, & diutius odore iucundo perseuerat. Quare maximè nobis accommodus ad iulebos ægris ipsis imperãdos: cui usui uiolæ aridæ sufficere non possunt, cùm citò euanescant. Quibusdam quinta & sexta infusio sufficit, ne herbaceus uiolarum gustus in aquã imprimatur. Quod uicium leui expreßione, & non ita magna mora effugimus. Violas autem ipsas recentes & Martias elegerim, calycibus & pediculo herbaceo perpurgatas, quod à Pharmacopœis propè omnibus neglectum uideo. Sic enim gustu iucundißimum syrupum effeceris, præcipueq; herbaceum illũ uirorem uitaueris. Syrupus uiolatus compositus, suam postea tractationem expediet.

*Syr. ex multis infus. uiol.*

Syrupus

## Syrupus è pomis Mes.

℞ Succi pomorum dulcium,
Succi pomorum acidorum, ana lib. quinq;.
Cocti & despumati succi ad dimidias, biduo residere permittātur, dum clarescant: tum colentur, & cū sacchari libris tribus fiat syrupus.

Syrupus è pomis absolutè dicitur, imbecillum cor roborat, syncopen & cordis palpitationem sanat: suspirijs luctuosis, & omnibus cordis affectibus ab atra bile succurrit, uentriculum etiam roborat, & sitim sedat: quamuis mala præter odorem, quem ferè decoctione & corticibus deponūt, ad cordis affectus parum habere existimet Manardus. Efficacissimus tamen est syrupus, si ex malis dulcibus succosis & odoris paretur: qualia nostratibus sunt Sangalteria (pro quibus Capendula quidam ponunt) sapore & gustu iucundissima. Integra autem, hoc est cum cortice exprimenda, quòd saporis uim eo cōtineant, ut satis indicat corticis suffitu halitus odoratissimus. Dulcia adhibētur, quia ea uiscerib. internis grata sunt. Hoc syrupo sæpe utimur in cordis affectibus, internorum intemperie calida, præsertim febribus biliosis, quòd succus ex dulci subausterus miro quodam modo stomachi uires sapidissimo gustu reficiat: cor etiam, facultatesque omnes ueluti sopitas excitet, & læticiam inducat. *Lib. 7. cap. 15.* Paulus hydromalum ex cydonijs odoris, aut

ſolis pomis dulcibus parabat. Serapio ex ſolis acidis. Auicennas ex his malis quæ Meſa dicuntur, hoc eſt medij ſaporis. Meſueus dulcia
Meth.5. & acida miſcet. Actuarius ex malis dulcibus & acidis medicamentum ſyrupo ſimile cum ſaccharo parat, quod uentriculum & iecur confirmat, uomitum diſcutit, & appetentiam inuitat. Nobis placet ut dulcia augeátur, quòd cor magis confirment, & guſtui ſint longè gratiora. Quam in rem quæ diximus poma ſunt ualde idonea. Sic enim pro uarijs ſcopis, aut ex ſolis acidis, aut dulcibus, aut mixtis ſyrupum confeceris. Qui cordis & uiſcerum debilitatem reſpiciunt, dulcia proponunt: quòd odorata cordis affectibus, ſyncopi, palpitationi & tremori congruant magis. Acida putredini reſiſtunt, uentriculum confirmant, ſitim ſedant, æſtum & intemperiem calidam ſummouent, bilis uomitum compeſcunt, ſyncopen ab interna inflammatione, aut oris uentriculi intemperie calida diſcutiunt. Febribus bilioſis & æſtuoſis conferũt, partes internas ui caloris diſſolutas cogunt & reficiunt. Quos in affectus multi ſyrupi ex pomis acidis à Meſueo præſcribuntur. Mediarum naturarum media quædam eſt uirtus. Sunt qui huic ſyrupo ſericũ cocco baphica recenti tinctum addunt, eumq; ſuccis nondum reſidentia purgatis immergunt, donec rubeſcant, & cocci uires acceperint. Sed id in re nullius momenti ambitioſę nimis & ſuperuacaneæ

uacaneæ eſt induſtriæ. Poma ipſa fruſtatim cum corticibus contundũtur, prælo exprimũtur, ut conſulit Auic. non autem decoquũtur, quod faciebat Paulus. Succus depuratus, ignĩ lento coquitur. Quem ſi æſtate aliquot diebus, dum ſuperfluam & innatantem aquei humoris ſeroſitatem conſumpſerit, inſolaueris, fructum habebis non pœnitendum. Sic enim durantior & gratior ſyrupus euadet. Eſt ſyrupus de pomis compoſitus in officinis, qui Sapori Medorum regi attribuitur, & Meſueo adſcribitur. Accipit ſucci pomorum redolẽtium libras tres aut quatuor. ſucci bugloſsi domeſtici & ſylueſtris, ſing. lib. duas. folliculorum ſennæ unc. quatuor. croci drach. duas. ſacchari optimi libras tres. Senna contrita horis uigintiquatuor ſuccis maceretur, ſemel aut bis ferueſiat, coletur, expreſſum pòſt cum ſaccharo percoquatur in ſyrupum. Crocus panno lineo ligatus inter coquendum infricetur. Eo utimur ad maniam & melancholiã, & affectus ex atra bile natos. Cordis quoq; robur plurimùm auget, Saporis Medorum regis inuento, qui Aureliano Imperatore capto, in equũ aſcẽſurus uſus eſſe dicitur. Cuius alter quoq; ſyrupus à Meſueo deſcribitur in Cephalalgia melancholica, ſuperiore ualentior, ad quartanas, affectus melancholicos, lienis obſtructiones: qui & ex pomis paratur, ſed non ita uſu tritus: quamuis ab antiquis in Italia uſurpatum ſcri- *Syr. Saporis.*

bat Christophorus Georgius: hodieq́ue à prę-stātissimi nominis Medicis Venetijs imperari sciam. Capit adianti albi, radicum & florum buglossi domestici & sylvestris, polypodij, epithymi, sing. unc. unam. folliculorũ sennæ, fumariæ, chamæmeli, stœchados, sing. drach. septem. chamędryos, schœnanthi, ellebori nigri, sing. drach. tres. eupatorij drach. quatuor. succi pomorum dulcium unc. octo. Coctis simul omnibus, præter epithymum & succum in aquę libris tribus ad unius consumptionem: adde epithymum, & parũ coque: cola, & cum succo pomorũ & libris sacchari duabus fiat syrupus.

## *Syrupus de granatis acidis Mes.*

Succi granatorum acidorum, lib. quinque.
Sacchari optimi lib. tres.
Coquantur secundum præscriptum.

Succus granatorũ, ut & omnium fructuũ & herbarum, ex quibus syrupum paramus, ad dimidias coquitur, biduò residere permittitur, colatur, & cum saccharo propè æquali, in syrupi consistentiam percoquitur. Alijs, non improbando inuento, saccharum aqua pari solutum, coctum, albuminibus purgatũ, colatum percoquitur in electuarij mollis aut penidiorũ formam. Omnibus frigẽtibus, succi per colum cum albuminibus colati, & clariores facti, baculo miscentur: aut insolatu & residentia purgati, saccharo comprehenduntur. Quæ componendorum

ponendorum ſyruporum ſimplicium norma quædam eſt laudabilior, quòd ſuccorum frigidorũ uis medicamẽtoſa integrior permaneat, quæ alioqui decoctione frangitur. Sic ſyrupus de granatis dulcibus, aut acidis, aut utriſque ſimul, ijs præcipuè qui recentibus malis punicis abundãt, ſeorſum parari debet. Cuiq; enim ſua uis & facultas. Granatorum ſuccus acidus refrigerat, humectat, & obſtructa nonnihil liberat eſſentiæ ſuæ tenuitate. Febribus etiam ęſtuantibus & bilioſis cõducit plurimùm. Dulcium granatorum ſuccus tuſsim ſedat, excreationes promouet, & humectando ſitim ſedat, quæ præcipuè ex ſicco nata eſt. Paulus Rhoiten parat ex ſucci granatorum partibus tribus cum una mellis. Alexãdrinus autem malorum punicorũ ſucco ad libras quatuor, & ſemiſſem mellis aut ſacchari ſeſquilibram adiũgit. In uſu propè perpetuo nobis eſt ſyrupus de ſucco granatorum acidorum: in quo formãdo uino granatorum, quod Rob barbari uocãt, abutimur. Sunt qui ſucco granatorum, ſericum cocco baphica tinctum immergant, religioſè nimis multas ei roborandi cordis uires attribuentes.

## *Syrupus de agreſta Meſ.*

℞ Succi uuæ immaturæ coctione aut reſidentia purgati lib. ſeptem.
Sacchari clarificati, lib. quinque.
Coquãtur ſecundũ artis pręcepta in ſyrupũ.

Hæc

Hæc eſt ſyruporum ferè ſimplicium ex ſuccis ratio, ut ſucci reſidentia aut coctione purgati, cum ſacchari penè pari copia clarificati & percocti, in uſum condiantur. Vuarũ albarum immaturarum & auſterarum (Albanas quidã, Galli Burdegalenſes, noſtri Longanas uocãt) ſuccus qui Omphacium dicitur, ſumẽdus eſt, liquidus quidem & fluxilis, necdum inſpiſſatus. Qui potẽter adſtringit, refrigerat & ſiccat, ideoq; à putredine uindicat, conditioniq; peſtilẽti ſaluberrimè reſiſtit, uentriculũ roborat, eumq; ſecurum ab aliarum partium excremen tis præſtat, prægnantium malaciam deijcit, intemperiem calidam uentriculi, hepatis, ſitimq; uehementem extinguit, uenenis reſiſtit, & febribus bilioſis gratus eſt. Choleræ morbo medetur, in quẽ uſum ſyrupus iſte ad uncias duas ex duabus aquæ coctæ, & chalybeatæ uncijs ante cibum ſumitur. Sic enim immodicam fellis in cholera deturbationem ſiſtit, & bilioſæ dyſenteriæ cõfert, purgato prius (ſi res exigit) corpore. Poſt cibum uerò ſumptus, uomitionem immoderatiorem à bile præſertim, moleſtamq; ſtomachi ſubuerſionem ab æſtuante bile aut inflammatione perſanat. Paulus Omphacomeli ex uuæ acerbæ ſextarijs tribus, & mellis ſextario uno igni lento coquit, uel diebus quadraginta inſolat, dum aqueam naturã omnem depoſuerit. Actuarius ad ſucci uuæ acerbæ libram unam ſacchari duas addit, & aduerſus

*Omphacomeli Pauli.*

*Dioſc. lib. 5. & Aetius lib. 5. cap. 134.*

*Lib. 5. Meth. cap. 2.*

uersus flauam bilem, & iocinoris calorem pollere scribit: uentriculum item firmare, sitim sedare, uomitum compescere, & aluum solutam supprimere: febri etiam ex sang. putredine natæ auxiliari. Quidam caryophyllis condiunt. ut minus refrigeret, odoratior sit, & omphacij stupescens, acor aliqua ex parte mitescat, quod ex Auicenna, qui sine saccharo hunc syrupum parat, sumptũ est. Caryophyllorũ enim drach. duas aut circiter apponit. Sed sine his ferè à nobis paratur ad febriũ biliosarũ æstus, quòd ita magis ueteris omphacomelitis naturã resipiat: aut quia in quibus affectibus moderari debeat, id in rem præsentem additis caryophyllis statim consequatur. Hunc etiam syrupum Serapio describit. *Lib. 5.*

## *Syr. de succo acetosæ Mes.*

℞ Succi acetosę residẽtia, aut decoctione purgati, lib. octo.
Sacchari clarificati, lib. quinq; & dimidiam.
Coquantur simul in syrupum.

Ad hoc præscriptum possunt fieri syrupi ex succo intybi ad iecoris intemperiem calidã, & obstructiones ex succo portulacę, betę, brassicæ, buglossi utriusque, eupatorij, absinthij, fumariæ, hyssopi, marrubij, artemisiæ: atque id genus herbarum, dum succulentus iste earum sanguis defæcatus, & albuminibus perpurgatus, cum saccharo coquatur. Hic uerò syrupus de

de oxalidis ſucco febribus bilioſis admodum gratus eſt, peſtilẽtibus ſaluber, uiſcerũ igneum calorem moderatur, ipſaq; confirmat, guſtu iucunditatem præ ſe ferens, & potenter refrigerans: præcipuè ſi ex lapatho ſylueſtri, quod (ut
Lib. 19. cap. 12. inquit Plinius) ex omnibus eſt melius, & acutioribus folijs paretur. Acetoſam uerò uocant, non ſecus ac acidulam dixit Macer.

## *Syr. è ſucco cucurbitæ Meſ.*

Cucurbitam magnam maza inuolutam, clybano coque. Succi eius expreſsi libras quinq; cum ſacchari libris tribus in ſyrupũ percoque.

Parauit nobis hunc ſyrupum ex Syluij commendatione Claudius Belonius Pharmacopœus diligẽtiſsimus, ex cucurbita magna, quæ & Ventroſa dicitur, qui mirè profuit in febriũ ardentium & bilioſarum flamma. Refrigerat enim & humectat innoxiè, & inflammationes internas temperat. Sitim, ſi quis alius, potẽter ſedat, gutturis aſperitatem lenit, linguæ & faucium ardorem extinguit, nonnihil aluum proluit, urinasq; ſuſcitat. Nobis tam inſipidus uiſus eſt, ut tædium ægro faceſſeret. Eſt enim cucurbita aqua coagulata, ideoq; addendum parum aceti fuit. Narrat Syluius, nobilem quendam in peregrinatione Hieroſolymitana ardentiſsima febre correptum, à Iudeo medico confeſtim hoc ſyrupo perſanatum.

Syr.

## Syr. de succo citri acido Mes.

Succi citrorum acidi libras duodecim in uase uitrato coque igni prunarum lento ad tertiæ partis consumptionem, leniter & sine expressione per linteum rarũ cola, residere dum clarescat permittito. Clari succi libras septem percoque, cum iulebi clari (hoc est sacchari aqua dissoluti, cocti, & cum albuminibus clarificati) libris quinque. Aut si æstas est, insola, donec aquosa eius substantia consumatur.

Hic syrupus de acetositate citri dicitur: nobis propter citrorum penuriã, & miram Pharmacopœorum incuriam, in usum uotis omnibus magis expetendus quàm imperãdus. Quidam tamen hunc syrupum ex Prouincia, aut Gallia Narbonensi coemunt, cùm citrea mala inde parari facilè posſint. Refrigerando & humectando, biliosarum & æstuantium febrium incendium potentisſimè extinguit, & sitis intolerantiam sedat, præsertim aquæ frigidæ mixtus. Viscerum phlegmonas, ardoremq; uehementem, & biliosos affectus omnes corrigit. Huius syrupi unciæ duæ cum aqua dupla propinantur, uel eius loco aqua buglossi, intybi, uel alia quæuis pro uarijs scopis. Cor, uentriculum, & alia uiscera ab intemperie calida imbecilla firmat: & dum spiritus ab immodico calore attenuatos resolui prohibet, ipsorum putredini, humorum & aeris tota sua substantia resistit,

resistit, febresq; pestilétes aut gigni prohibet, aut iam natas emendat. Venenis saluberrimè resistit, pro decantata ab optimis autoribus citri natura. Si bilis æstus cóprimere uolumus, mane dentur unciæ duę cum dupla aqua: si siti resistere, frequēter die sumitur cum aquæ quadruplo. Nos citrorum penuria syrupū ex succo limonum, quos integros & incorruptos nobis mittit Gallia Narbonensis, paramus: isto non longè inferiorem ad internum incendium. Magis enim refrigerat, & acrius penetrat. Limones quoque cum citri sapore maximè conueniūt, nisi quòd citris (ut inquit Plini9) odor est acerrimus, sapor asperrimus. Fit uerò ex succi limonum per pannum rarum leuiter destillati libris septem, cum sacchari libris quinque percoctis. Lumbricos necat, putrediné præcauet, cor & stomachum roborat, caloris febrilis uehementiam componit, & affectibus biliosis syrupo de citro conuenientior. Possumus etiam ex Aranciorum succo, quorum toto anno magnus nobis usus suppetit, ad eosdem affectus syrupum comparare.

*Plinius lib. 23. cap. 7. Athenæus lib. 3. Ex Theoph. lib. 4. de Histor. pl. cap. 4.*

*Syr. de limonibus.*

## *Syrupus de corticibus citri Mes.*

Corticum citri libra una in aquæ fontanę libris quinq; coquitur ad duarum librarum consumptionem, & cum sacchari libra una aut duabus percoquitur, in syrupū condiendū moschi granis quatuor. Alij corticum quantitatem iu-

stam

ſtam in iulebum propè coctum inijciunt, ut ſyrupus gratior fiat. Quòd ſi aqua cui cortices citri ſint incocti, ſericũ cocco baphica tinctum maceraris, præſtantior euadet.

Citrij mali cortices antiquis Medicis ad internos affectus celebres fuerunt. Ijs enim ad uentriculi & cordis robur utebãtur. Citri ſuccum refrigerãtem & ſiccantem, externis uicijs accommodabant, & ad inflammationes utebantur. Theophraſti & Plinij tempeſtate malũ Medicum, quod citrium dicitur, nõ edebatur: ſed in delicatos uſus, & precioſam cuſtodiam, uelut quidam theſaurus reponebatur. Illi quoque maximas uires ad ueneni ſuſpicionem tribuerunt. Cortex citri conditus, ſiue humidus, ſiue ſiccatus, ore contentus deglutitur, uel diligenter manſus, oris gratiam commẽdat: cor, cerebrum, ſtomachũ, & reliquum totum uentriculum calore ſuo aromatico, ſi frigida intemperie laborent, iuuat. Corruptos, putres & fœtidos uentriculi humores obtundit, unde oris halitum commendat. Nobis citrorum deſiderio non paratur: ſed eius loco utimur eo ſyrupo, in quo ipſi citrorum cortices conditi ſeruãtur. Atq; idem pollet conditura corticum citri liquida, pro qua ſiccam Pharmacopœi noſtri ferè ſemper ſubſtituunt, quæ minus eſt efficax. Hoc ſyrupo ſæpe utimur in compoſitionum mixturis, quas Opiatas uocamus, ad cerebrũ, cor & ſtomachum roborandum. Pro his cortibus

Athen l. 3.

cibus conditis, limonum corticum conditura sæpe supponitur. Aranciorum etiam cortices, sed antè aqua macerati & dulcorati, quòd amariores sint, condiri possunt. Moschũ addit Mesueus, odorem aromaticum augendo, quo potentius partes principes roboret: quo nomine pestilentibus morbis & uenenatis resistit. Nos uerò neque sericum, neq; moschum addimus, ne superuacaneè ambitiosi nimis uideamur, aut in re parui momenti delicias facere, cùm præstet preciosioribus omissis, hominum salutem, non ipsam luxuriam utilitate circunscribere. Sericum nanq; ex Arabum inuento multis syrupis intinctum, tanquam naturæ nostræ non satis conueniens, à doctissimis uiris explosum est.

## *Syr. de stœchade Mes.*

℞ Florum stœchados, drach. triginta.
Thymi,
Calamynthes,
Origani, ana drach. decem.
Anisi,
Pyrethri, ana drach. septem.
Piperis longi, drach. tres.
Zingiberis, drach. duas.
Vuarum passarum purgatarũ, unc. quatuor.

Coquantur in aquæ libris septẽ aut octo, ad duarum librarum consumptionem. Colatũ & expressum cum sacchari libris quinque clarificatum,

rificatum, coquitur in ſyrupum. Cui propè percocto aromata iſta in panno raro ligata immerguntur: deinde in ſyrupum appenditur ad totius condituram.

Cinnamomi,
Calami aromatici,
Spicæ nardi,
Croci,
Zingiberis,
Piperis nigri & longi, ſing. drach. una & dimidia.

Craſsiuſculè tundátur, & in nodulo ligétur.

Hic ſyrupus aliquando iſtis aromatibus conditur: tuncq́; completus & cum ſpeciebus dicitur. Ea ſi non apponantur, incompletus & ſine ſpeciebus inſcribitur: quo tum utimur, cùm nõ ita magnũ calorem requirimus. Qui uerò aromata recipit, frigidioribus cerebri & pituitoſioribus affectibus conuenientior, ubi calore maiore, incidẽtibus & tenuantibus magis utendum eſt. Cerebri & neruorum frigidis uitijs pręcipuè conueniens: horum cauſam pituitam craſſam & uiſcidam potenter diſſecans, digerens & tenuans. Paralyſi, ſpaſmo cynico, conuulſioni, morbo comitiali ſuccurrit. Deſtillationes frigidas cõſumit & ſiccat, ſumptus cũ aqua fœniculi, uel ſmyrnij, uel eorundem decocto, ſpinalem medullam, neruos aut cerebrum iuuante. Potiſsimùm autem ualet ad pectus anheloſum, à deſtillatione impendente.

Ventriculum præterea roborat. Syrupum de ſtœchade ex Iudæo quodam non longè ab iſto diſsidentem: ſed tamen magna horum parte mancum, habet Meſueus in neruorũ affectib.

## *Syr. uiolarum compoſitus Meſ.*

℞ Violarum unc. duas.
Seminis cydoniorum,
Seminis maluæ, ana unc. unam.
Iuiubas,
Sebeſten, ana numero uiginti aut triginta.

Cum aquæ cucurbitæ libris ſeptem, coque ad tertias, & cum ſacchari libris duabus fiat ſyrupus.

Syrupus iſte uiolarum compoſitus Hamech attribuitur à Meſueo in pleuritide, uſu frequẽtiſsimus ad bilioſos affectus, & laterum morbos initio. Excreationi enim promouendæ idoneus, materiæ tenuitatem denſando, & leuiter incraſſando. Tuſsim ſiccam ſedat humectãdo, & faucium aſperitatem leniẽdo. Acrium & tenuium humorum feritatem humectatione & refrigeratione obtũdit, digerit & diſsipat cũ aqua adianti albi exhibitus, ſitim cum aquæ frigidæ quadruplo abolet. Tertianis cum aqua ſimplici aut intybi confert, ut & iulebus uiolatus, & ſyrupus acetatus ſimplex. Lenit enim quodammodo, ordine primo refrigerans & humectans. Syrupum alium uiolatum compoſitum iſto efficaciorem, nec longè diſsimilem ex

ex Ioannitio habet Mesueus: cuius usus esse po- Cap. De terit in operosa sputi procreatione, & difficilio- pleu. ribus partium spiritalium morbis. Capit uiolarum recentium, seminum cydoniorum, seminum citruli, sing. drach. decem. seminis maluæ drach. duodecim. gummi Arabici drach. octo. tragacanthi drach. tres. Coctis omnibus ad dimidias cum libris duabus & semisse penidiorum fiat syrupus.

## *Syrupus de iuiubis Mes.*

℞ Iuiubas numero sexaginta.
Violarum,
Seminis maluæ, ana drach. quinque.
Capillorum Veneris,
Hordei mundati,
Glycyrrhizæ, ana unc. unam.
Seminis cydoniorum,
Papaueris,
Melonum,
Lactucæ.
Tragacanthi, ana drach. tres.
Coque cũ aquę fontanę libris sex ad tertias, sacchari lib. duabus additis, fiat syrupus.

Mesueus aquæ libras quatuor tãtùm ponit. Sed ut syrupo gratiam adderemus, aqua augẽda fuit: alioqui colari non posset, & decoctione ipsa colatum mucilaginosum sua crasitie ingratum esset. Qua ratione quidam ad dimidias coctum, sacchari libra una tantùm condiunt.

Alij semen maluæ, cydoniorum, & tragacanthum nodulo imposita, & ligata syrupo clarificato immittunt, uel dimidium in nodulo coctioni ante clarificationem immittitur: reliquũ dimidium iam clarificato, mucosam istam lenticiam uitantes, & syrupo gratiam prehensantes. Nam si mucaginem non clarificato addideris, ægerrimè ob crassitiem percolaueris. Si uerò iam colato, turbidus & ingratior euadet syrupus. Quare libra una, aut etiam sesquilibra sacchari suppetet. Ad tussim siccam & inanem, arteriæ asperitatem, omnesq; thoracis & spiritalium partium affectus, fluxionibus calidis tentatos accommodatus. Sputum tenue egregiè suo lentore maturat, incrassat, glutinat, & tandem expectorat. Violato uiribus affinis, sed minus refrigerat. Eo Manardus ad uesicę ulcera utebatur, ad quæ lẽtore dulci, frigido & mucoso, ideoq; leniẽti opus est. Actuarius ex zizyphis parat ad ardẽtem febrem, tussim, & ex calore destillationem, & sanguinem purgãdum. Syrupum alium iuiubinum nõ multum dissimilem habet Mesueus in asthmate. Syrupo è iuiubis simplici rarior est usu, qui fit ex zizyphis centum coctis in aquę cœlestis libris quatuor ad dimidias, coctis cum sachari libra una. Iulebus zizyphorum Mesueo dicitur, utilis ad tenues in pectus destillationes, & sputũ liquidius modicè incrassandum. Zizypha uerò, quę Arabes Iuiubas, Gal. Serica uel Syriaca pruna uocat,

*Cap. 2. l. 5. Meth.*

*Syr. è iuiubis simpl.*

*Lib. 2. Aliment.*

uocat, ex Galeni præſcripto quidam medicamentorum cenſu temerè reijciũt, cum eorum decoctum dulcedine & lentore ſuo pectoris & gutturis aſpredines, & pulmonis ſiccitatem leniat, prętereaq; ueſicæ ſcabriciem, renum ureterumq; ulcera, urinæ incontinentiam, ardorem & ſtillicidium comprobato uſu temperet. Adeò benignè ferenda eſt pro humanæ ſortis conditione, ueterum in probandis medicamentis autoritas.

## *Syr. de capillis Veneris.*

℞ Adianti albi, hoc eſt capilli Veneris unc. quinque.
Glycyrrhizæ, unc. duas.

Temperentur aquæ fontis libris quatuor, horis uigintiquatuor, coquantur ad dimidias. Expreſſum percoque cum ſacchari clarificati, aquæ adianti albi, ſing. unc. octo.

Alij adianti libram unã, & glycyrrhizæ purgatæ uncias duas, in aquę libris ſex, ad duarum librarum conſumptionem, cum tribus ſacchari libris in ſyrupum percoquũt. Quidam ſacchari pondus minuunt, eiusq; libram unam aut ſeſquilibram ponunt. Quidam etiam penidia ad cocturam addunt. Alij adiantum album recens ſolum aqua maceratum exprimunt, & cum ſaccharo clarificato coquunt in ſyrupum. Ad thoracis affectus calidos, deſtillationes & obſtructiones efficax, uſu creberrimus. Pleuritidis

initio conuenit, cùm materia calida, aut calido & frigido mista, sua tenuitate gutturis tectorium eludit. Eo syrupo ad obstructiones primorum uasorum in purgatorijs tentationibus securitatis gratia utimur.

## *Syr. de glycyrrhiza Mes.*

℞ Glycyrrhizæ, unc. duas.
Adianti albi, unc. unam.
Hyssopi sicci unciæ semissem.

Horis uigintiquatuor macera aquæ libris quatuor, coque ad dimidias: expressum percoque cum mellis despumati, sacchari, penidiorum, sing. unc. octo. aquæ rosaceæ unc. sex.

Hic syrupus usu tritus ad thoracis & pulmonum uicia, aperit, dilatat, terget, lenit asperam arteriam, partes spiritales & pulmones, eosq; ad expectorandam materiam roborat. Incipiẽtibus itaque thoracis affectibus frigidis & pituitosis saluber est. Calfacit enim, incidit, tenuat, terget, expurgat, lenit, siccat: eaq; omnia moderatissimè, quod certè horum affectuum rudimenta desiderant. Ad tussim siccam accõmodat Mesueus, quæ à parua, neq; crassa, neq; lenta pituita excitatur. Etsi uerò syrupus iste dilatat, aperit & relaxat: pectoribus tamen etiá fluxionum initijs cum aqua rosacea rite & ordine adhibetur, cùm horũ affectuum à fluxione proficiscentium initijs modicè adstringentia ex Galeni præscripto adhibẽda sint. In quos usus

usus rhabarbarũ & manus Christi passim adhibentur, quæ sua adstrictione partes fluxione præsertim calida tentatas, eoq; nomine dissolutas, languidas & relaxatas obdurent, & ad noua uicia propellenda, ueteraq; detrudenda roborent. Quare ex Manardi consilio in conficiendo syrupo aqua rosacea (quod tamẽ quidam factitant) non est prætermittenda. Quæ quidem syrupo iam percocto addenda, & coquendo consumenda. In thoracis nanque affectibus adstringentia non omnino uitãda, dum ab aperientibus euincantur. Quidam sine maceratione hunc syrupũ coquunt, quòd eorum quæ incoquuntur, facultas in aquam promptissimè trahi possit. Penidia quæ hic adduntur ex purissimo saccharo esse debent, ne colaturæ negocium facessant. Hoc est saccharum in penidiorum cõsistentiam percoctum, & pistillo ligneo probè tritum immisceri debet.

## *Syrupus de hyssopo Mes.*

℞ Hissopi mediocriter sicci,
Radicum apij,
Fœniculi,
Petroselini (addunt quidam)
Glycyrrhizæ, ana drach. decem.
Hordei mundati, unc. semissem.
Seminis maluæ,
Seminis cydoniorum,
Tragacanthi, ana drach. tres.

Adianti albi, drach. ſex.
Iuiubas,
Sebeſten numero triginta.
Vuarum paſſarum purgatarum, drach. duodecim.
Ficuum ſiccarum,
Dactylorum pinguium, ana decem.

Coquuntur omnia in aquæ libris octo, ad librarum quinq; conſumptionem. Expreſſum in ſyrupum, percoque cum libris duabus penidiorum alborum.

Eo frequenter utimur morbis thoracis inualeſcentibus ex frigida, craſſa & lenta materia, ubi attenuatione, deterſione & expurgatione maiore opus eſt. Valẽtius enim iſta prædictis præſtat. Aſthmaticis, tuſsiculoſis & thoracicis commodus cum decocto pectorali, aut aqua ſcabioſæ, bechij aut praſij. Potenter enim obſtructiones liberat, hypochondriorum dolori utilis: ut etiam in quibuſdam renum calculis ſalutaris experiatur cum aquis aut decoctis ureticis. In libris ſex aquæ alijs coquitur, & ut eſt ſimplicium ordo, hordeũ primùm immittitur: radices deinde elignatæ & conciſæ, mox paſſulæ, iuiubæ & ſebeſten: ſemina uerò & tragacanthum linteo raro ligata, poſtremò adiantum. Penidia etiam ut prius intelligenda. Hic quoque ſyrupus dactylis & ſemine cydoniorum nonnihil ſubaſtringit ex ſuperiore præſcripto. Ex eadem ferè materia quatuor ſyrupi de

de hyſſopo deſcriptiones habet Meſueus in tuſsi humida, longè tamen diuerſas.

## *Syr. de praſio Meſ.*

℞ Praſij uiridis, unc. duas.
Hyſſopi mediocriter ſicci,
Adianti albi, ana drach. ſex.
Glycyrrhizæ, unc. unam.
Calaminthes,
Aniſi,
Radicum apij,
Fœniculi, ana drach. quinque.
Ireos,
Seminum maluæ,
Fœnigræci, ana drach. tres.
Seminum lini,
Cydoniorum, ana drach. duas.
Vuarum paſſarum purgatarum, unc. quinque. alij unc. duas.
Ficus paſſas pingues quindecim, alij ſexdecim.
Penidiorum alborum,
Mellis deſpumati optimi, ana lib. duas.

Coque in aquæ libris decē ad dimidias. expreſſum cū melle & penidijs, coque in ſyrupū.

Superiore quoq; efficacior ad lōgos & diutinos thoracis affectus, tuſsim trahentem ſenibus & naturis frigidis familiarem, ex craſſa, uiſcida, tenaci, frigida, putri & lenta materia. Aſthmaticorum pus egregiè diſſoluit, diſſecat & incîdit, terget, educit, & in apertum promouet.

uet. Vi ſua aperiente & deſiccante, uim expultricem roborante fluxionibus thoracis utilis, ſed declinatione præcipuè, niſi periculum ſuffocationis omnem in ſe operam intendat. Vſurpatur cum aqua bechij, hyſſopi, aut alia quauis thoracica. Quidam in aquæ libris octo incoquunt: & primùm radices, deinde aniſum, uuas, ficus: poſtmodum praſium, hyſſopum, calaminthen: poſtremò adiantum apponunt, ad dimidias coquunt, horis ſex macerant, exprimunt, colatum cum penidijs & ſaccharo clarificant, in ſyrupum percoquunt. Inter coquendum uerò, nodulum ſemina lini, fœnigræci, maluæ, cydoniorum continentem immergũt & confricant. Duas longè diſsimiles ſyrupi de praſio habet deſcriptiones Meſueus in Aſthmate, quas Hamech attribuit. Vnam quoque ex eodem in tuſsi humida ponit.

## *Syr. de papauere ſimpl. Meſ.*

℞ Capitum papaueris albi & nigri, ana drach, ſexaginta.

Coquantur in libris quatuor aquæ pluuialis, ad conſumptionem librarum duarũ & ſemiſsis. Expreſſum & colatum, percoque cum ſacchari albi & penidiorum, ſing. unc. quatuor.

Coquitur quibuſdam ſyrupus iſte uſu frequentiſsimus, in aqua fontana, non cœleſti, ad libræ unius, aut unius & dimidiæ conſumptionem, in formam iulebi. Sacchari penuria, etſi

penidio-

penidiorum pręſentia redimitur: parcior tamẽ eſt quàm deceat copia, ſi uſui & nõ in rem præſentem condias. Largiore ergo ſaccharo conditum, ut libra dimidia cum penidijs, aut etiã una, gratius erit, diutiusq; uires ſuas ſeruabit, licet cum pauciore ſaccharo ſit efficacius. Capita papauerum ſiccitate & humiditate media, uigintiquatuor horis maceranda, ſicciora diutius dum diffluant coquenda: qui Galeno cocturæ terminus eſt in Diacodio, ne alioqui recentia, quæ ſuo frigore magis ſunt idonea, longiore decoctione uires amittant. Vſu creber defluxionibus calidis, tenuibus & acribus in thoracem, quæ arteriam aſperam & fauces exaſperát, inſomniamq; faciunt. Frigore enim ſuo ſiſtit, humoremq; incraſſatum fluxioni ineptum reddit, & ſimul cogendo expuitioni habilem: in quem uſum Diacodion adhibet Gal. Tuſsim etiam inanem ex his defluxionibus enatam ſedat, & lentore ſuo gutturis aſperitatem lenit: caloris incendium mitigat, ſitim delet, ſomnum conciliat, cum ſuis ipſius uiribus refrigerando & humectando: uncijs duabus hora ſomni epotus: tum uerò ex accidẽti ſedata tuſsi, quæ inſomniã parit. Poteſt ex ſolis papauerũ ſeminibus confici: ſed pręſtat capita etiã addere, in quibus refrigeratio eſt inſignior.

*Auic. in ſyr. de papauere.*

## *Syr. de papauere comp. Meſ.*

℞ Capitum papaueris albi & nigri, ana drach. quinqua-

quinquaginta, alij triginta.
Adianti albi, drach. quindecim.
Glycyrrhizæ, drach. quinque.
Iuiubas numero triginta.
Seminis lactucæ, drach. quadraginta.
Seminis maluæ,
Cydoniorum, ana drach. sex.
Coque in libris aquæ quatuor ad dimidias. Collatum cum sacchari & penidiorum, sing. unc. octo, in syrupum percoque.

Vsu priore rarior, & ad prædicta efficacior, potentius somnũ conciliat & refrigerat. Phthisim, siccã tussim, catarrhum insomniæ causam sedat. Datur ad thoracis affectus cum aqua bechij aut adiãti. Vtimur his syrupis papauerinis ad alui profluuium & dysenteriam, quę ex materiæ biliosæ & acris effluxu excitatur. Intemperiem enim calidam & siccam intestinorum inde enatam emendat, & somnum cõciliat, qui fluxiones sistit uel maximè. Quã in rem extant apud Gal. Aetium & Oribasium, ex papauere multa remedia. Nicolaus etiam syrupum de papauere compositum, ad alui profluuium facit. Multæ sunt huius syrupi descriptiones inusitatæ, quarum duas habet Mesues in tussi ex destillatione nata. Est & syrupus alius de papauere, quo uti iubet Mesueus in Ecligmate de papauere, ut postea scribimus. Auicẽnas duas habet syrupi de papauere simplicis descriptiones. Prior ad somnum conciliandum ualet, & 
*Lib. 5.*
quibusdam

quibuſdam dicitur ſyrupus de papauere centũ capitũ. Alter ad alui profluuiũ & ſanguinis uomitum aptior. Semina mucaginoſa panno lineo ligari debent, & inter coquendum ſyrupo immergi, ut ei facultatem tradant, mucaginem in linteo retineant, quæ alioqui ſyrupũ ingratum & glutinoſiorem redderet.

## *Syrupus myrtinus Meſ.*

Fit ex ſucci myrtorum, hoc eſt baccarũ myrti, libris duodecim, decoctis in uaſe uitrato ad tertiæ partis conſumptionem, colatis & reſidere dum clareſcãt permiſsis. Clari ſucci libræ ſeptem, cum ſacchari clarificati libris quinque, igni lento in ſyrupum percoquuntur: uel ſi æſtas eſt, inſolantur ad partis aquoſæ conſumptionem. Sic Meſueus.

Nos penuria baccarum myrti recentium, ex ipſis coctis, & aqua temperatis paramus: ſed iſto longè imbecilliorem, ut ſuccus myrtorum ad huius ſyrupi perfectionem nobis ſit emendicandus. Syrupus iſte myrtinus ſimplex dicitur, efficax ad affectus pectoris & thoracis, ubi pugnans eſt indicatio, & aſtringentibus ſimul & uacuantibus utendum, ut in hæmorrhagia pulmonum, tuſsi calida & tenui. Ventris profluuium antiquum & recens ſanat, hæmorrhagiam omnem cohibet ſumptus ex aqua chalybeata, aut plantaginis, ſiue ex pectore, ſiue ex renibus, utero & abundantibus menſibus orta

ſit.

ſit. Vrinæ profluuium (diabetem dicimus) reprimit, & omnem immodicam uacuationem ſiſtit, quia refrigerat, ſiccat & adſtringit. Viſcera ab intemperie calida concalfacta, imbecilla & reſoluta cõfirmat, ſtomachi euerſionem & uomitum compeſcit, tuſsi ex deſtillatione acri & calida ſuccurrit, ſuo lentore uelut incruſtatione guttur & fauces muniens: præcipuè uerò tuſsim eam ſedat, quæ uentris profluuium ſequitur, ut ſcribit Auic. Serapio præter hunc ſyrupum ſimplicem, duas alias habet deſcriptiones, quas alui profluuijs omnibus tum recentibus, tum antiquis, & deſtillationibus in thoracem accõmodat. Syrupus iſte ſimplex Pauli Myrteton refert, quod ex ſucci myrtorũ ſextarijs tribus coctis cum mellis ſextario uno ad tertiæ partis conſumptionem, ſemper deſpumando parabatur. Vtebatur etiam Dioſc. expreſſo è folijs myrti ſucco, affuſo ueteri uino aut aqua cœleſti, eoq́; recenti, ne exiccatus cariem ſentiret, & uires amitteret. Eſt & uini Myrtitis deſcriptio Dioſcoridi lib. 5. & ſcriptoribus ruſticis celebrata, non multum à Myrteto Pauli diſsidens. Sed Auicennæ ſyrupus ex myrtorum ſucco lib. 5. ad ſtomachi imbecillitatem, & alui profluuium, iſtum noſtrum maximè exprimit. Syrupus myrtinus compoſitus Nicolao attributus, capit myrtorum drach. uiginti. ſantali albi, rhois culinarij, balauſtiorum, berberis, ana drach. triginta. meſpilorum drach. centum.

*Lib. 3. Fen 16. tract. 1. cap. 4.*

*Lib. 1. cap 156.*

*Cap. 36.*

*Syr. Myrt. comp. Nic.*

centum. ſucci granatorum, ſucci pomorum agreſtium, ana libras duas. Incocta omnia ſuccis prædictis, cum ſacchari libris quinq; ſyrupum efficiunt. Quidam præterquam quòd roſas & ſantalos rubros uariatis ponderibus addũt, in aquæ lib. octo prædicta coquunt ad dimidiæ partis cõſumptionem. Colato & expreſſo, addunt uini granatorum, ſucci cydoniorum, ana unc. ſex, cum ſacchari clarificati libris tribus perfectè in ſyrupum coquunt. Cui affinis eſt droſatum cœliacum Alexandrini num. 11. Eſt alius quoque compoſitus & uſitatior, qui recipit myrtorum pulpæ, cydoniorum, rhois culinarij, acaciæ, roſarum, ana unc. unam. ſpodij, hypocyſtidos, ana unc. duas, maſtiches drach. dimidiam. Coque in libris aquæ quatuor, ad tertiæ partis conſumptionem. Colatum & expreſſum cum ſacchari clarificati libris tribus, percoquitur in ſyrupum. Superiore ualentius adſtringit, potiſsimumq; in antiquatis alui fluoribus uſurpatur. Etſi uerò ſyrupi iſti uſu rari ſunt, ad præſcriptos tamen affectus ritè ſunt celebrati, & in dyſenteria populariter graſſante admodum probati.

*Syrup. myrt. comp. uſitatior.*

## *Syr. de portulaca Meſ.*

Capit ſeminũ portulacę tritorum lib. unam, horis uigintiquatuor macerandam in ſucci intybi cocti & purgati libris quatuor: poſtea lento igne coque ad dimidias, & colatum cum ſac-

chari libris duabus, percoque in ſyrupum. Additur interdum aceti libra una, uel ſucci granatorum acidorum libra una & dimidia.

Hic ſyrupus ſua efficacitate in uſum traducendus eſt. Potenter enim refrigerat, ſitim inexhauſtam ſedat, febrium ardores, ſtomachi & iecoris calidam intemperiem mitigat. Portulacæ ſemen tritum, intybi ſucci libris octo aut ſex macerari debet, ut rectè colari poſsit. Succus enim alioqui per ſe glutinoſus, ſeminis infuſo etiam lenteſcit. Eo efficaciſsimè utimur ad lumbricos & interraneorum animalia, cortice citri aromatis gratia indito, ut uiſcera magis roboret.

## *Syr. de mentha Meſ.*

℞ Succi cydoniorum mezorum, hoc eſt acidodulcium, & dulcium ſucci granatorum acidorum, dulcium & mezorum, ana librã unam & dimidiam.

In quibus, ſole, igni, aut reſidentia purgatis, macera horis uigintiquatuor menthæ ſiccæ libram unam & dimidiã. foliorum roſarum unc. duas. coque igne lẽto ad dimidias. Expreſſum & colatum cum ſacchari libris duabus, percoque in ſyrupum, qui aromatizetur cum gallia moſchata trita, & lineo panno ligata ex orificio uaſis ſuſpẽnſa.

Mentha parum ſiccata, & quæ paſſa eſt, non omnino ſicca ſumenda, quæ ſuperuacaneã humiditatem

miditatem suis flatibus uentriculum deturbantem deposuerit. Hæc cum rosis in succis purgatis per horas uigintiquatuor macerāda. Expressum & colatum ad dimidias lento igne coquendum cum saccharo, clarificandum & colandum: aut colato saccharum clarificatum miscendum, & in syrupum percoquendũ. Quidam, quòd expressum cum sacchari libris duabus clarificatum ægrè per pannum coletur, in expressis succis sacchari dissoluti libram unam albuminibus clarificant, colant: & postea reliquã sacchari purissimi libram, uel per se clarificati addunt, ut coquatur in syrupum. Alij uerò libram unam tantùm sacchari apponũt, aut etiam succos augent: ubi pręcipuè mētha siccior fuerit, quę tum plus succorum ebibit, aut menthæ copiam liberaliorem minuunt, & intra libram unam consistunt. Quæ ratio meo consilio potius ineunda est. Sunt qui cydoniorum dulcium tãtùm, non autem mezorum succum misceant. Sunt qui pomorum & granatorum acidodulcium tantùm, sing. libras duas & dimidias ponant. Pharmacopœorum sordes hũc syrupum Gallia condire, ubi maximè conuenit, desijt: etsi hoc quidam superfluum existimant. Alius est syrupus de mentha Mes. alius etiam Auic. sed hic solus in usu, eoq; ualentior in uentriculi intemperie frigida, ideoq; uomitum, nauseam & singultum sedat: alui quoque fluorem ex imbecillitate cõpescit. Stomachum Lib.5.

& uentrem totum inferiorem suo calore blando, & leuicula adstrictione roborat. Dissolutũ etiam uentriculi robur à causa calida nonnihil confirmat. Quidam cum melle ex Mesuei præscripto parant: nos uerò cum saccharo gratiorem & mitiorem facimus, nisi si quis mel optimum, odoratum & aromaticum, non commune & flatuosum addiderit.

## *Syr. de absinthio Mes.*

℞ Absinthij Romani libram dimidiam.
Rosarum rubrarum, unc. duas.
Spicæ nardi drach. tres.
Vini albi antiqui, boni, odori,
Succi cydoniorum, ana lib. duas & dimidiá.

In quibus macera per uigintiquatuor horas prædicta, coque igne lẽto ad dimidias, cũ mellis aut sacchari lib. duabus: fiat syrupus.

Absinthium per se maceratur, rosæ & spica simul, & absinthij infuso parum cocto infusum alterum additur, & parum simul coquitur. Expressum cum sacchari clarificati libris duabus percoquimus, aut etiam saccharum partimur: quemadmodum in syrupo de mẽtha diximus, ut facilius & sine molestia coletur. Quá in rem succorum libras duas & dimidiam ponimus, cùm alij libram unam & dimidiam addát. Sunt qui uinum liberalius augeãt ad promptiorem absinthij macerationẽ, succi cydoniorum nimiam adstrictionem uerẽtes, aut etiam absin-

thij

thij copiam minuant, uncijs quatuor contenti, & nostrorum hominum palato inseruientes. Vsu frequēs ad uentriculi, hepatis, & uiscerum aliorum imbecillitatem etiam dolorificam & cachexiá, præsertim si fiant à causa frigida. Appetentiá demissam excitat, & retentricem uim cōfirmat, intestinorum & uiscerum mollitiem delet, flatus discutit, felle suffusos & auriginosos iuuat, humoresq; per urinas propellit. Valet ad febres biliosas iam procedentes, non autem ineuntes, neq; uehementes, nisi frigidum aliquid miscueris. Tunc enim in causa calida conueniet. Datur Manardo in albo & pituitoso mulierum fluore. Sumitur ex aqua menthæ in stomachi affectibus. Mesueo cum melle paratur ad intemperiem frigidam. Syrupus alter de absinthio Mesuei, qui simplex dicitur, capit absinthij Romani drach. centum. coquantur in aquæ libris tribus, ad tertiæ partis cōsumptionem, aut ad dimidias. Expressum & colatū cum mellis & uini, sing. lib. una, coquitur in syrupū. Huius, quem simplicem nuncupamus, magna uis est ad hepatis affectus, qui solū absinthium requirunt, uel ad deturbandam bilem ex hepate & stomacho. Ad hos enim usus absinthiū Ponticum, quod Romanum uocat Mesueus, indubitatas habet confessiones ex Galeno, & in roborando uentriculo & iecore mirabilis est potentiæ. Datur ad ineuntes febres biliosas post septimum diem. Quatuor sunt apud Auic.

*Syr. de absinthio simplex.*

ſyrupi de abſinthio deſcriptiones : quarum ſecũda & quarta cum ſyrupo ſimplici plurimùm conueniunt:reliquæ duæ ſunt compoſitiones. Serapium eſt abſinthite Actuarij cõpoſitum, ab iſtis longè diuerſum, ex quo ſumptum eſt droſatum abſinthite Nic. Alexandrini, magis adhuc compoſitum, & (ut opinor) ex Actuario multis additis corruptum.

## *Syr. de calamento Meſ.*

℞ Calamenthi domeſtici & ſylueſtris, ana unc. duas.
Liguſtici,
Dauci,
Schœnu anthos, ana drach. quinque.
Paſſularum enucleatarum, lib. dimidiam.

Coque in libris ſex aquæ ad dimidias. Expreſſum cum mellis deſpumati libris duabus, percoque in ſyrupum.

Vſu creber ad uiſcerum obſtructiones leuãdas, incidendum, attenuandum, tergendum & aperiendum. Interna calfacit, obſtinatas materias expulſioni præparat, & menſium moras excitat. Tuſsi antiquæ, aſthmati, intemperiei uiſcerum frigidæ conuenit, ſenibus familiares affectus alleuat. Splenicos & lienis tumorem aut duriciem cum aqua ſcolopendrij aut aſplenij iuuat. Syrupus alter de calamẽtho Meſuei, recipit ſucci calaminthes & uini odori, ana lib. quatuor. ſucci malorum granatorũ acidorum

cum ſua pulpa interiori libras quinque. Coctũ ad dimidias, & biduò reſidẽtia purgatum, cum ſacchari libris quatuor percoquitur in ſyrupũ. Quibuſdam uſui eſt ad uomitum & ſingultum ex pituita, bile flaua & craſſa, cum aqua méthæ aut abſinthij. Viribus affine eſt ſyrupo de mentha, uentriculũ & hepar expurgat, ſimul & roborat, ideoq; ſaluberrimus: tum quòd medicamẽtum cum alimento coniunctũ habeat: quod genus medicamentorum Hip. & Galeno maximè commendatur. Aromatizatur Meſueo duabus drachmis Galliæ aromaticæ, quę ſyrupum gratiorem efficit, & facultatum robur auget. Calamenthi porrò domeſtici nomine, nos mẽtham ſubſtituimus.

## *Syr. de fumoterræ Meſ.*

℞ Myrobalanos cepulas & citreas, ana uiginti.
Florum uiolarum,
Boraginis uel bugloſsi,
Abſinthij,
Cuſcutę, ana unc. unam.
Glycyrrhizæ,
Roſarum, ana unc. dimidiam.
Epithymi,
Polypodij, ana drach. ſeptem.
Pruna centum,
Vuarum paſſarum purgatarum, lib. dimidiã.
Tamarindorum,
Pulpæ caſsiæ fiſtulæ, ana unc. duas.

Coque in aquæ libris decem, ad librarum ſeptem conſumptionem, & cum ſucci fumariæ cocti & purgati, & ſacchari, ſing. libris tribus fiat ſyrupus.

Operoſa eſt cõfectio, & iniucũda, efficax tamen ad ea quæ pollicetur. Ob pruna, uuas paſſas, caſsiam & tamar Indos craſsiſsima: proindeq; ingratiſsima, & quæ citò ſitum ducat aut corrumpatur. Decoctionem prius capiunt polypodium, pruna, paſſulæ, glycyrrhiza, abſinthium, roſæ, cuſcuta, flores borraginis, uiolæ, myrobalani, deinde epithymus: deniq; caſsia & tamar Indi. Facta ſimpliciũ decoctione, ſuccus fumariæ cum ſaccharo clarificato, in ſyrupum percoquitur, inter coquendum paulatim addito decocto: denique caſsia & tamarindis, quæ ob ſubſtantiæ raritatem, & uirium imbecillitatem paruam merentur coctionem. Hic ſyrupus de fumaria maior dicitur, uſu frequens: minor non item à Meſueo deſcriptus, etſi earundem ſit uirium: maior tamen ad omnia efficacior. Vim habet comprimẽtem, ſoluentem & lenientem ob diuerſas ſimplicium uires. Purgatorius eſt à tribus uncijs ad quinque uel ſex ſumptus. Purgat enim pituitam ſalſam, & bilem utranque uſtam, cùm purgantia clementia & parua quantitate recipiat, curatiſq; cutis uitijs colorem commendat, ut liberatis obſtructionibus febres putridas ab his humoribus enatas curat. Vẽtriculum & hepar roborat, humores

mores ſalſos & aduſtione aſſatos propellit, pſoram, leprã, ſcabiem, impetiginem, ſerpiginem, lataq; exanthemata delet. Icterum utrunq; depellit. Vtebatur eo Manardus in lue Venerea. Sumitur cum aqua intybi & bugloſsi. Nic. Alexandrinus duplicem habet droſati è fumaria deſcriptionem: quarum prima plurimùm cum ſyrupo minore fumarię Meſuei conuenit, altera magis eſt compoſita. Vtraque ſcammonium recipit. Vulgati Nic. codices duas alias deſcriptiones ei tribuunt, ab his quas deſcribit Alexandrinus longiſsimè diſtãtes. Eſt & Alexandrini zulapium è fumaria compoſitum ualde. *Sect. 19.* Pręter fumariam enim aniſum, fœniculum, florem iunci odorati, ſemen intybi, zizipha, pruna & dactylos cum ſaccharo recipit. Hodie horum ſyruporum loco, ſuccum fumariæ coctum, reſidentia purgatum, in ſyrupum cum ſaccharo æquali condimus.

## *Syrup. de eupatorio Meſ.*

℞ Radicum apij,
Fœniculi,
Intybi, ana unc. duas.
Glycyrrhizæ,
Schœnu anthos,
Cuſcutæ,
Abſinthij,
Roſarum, ana drach. ſex.
Adianti albi,

Spinæ albæ,
Spinæ Arabicæ aut Aegyptiæ,
Florum aut radicum buglosſi,
Aniſi,
Fœniculi,
Eupatorij, ana drach. quinque.
Rhabarbari,
Maſtiches, ana drach. tres.
Spicæ nardi,
Aſari,
Folij, ana drach. duas.

Coquantur omnia in aquæ libris octo ad tertiæ partis conſumptionem, & cum ſacchari libris quatuor, ſucci apij & intybi, quantitate ſufficienti fiat ſyrupus.

Expreſſum decoctum cum ſacchari clarificati libris quatuor: & ſucci apij & intybi purgati, ſing. libris duabus, paulatim inter coquendũ additis, in ſyrupum percoquitur, quẽadmodum in ſyrupo de fumaria præſcripſimus. Etſi quidam Byzantinum ſyrupum pro cocturæ exemplo ſibi proponũt. Operoſa quidem & difficilis eſt confectio, ſed certè ſecuritatis plenisſima. Optimus eſt hic ſyrupus in trahentibus febribus, tertianis nothis ex bile aut pituita craſſa, quæ iecoris aut lienis obſtructiones parit, partes nutritorias & concoctricis uires labefactat. Aperit enim calore ſuo, digerit, incîdit, tenuat & terget, appetentiam excitat, coctionem firmat, robur uentriculi ſuſcitat,

tat, hydropiquе ex uiſcerum uitio naſcenti probè ſuccurrit. Cacochymiam, aut etiam totius cachexiam, ad quam nobilium partium corruptione color cutis plumbeus, eiusq́; defœdatio cum tumore ſuccedit, emendat: uicioſosq́; ſuccos per urinas expurgat. Intẽperiem internam frigidam delet, flatus uentriculo aut iecori innatos diſsipat, hypochõdriorum tenſionem & dolorem leuat. Totius corporis corruptionem, quæ malè affectum uentriculum & hepar ſequitur, expurgat. Spinæ Aegyptiæ aut albę loco ſabinam & polypodium ad apertionem maiorem, & leuandas obſtructiones quidam ſubſtituunt: nos certè earum loco geminato ſpinæ albæ noſtratis pondere non inefficaciter uti poſſumus.

## *Syr. de epithymo Meſ.*

℞ Epithymi boni hortenſis, drach. uiginti,
Myrobalanorum Indarum,
Citrearum, ana drach. quindecim,
Cuſcutæ,
Fumariæ, ana drach, decem,
Thymi,
Calaminthes,
Bugloſsi,
Stœchados,
Glycyrrhizæ,
Polypodij,
Agarici,

Myrobala-

Myrobalanorum Emblicarum,
Belliricarum, ana drach. ſex.
Roſarum,
Seminis fœniculi,
Aniſi, ana drach. duas & dimidiam.
Pruna uiginti.
Vuarum paſſarum purgatarum, unc. quatuor.
TamarIndorum, unc. duas & dimidiam.

Coque omnia in aquæ libris decẽ, ad librarum ſeptem conſumptionem. Expreſſum cum ſacchari clarificati libris quatuor, coquitur in ſyrupũ, additis cocto ſyrupo lib. duabus ſapæ.

Conditurę modus ex ſyrupo de fumaria ſumendus eſt. Decoctum enim ad dimidias, ubi conſumptum fuerit, igni auferendum, & nocte una macerandum, igni redditum exprimendum, cum ſaccharo clarificandũ & colandum. TamarIndi per ſe decocto, creti & repurgati ſyrupo addũtur propè cocto, ut minimùm decoquantur. Sapa ſyrupo iam percocto, ſoluta admiſceri debet, non autem recoqui. Ob pruna, paſſas, tamarIndos & ſapã craſſus, ac æquè quàm ſyrupus fumariæ ingratus eſt. Quare paratur quibuſdam, tamarIndis & ſapa reiectis, liquidior & gratior, nec minus efficax. Agaricum & myrobalanos ſeorſum infuſos quidam exprimunt, & alijs miſcent paulo ante colaturam. Viribus affinis eſt ſyrupo fumariæ, niſi quòd hic calidior eſt, magis purgat, potentius obſtructiones aperit, & humores melancholi-

cos

cos apparat. Itaq; hoc utimur in humoribus & affectibus pituitosis, melancholicis à bile adusta & atra. Syrupo fumariæ autem in affectibus calidis, siccis magis & biliosis. Occulta uulnera, fistulosa & sinuosa sanat, fœdã corporis scabiem & nigram curat, capitis areas & impetiginem emendat, elephantiam, cancrum, psorã & lepram præcauet. Valet ad scabiem Neapolitanam, quam inter affectus melancholicos accensent. Datur unc. duabus ad hos affectus cum aqua lupuli, intybi, fumariæ, boraginis. Quod põdus si augeas ad unc. quatuor aut sex, apertè aluum subducit. Magis enim inter purgatoria reponendus quàm syrupos. purgat nẽpe & digerit myrobalanis, fumaria, agarico, polypodio, tamarIndis, idq; clementer. 'Melior fuerit ad hos affectus melãcholicos syrupus aliquis simplicior (qualẽ Saporis antiquis usitatũ prius descripsimus) aut alius quiuis ex asplenio, aut paucis simplicibus splenicis, quàm farrago ista simplicium melãcholiam apparantiũ.

## *Syr. acetosus simplex Mes.*

Capit aquæ fontanæ libras quatuor, quæ cum sacchari libris quinque coquuntur in uase lapideo ad dimidias, semper despumando, ad prunas & lẽtum ignem sine fumo, additis aceti albi clari libris duabus.

Saccharum quidam albuminibus clarificát, syrupoq; penè percocto acetum addunt. Alij

saccharum

saccharum cum aceto coquunt, despumando purgât, nec aliter clarificant: quod cõmune est decoctis omnibus, aut syrupis, qui acetum capiunt. Mesuei modus sequendus est, quem ex Serapione, Auicẽna & Haly abbate desumpsit. Syrupum enim hunc acetosum simplicem pro uarijs scopis, uiribus auget: ut si leuiter acidum uelis, aceti libras duas addas: si mediocriter, tres: si ualentissimè, quatuor: in quo Pauli oxymel sequutus uidetur, ubi acetum melli adæquatur. Sępe uerò intra librarum duarum modum subsistimus, pro re nata & morbi ratione facilè acetum augentes. Coquẽdus, ut monet Mesueus, in uase lapideo, siliceo, aut terreo uitrato. Nam acetum in uase æneo æruginosum aliquid contrahit & corrodens. Viribus oxymeliti Gal. affinis, & compositione ferè similis, nisi quòd saccharum pro melle usurpamus: potestque ut oxymel parum coqui, æstate pręsertim, ut sit liquidissimus, clarissimus & gratissimus: in his pręsertim affectibus biliosis, in quibus mel cauetur, ægrum potius deliniturus, quàm si crassitiem longa coctione natam, liquore aliquo dissolueris. Vsu creberrimus & saluberrimus in affectibus calidis, biliosis, & ex materia mixta enatis. Bilis impetum tenuitate & æstu furentem frangit, reprimit, incrassat, & refrigeratione extinguit. Humorum uerò crassitiem tenui sua substantia aperit, incîdit & attenuat: obstructiones leuat, uirium repugnantiam

tiam ex aceti natura præ se ferens. Solis affecti-bus quibus exoſum eſt acetum, noxius. Vteri uicijs, uentriculo frigidiori, neruorum malis & melancholicis humoribus ſuſpectus, quòd ſuo frigore & ſiccitate partium harũ intemperiem labefactet, & ſucci melancholici noxiá augeat, niſi ſi tenuandi, incidendi & aperiendi ui plus profuturus ſit. Qua ratione acetum quartanæ adhibetur Gal. lib. 1. ad Glauc. & ſplenicis re-medijs admouetur in Methodo medendi. Vri-nas mouet & ſudores, peſtilentiæ putrediniq; reſiſtit. Acetum albũ præſcribit Meſueus, quod uiribus ſit potentius & tenuius. Droſatũ acidũ ſimplex Alexãdrini ad febres continuas, ardẽ-tes, tertianas, capit ſacchari lib. quatuor, aceti lib. unam, aquæ libras tres. Coquito ad mellis conſiſtentiam, colo expurgato, & utere.

## *Syrup. acetoſus compoſitus Meſ.*

℞ Radicum apij,
Fœniculi,
Intybi, ana unc. tres.
Seminum apij,
Fœniculi,
Aniſi, ana unc. unam.
Seminis intybi, unc. dimidiam.

Coquantur omnia igni lento ad dimidias in aquæ fontanæ libris decem. expreſſo addantur ſacchari libræ tres, clarificetur: deinde adda-tur acetum.

His

Hîc, ut nec ſuperius, alia clarificatione opus non eſt, niſi ut ebulliendo ſaccharum deſpumetur, dum clarum fiat: quod ſemper obſeruãdum eſt, in quibus acetum ponitur, quòd liquidiores ſyrupos facit. In hac decoctione acetum ad libras quinque addendum, ſi imbecillum ſyrupum paraueris: ſi ualẽtiſsimum, decem: ſi uiribus medium, ſeptem & dimidiam. Sed cùm frigidioribus & pituitoſis affectibus cõueniat, aceti modus moleſtus eſt: his præſertim quibus uentriculus eſt frigidior, ut & cæteris partibus neruoſis. Syrupus acetoſus compoſitus, aut de duabus radicibus cum aceto, aut de radicibus temperatus, officinis dicitur: qui ſi ſine aceto paratur, ſyrupus de duabus radicibus ſine aceto nuncupatur, quòd ex quinque diureticis radicibus duas habeat. Auicennas lib. 5. ſyrupum acetoſum de ſeminibus uocat. febribus pituitoſis quàm bilioſis aptior: quia modicè calet, earumq; initijs & rudimentis accommodatur, ut Byzantinus iamiam procedẽtibus. Obſtructiones uiſcerum mirè leuat, humorũ craſſitiem apparat, expurgat & tenuat: urinas promouet, febres compoſitas & nothas adiuuat. Affectibus frigidis ſine aceto accommodatior, ut & cum aceto calidioribus. Ventriculũ bile & pituita craſſa refertum alleuat: renum, lienis & iecoris infarctus penetrat. Eſt droſatum cõpoſitum Alexãdrini longè diſsimile, multa recipiens: & aceti loco, punicorũ acidorũ ſuccum.

Syr.

## Syr. de quinque radicibus.

℞ Radicum apij,
Fœniculi,
Petroselini,
Asparagi,
Rusci, ana unc. duas.

Coque in aquæ fontanæ libris sex, ad tertiæ partis consumptionem. Expressum coquitur cum sacchari libris tribus.

Quidam syrupo ferè percocto, aceti unc. octo addũt. Alij decocto adijciunt seminis apij, fœniculi, petroselini, sing. unc. unam, in libris decem aquæ percoquunt ad dimidias. Expressum cũ mellis potius quàm sacchari libris quatuor conditur in syrupum. Viribus & substantia affinis est oxymeliti composito, quo de postea agetur. Vulgares Pharmacopœorum libri aliam circunferunt huiusce syrupi descriptionem, quæ capit radicum apij, fœniculi, petroselini, endiuiæ, sing. unc. unam. seminum apij, fœniculi, anisorum, ameos, asparagi, sing. unc. dimidiam. aceti optimi libras duas. Omnia præter acetum coquuntur in libris aquę uiginti ad perfectam coctionem. Colato & expresso, adduntur mellis despumati libræ quatuor, & acetum prædictum. Viribus affinis est Byzantino syrupo. Syrupus acetosus compositus, isto ad omnia quæ prę se fert, est efficacior. Humorum enim lenticiã incîdit magis, & apparat, obstru-

u ctaq;

ctaq; potentius alleuat. Quare huius loco qui syrupum de radicibus præscriptum exhibent, id non nisi temerè & cum maxima incuria factitant, cùm isto sit omnibus nominibus inferior. Syrupum uerò ex duabus radicibus usurpant Pharmacopœi, qui capiat radicum petroselini & fœniculi ana unc. quatuor. Coquuntur in aquæ fontanæ libris quinque, ad tertiæ partis cõsumptionem. Expressum cum sacchari libris duabus, coquitur ad syrupi consistentiam.

## *Syrupus Bizantinus Mes.*

℞ Succi intybi,
Succi apij, ana lib. duas.
Succi lupuli,
Succi buglossi hortensis uel syluestris, ana libram unam.

Feruefiant semel, & purgentur. Eius succi clarificati libras quatuor, igni lento coque in syrupum, cum sacchari libris duabus & dimidia. Adduntur interdum aceti libræ duę. Interdum quoq; succis incoquũtur rosarum unciæ duæ, glycyrrhizæ uncia dimidia, spicæ nardi drachmæ duæ, seminis anisi, fœniculi, apij, singul. drachmæ tres.

Hic syrupus Bizantinus cum aceto, aut sine aceto inscribitur, & uterque Bizãtinus simpliciter. Bizantinus tamẽ absolutè, qui sine aceto paratur, intelligi debet. Vterq; etiam cum additionibus inscribitur, & tunc cõpositus nuncupatur.

cupatur. Febres putridas mixtas, ex humore bilioſo & pituitoſo ſolutu contumaces iuuat, obſtructiones uiſcerum aperit, humores craſſos & lentos incîdit atque extenuat, & morbo regio potenter ſuccurrit. Splenis duritiem, & obſtructa ab humoris melancholici craſsitudine diſsipat, addito ſyrupo de duabus radicibus aut quinque. Febribus compoſitis ante diem ſeptimum, aut nonum, à recentioribus non præſcribitur, quòd potenter nimis obſtructa liberet: ſed earum declinationi adhibent, quando quidem Bizantinus cum additionibus optimè omnium conuenit. Sed in dictarum febrium initijs ſyrupo de duabus radicibus, aut acetoſo ſimplici cum aqua fœniculi, aut intybi, & melle roſato utimur. Vbi uerò bilis ſuperat, acetoſo ſimplici, aut acetato compoſito cum quarta parte mellis roſati, & aqua intybi. In pituitæ etiam dominatu ſyrupũ de quinque radicibus accerſimus, atque ſeneſcentis morbi remiſsioni Bizantinus cum additionibus maximè eſt familiaris. Quòd ſi morbus quoque humoris pertinacia difficilem per hæc remedia curationem habeat, ſyrupo acetato diarhodon Meſuei, qui Bizantino eſt efficacior & calidior, Venetisque medicis familiaris, inſtituenda eſt actio. Cui quoq; ſuccenturiatas opes feret ſyrupus acetatus de ſuccis herbarum cum aromatibus, ab eodem deſcriptus. Qui quidem in magna ſyruporum acetoſorum

farragine præcipuas & indubitatas uires habent. Multæ ſunt quoq; & uariæ acetatorũ ſyruporum deſcriptiones apud Auicẽnam libro quinto, in quibus quaſdam iſtis affines reperias. Porrò ſyrupus iſte Byzantinus barbaris, Dinarij ſyrupus inſcribitur.

## *Syrupus intybi ſimplex.*

Recipit ſucci intybi una feruefactione, deinde reſidentia purgati lib. octo, cum ſacchari clarificati libris quinque & ſemiſſe, paulatim inter coquendum ſuccus additur, & percoquitur in ſyrupum.

Siue Cicoriũ ſylueſtre pro Intybo accipias, ſiue lactucã ſylueſtrem & endiuiam uulgarem, ſyrupus hic ſimplex ad hepatis & uiſcerum omnium intemperiem calidam multum ualet: ſitis ardores inextinguibiles euincit, & morbi lateralis initijs pręcipuè conuenit. Syrupus intybi compoſitus, Gentilis officinis creber, recipit ſucci intybi & lichenis herbæ, quæ hepatica dicitur, ana libras tres. roſarum, uiolarum, lenticulæ paluſtris, polytrichi, florum nympheæ, ana ſemunciam. adianti albi, hordei mundati, ſeminum omnium frigidorum, ana unc. unam. Succi ebullitione & reſidentia purgati clarificentur cum ſacchari lib. quinque, percoquãtur in ſyrupum: qui additis ſantalis albis & rubris, unà oxyacanthes & ſeminis cydoniorum, ſing. ſcriptulo uno aromatizatus, gratior fit & iucũdior.

*Syr. intybi Gentilis.*

dior. Quidam etiam cinnamomum, lignum aloes, cortices mali citrij, eodem pōdere addūt, ut cor magis roboret, minusq; refrigeret. Obstructiones aperit, intemperiem calidam hepatis, renum æstus emendat, bilis acrimoniā frangit, refrigerat & humectat potētissimè: etsi quibusdam suspectus est, quòd calida temeraria quadam mixtura recipiat: malintq; eius loco uti altero composito, qui officinis etiam quibusdam est familiaris, Gentiliq; attribuitur. Capit uerò succi intybi libras sexaginta, in quibus coquendo purgatis bulliant rosarum, santalorum citrinorum, sing. unciæ quinque. spodij, berberis, sing. drach. uiginti, asparagorū drach. decem. Expressum & colatum cum sacchari libris uiginti percoquatur in syrupum, additis inter coquendum succi granatorum acidorum libris tribus, & unc. quatuor. Alter est à Valerio Cordo descriptus, efficax in magno præcordiorum incendio, uentriculi & hepatis intemperie calida, in febribus biliosis & ardentibus, obstructiones liberat, & urinas promouet, superioribus non admodum dissimilis. Recipit intybi recentis, boraginis, scariolę, lichenis, buglossi, melissæ, lactucæ, eupatorij, ana manipulum unum. seminum frigidorum maiorū, sing. unc. unam. santalorum alborum & rubrorum, sing drach. unam. florum cordialiū, sing. drach. tres. Coquātur omnia in aquæ sufficienti quātitate ad dimidias. Expresso & colato, adde suc- *Syrup. alter Gentilis.*

ci intybi purgati libram unam. ſucci granato-rum acidorum unc. tres. & cum ſacchari clarifi-cati libris quatuor fiat ſyrupus.

## *Syrupus de cichorio cum rheo Ni-col. Florentini.*

℞ Intybi ſatiui & erratici,
Taraxaconis, ana manipulos duos.
Cicerbitæ, hoc eſt ſonchi,
Lichenis, /// epatice
Scariolæ,
Lactucæ,
Fumariæ,
Lupulorum, ana manipulum unum.
Hordei integri,
Halicacabi, ana unc. quatuor.
Glycyrrhizæ,
Adianti albi & nigri,
Aſplenij,
Polytrichi,
Caſſutæ, ana drach. ſex.
Radicum fœniculi,
Apij,
Aſparagi, ana unc. duas.

Coque in aqua ſufficienti, cola cum ſac-charo clarificatũ, & rurſus colatum percoque in ſyrupum. Addunt nonnulli quandoq; libris ſingulis rhei optimi panno raro ligati, cum ſpi-cæ nardi ſcript. quatuor, unciam dimidiam, ſę-pe inter coquendũ exprimendá & cõfricandá.

Syrupus

Syrupus iste frequentem habet usum in officinis, ad iecoris intemperiem calidam, obstructionem, fellis suffusionem & auriginem. Splenicis & melancholicis adhibetur. Cachexiam & uiscerum impuritatem, omnemq; uenenatá materiam soluit, nutritionis instruméta roborat, humoresq; uiciosos per urinas & secessum educit. Præstat tamen in hos usus syrupum simplicem ex succi cichorij syluestris depurati libris octo, cum sacchari clarificati lib. quinque percoctis, usurpare: cui rheum pro morbi aut humoris natura utendi tempore addere, magis fuerit ex usu, quàm ex tam uasto uariarum opinionum freto pendêre. Quibusdam enim officinis rheum in singulas libras ad unciam unam additur. Sunt qui unc. duas excedant, & frequens usus uncias tres rhabarbari pro libra capit. Qua in re non uideo quomodo prudens Medicus fidem suam liberare posit. Adde etiá, barbara simplicium nomina tantam omnibus obscuritatem párere, ut uix intelligátur. Quotus enim quisque endiuiam syluestrem & domesticam, taraxacon & cichorium inter se distinguit? Pro quibus quatuor seridis genera Diosc. rectè quidem usurpari posse uidentur, si ex opinionum gurgustio emerserimus. Endiuia barbaris, lactuca syluestris Diosc. esse uidetur: alijs intybus, seu seris lato folio. Scariola uerò, intybus angustifolius. Taraxacon quibusdam seridis species, quæ picris Plinio dicitur,

aut hedypnoidis genus quoddam, aut cichorium, & dens leonis esse uidetur. Lubens igitur consulo cum cæteris doctissimis uiris, ut simplicissimus syrupus ex cichorij syluestris succo paretur: cui addere poterimus alias seridis species, cùm sint eiusdem propè efficaciȩ, & lactucam utranq;. Atque adeò cum simplicium decocto, corporis partes sua natura iuuantiū, aut nephriticis, aut ictericis, aut splenicis, ritè atq; ordine propinari poterit: rheumq́;, si opus est, pró morbi dignatione in rem prȩsentem, quod lōgè est efficacius, immisceri. Haud meliore ratione paratur officinis in eosdem usus syrupus alius de cichorio Placētini, qui capit foliorum cichorij manipulum unum. foliorum boraginis, uiolarum, scariolæ, buglossi, oxalidis, batisosæ, ana manipul. dimidium. rhei drach. duas. Herbæ tritæ coquuntur in libris duabus aquæ, ad tertiæ partis consumptionem. Colato & expresso, adde sacchari lib. duas. clarificetur, iterū coletur, reddatur igni, & immitte rhabarbarum in puluerem tritum, panno lineo raro ligatum: inter coquendum sæpe confrica, dum syrupus percoctus fiet. Batisosa aut batisoseris Hermolao uidetur esse cyanus, deriuato ex baptisecula nomine: quæ sic dicitur, quòd seculū, hoc est falcem messoriam remoretur. Doctissimis uiris baptisoseris est seris triticaria, hoc est cichorium erraticum, in tritico & messibus frequēs, cyanum flore referens. Paratur etiam uterque syrupus

*Syr. de cich. Placentini.*

ſyrupus ſine rhabarbaro, tuncq; abſolutè ſine rheo Medicis indicitur.

## *Syrupus de arthemiſia Matthæi de Gradi.*

℞ Arthemiſiæ, manip. duos.
Pulegij,
Calaminthes,
Origani,
Meliſſophylli,
Perſicariæ,
Sabinæ,
Sampſuchi,
Chamædryos,
Hyperici,
Helenij,
Chamæpityos,
Matricariæ cum flore,
Centaurij minoris,
Rutæ,
Betonicæ,
Bugloſsi,
Radicum fœniculi,
Apij,
Petroſelini,
Aſparagi,
Ruſci,
Saxifragiæ,
Enulæ,

Dictamni,
Cyperi,
Rubiæ,
Iridis,
Pœoniæ, ana manip. unum.
Seminis iuniperi,
Smyrnij,
Petroselini,
Apij,
Anisi,
Melanthij,
Carpobalsami,
Costi,
Asari,
Pyrethri,
Casiæ ligneæ,
Cardamomi,
Calami aromatici,
Phu, ana unciam dimidiam.

Omnia trita & quassata infundantur aquæ fluuiali sufficienti horis uigintiquatuor: pòst coque ad dimidij consumptionem: aufer igni, dum aqua tepuerit, frica manibus omnia, & cola. Expressum percoque in syrupum, cum mellis & sacchari sufficienti quantitate.

Aquæ libræ octo sumantur, in quibus primùm radices, pòst semina, deinde herbæ, denique pyrethrum & aromata bulliant, ad dimidiæ partis consumptionẽ. Expressum cum sacchari & mellis, sing. sesquilibra, fiat syrupus, efficax

ficax in aperiendis obstructionibus ex crassis, uiscidis & glutinosis humoribus. Incîdit enim, aperit & tenuat potentissimè. Describitur ex Gradensi in nonum Rhasij ad Almansorem, in mensium suppressione. Vteri affectibus proficit, eumq; elocatum pristinæ sedi restituit: flatus & frigidos humores, quibus infestatur, aliquando etiam emouetur, dissipans, & dolores sedans: neruos roborat, menstruis imperat, materiamque contumacem expulsioni apparat & prouocat. Aliæ sunt duæ syrupi de matricaria descriptiones, ex uulgatis Pharmacopœorum codicibus quibusdam officinis usurpatæ, non multùm isti dissimiles, quibus utuntur Itali. Ista tamen forma usum obtinuit, eoq; modo ex Gradensi desumpta est. Additur interdum acetum acerrimũ, uel scilliticum largius aut parcius pro uarijs scopis, & aromatizatur cinnamomo & spica.

## *Syrup. de nymphea simplex.*

Florum nympheæ libræ duę, in aquæ fontanæ libris quinque modicè coquantur. Expressum & colatum, cum sacchari libris tribus & dimidia coquitur in syrupum.

Affine est Nympheo sacchar Actuarij, quod ex nympheæ floribus & saccharo paratur, ad biliosarum uehementiumq; febrium æstus, dolores à bile procreatos, & capitis feruores. Insomniam leuat, sitim extinguit, & potenter refrigerat

frigerat & humectat, eiusq; ad eos effectus cōmodior est usus quàm compositi, quem officinæ quandoq; parāt, capitq; florum nymphee uncias duas. florum ungulæ caballinæ aquaticæ, psyllij integri, acetosæ, ana unc. unam. seminum cucurbite, citruli, cucumeris, melonis, ana unc. dimidiam. seminum lactucæ, endiuiæ, scariolæ, portulacæ, ana drach. duas. radicum fœniculi unc. unam. Bulliant in sufficienti quantitate aquæ hordei. Expresso & colato, adde sacchari librá unam. aceti albi, succi granatorum acidorum, ana unc. duas, coque in syrupum. Aromatizatur santalis citrinis & spica nardi, sing. drach. una, ne sua frigiditate facilius obstructiones pariat. Describitur ex Francisco Pedemontano, in cura malæ complexionis hepatis, simplicis & compositæ. Fit Nicol. Alexandrino zulapium de nenuphare ex aqua nymphee stillaticia & saccharo, ad insomniam, dolores capitis, & febrium ardores.

*Syr. de nymphea Franc. Pedemōtani.*

## *Syrupus de lupulo.*

℞ Succi lupuli depurati, lib. quatuor.
Succi fumariæ residentia purgati, lib. duas.
Sacchari clarificati, lib. quinque. Coquantur in syrupum.

Paratur hic syrupus crebrò ex solo lupuli succo, ad iecoris intemperiem calidam, & bilis efferuescentis impetum. Sanguinem totum sua impuritate expurgat, ebullitionemq; sedat tē-

perato

perato eius calore. Biliosis febribus & synochis confert, & cephalalgiæ calidæ, internisq; feruoribus. Ex Mesueo sumptus uidetur in simplicibus, qui lupuli syrupum ad prædicta laudat. Cap. De uolubili. Lupuli autem succus ex eius uiticulis & turionibus nondum enatis folijs exprimendus est. Syrupus ex succo boraginis quibusdam paratur hunc in modum. Syr. de boragine. Succi boraginis depurati libris quatuor, sacchari despumati libræ duæ adduntur: coquuntur aliquandiu, deinde florum boraginis recentium contusorum lib. una in aquæ sufficienti quantitate coquatur. Colatum & expressum reliquis affunditur: & fit syrupus quo utimur ad syncopem, cordis tremorem & imbecillitatem, manicos quoq; & melãcholicos iuuat. Ijsdẽ quoq; affectibus syrupus de buglosso accommodatur, in eandem formã cõpositus. Sunt alij multi syrupi simplices quibusdam officinis & Medicis usui: ut syrupus betonicæ, syrupus scolopendrij, melissophylli, ellebori, mercurialis: qui cùm pro uarijs scopis ad horum instar describi posint, in ijs nõ multum laborandum esse putamus, ne uideamur laureolam in mustaceo quærere.

## *Syr. cydoniorum simplex Mes.*

Succi cydoniorum libræ decem coquuntur ad dimidias: deinde biduo residere permittuntur, dum clarescant. Colato adde sacchari lib. tres: fiat syrupus.

Hic

Hic ſyrupus inter zulapia Meſueo adſcribitur, qui ex cydoniorum maſculorum ſucco, nõ ſtruthiorum & pręgrandiũ, parari debet. In cuius uſum miuam cydoniorum ſimplicem ſupponunt Pharmacopœi. Succus reſidentia purgatus, ſaccharo propè percocto clarificato immiſcetur, tribulatur, & perfectionem ſyrupi acquirit: etſi alij aliter componunt.

*Hydromelũ Pauli.*

Pauli hydromelum refert, quod fit ex ſucci cydoniorum ſextarijs duobus, mellis ſextarijs tribus, aquæ ſextarijs ſex, omnibus ſimul coctis ad tertias, & expumatis. Hunc ſyrupum quidam cydoniorum zulapium, alij κυδωνίων χύλισμα uocant: alijs

*Miua cydoniorum ſimp.*

Miua ſimplex dicitur, quæ ſic ferè paratur ex Meſ. Succi cydoniorum acidorum libræ uiginti, cum libris decem uini antiqui optimi, igni lento coquuntur, & expumantur ad tertiæ partis conſumptionem. Colatum & reſidentia purgatum, dum clarum fuerit, coquitur deſpumãdo, cum mellis aut ſacchari optimi libris ſex. Ventriculi uires languidas & reſolutas recreat, nauſeam & uomitum ſiſtit, nutritionis inſtrumenta roborat, concoctricem facultatem iuuat, uiſcerum omnium uires reficit, lienteriam & alui profluuium bilioſum, aut dyſenteriam hepaticam ex humorum acrimonia obortam ſedat: auiditatem cibi facit, eiuſque faſtidium detrahit: malos ſuccos concoquit, lenit, & expulſioni apparat. Vncijs duabus in uentriculi imbecillitate cum aqua menthæ præſumitur,

&

& ad alui fluxum cum aqua chalybeata aut plãtaginis, per aluum antè materiæ acrimonia deposita, ne huius usu suppreſsi humores bilioſi, febres putridas excitent. Auicennæ ſyrupus cydoniorum dicitur, in eiusque locum frequenter ſupponitur. Cum melle condîta magis calet, amplius deterget: minus tamen ſtomacho grata, ideoque adhuc ſaccharo paratur. Omnibus propè percoctis, quandoque adduntur aromata linteo raro nodulo ligata, cinnamomi, cardamomi, ſing. drach. tres. caryophyllorũ, croci, ſing. drach. duę. zingiberis, maſtiches, macis, ligni aloes, ſing. ſeſquidrachma. Trita omnia, præter crocum, nodulo ligata ſuſpenduntur, immerguntur & confricâtur: tandem additis galliæ moſchatæ drach. duabus, & moſchi ſcriptulo uno, aromatizât: ſicq; miuam aromaticam conficiunt, uſu creberrimam & efficaciſsimam in uentriculi ab humoribus frigidis & humidis exolutione, uiſcerum intemperie præcipuè frigida, aquoſa, & in hydropis ſuſpicionem labente. Præcipuè tamen longis & trahentibus alui profluuijs, ab humore aquoſo, pituitoſo & frigido cõuenit, inteſtinorumq; læuori ab eadem cauſa ſuccurit. *Miua aromatica.*

## *Oxoſacchar ſimplex Nic.*

℞ Sacchari libram unam.
Succi granatorum acidorum unc. octo.
Aceti unc. quatuor.

Saccha-

Saccharũ, ſi purum eſt, aceto ſoluitur, & coquitur ad conſiſtentiam craſſam: cui dum refrixerit, miſcetur ſuccus granatorum. Quòd ſi impurum fuerit, prius aqua ſolutum clarificatur: deinde aceto & ſucco percoquitur in ſyrupi formam. Sumitur ex Nic. Alexandrino in oxymelitis. Morbis æſtiuis præſtantius & gratius quàm oxymeli, bilis æſtus & ferociá promptè extinguit, & humorũ craſsitudinem ſtomacho innatantem ex uarijs ſuccis mixtam digerit, ad tertianas, & duplices tertianas, febres etiam ardentes & continuas ex aqua fontana accommodatum. Bilem enim uentriculi expurgat, & plurimùm aperit. Oxyſacchara barbaris dicitur, quod Actuario Oxoſacchar, ex aceti lib. una, & ſacchari lib. duabus, ad capitis ex flaua bile dolores paratur. Viribus & forma ſyrupo acetoſo affine. Oxoſacchar aliud ex cotoneis Actuarij, corpus refrigerat, uentriculum confirmat, appetentiam excitat, cor & hepar æſtate exhilarat. Accipit ſucci cotoneorum libram, aceti ſelibrã, ſacchari libras duas, coquitur dum ſpiſſeſcat. Affine ſyrupo acetoſo de cydonijs Meſuei. Oxoſacchar ſimplex facit Meſueus ex aceti libris duabus, aquæ libris quatuor, ſacchari lib. quinque, ſemper deſpumando igni lento percoctis. Quod quidem ſyrupũ acetoſum ſimplicem prius deſcriptum exprimit. Oxoſacchar rectè mediusfidius Hermolaus Barbarus oxymel ſimplex nũcupat, ſi cum ſaccharo paretur.

Tanta

Tanta est cōpositionis & formæ uicinia. Istud quoque pro uarijs scopis uariare licet. Interdū enim ex solo aceto paramus: interdum uerò ex solo granatorum succo, quandoq; ex uuæ immaturæ succo. Est ubi ex limonum aut arantiorum succis conficimus. Oxosacchar compositum officinis tritum, accipit capillorum Veneris, scolopendrij, asplenij, polytrichi, lichenis, uiolarum, radicum fœniculi, rusci, asparagi, graminis, ana lib. unam. Omnia in granatorum acidorum succo triduò macerētur: deinde cum modica ebullitione exprimantur & colentur: tandem uerò cum saccharo sufficienti ad iustā crassitiem perducantur. Febribus impuris, nothis & tertianis extensis saluberrimum, omnibusq; affectibus, qui ex sanguinis & bilis feruore & crassitiæ enati sunt, conueniens: iecoris lienisq; obstructionibus succurrens, & concalfacta uiscera iuuans. Actuarij oxosacchar cōpositum è radicibus, capit corticis radicum apij, fœniculi & intybi satiui, sing. sextantem: terito: atque in aceti libris tribus, dum libræ duæ supersint, coquito: noctem & diem sinito. deinde ubi subegeris, ac sordes deterseris, binas sacchari libras addito, & ad mediocre crassamentum decoquito. Valet ad humores adustos, uentriculum perpurgat, iecur roborat, & calculo laborantibus prodest. Aliud eidem compositius paulo pòst describitur, huic cōposito quod in officinas uenit, compositione nō longè

*Oxosacchar comp.*

*Oxosacchar comp. Act.*

*Cap. 4. l. 5. Meth.*

gè dissimile: quod etiam syrupum acetatum de radicibus Mesuei aliquantulum exprimit. Aliud quoque compositum magis & purgans describit, addito inter coquēdum scammonio, libri quinti Meth.cap.nono.

## *Oxymel simplex.*

Fit ex aceti parte una, mellis partibus duabus, aquæ partibus quatuor. Primùm mel & aqua simul coquuntur, semper despumando: acetum deinde additur, percoquitur in syrupi consistentiam egregiè despumando.

*Plin.cap.17. lib.14.* Oxymeli (acetum mulsum, hoc est melle temperatum dicimus) abundè decantatos in medicina usus habet. Magna huius uis crassa tenuandi, lenta incidendi, uiscera detergendi, obstructa aperiendi, idque sine manifesto calore. Quo nomine febribus diuturnis & nothis ex crassa bile & pituita enatis conuenit. Humidis naturis & frigidis, crudam multam, crassam & pituitosam succorum copiam coaceruantibus aptum, quæ cruditates ex repletione & ocio multo contrahunt. Neque tamen huius immodicus usus noxia caret. Neruos enim lædit, utero infensum: tussim excitat, sputum etiam acidius potiùs demergit quàm prouocet. Habet sua uicia, ut uirtutes: ex Hip. libro De rat.uictus in morb.ac. Nec desunt tamen tantis uirtutibus uituperatores. Themison nanque oxymelitis usum damnauit, eumque totum sustulit

ſuſtulit Aſclepiades, & coarguit, magni nominis autor. In craſſorum & uiſcidorum ſuccorum obſtructionibus, quæ ex ſicco & calido ortum habent, ſola ſiccitate damnatur Trallia-no, in febrium diariarũ ex obſtructione curatione: qua quidem uicium potius auget, quàm depellat. Etſi uerò Pharmacopœis noſtris hodie hoc modo in uſum coquitur: una tamen non eſt oxymelitis conficiendi ratio. Sed ęgrotantis guſtui iudicium attribuendum, ut ſcribit Galenus: & medico pro uaria morbi & humoris natura aliquid dandum. Quandoque enim acidius, quandoque etiam mellitius parari debet. Galeno componitur ex aceti albi acerrimi libra una, mellis optimi libris duabus, aquæ fontis libris quatuor. Coquuntur ſimul ad tertiam, uel etiam ad quartam, ſpuma ſemper detracta. Qua ratione aquoſum ualde & gratum redditur: ſed momentaneum eſt, nec diu niſi admodum ægrè ſeruatur, cùm promptiſsimè aceſcat. In eodem eſt genere longè aquoſius, quod in febribus parat Galenus, hyeme ex aquæ partibus octo, æſtate uerò duodecim: omnibus potionibus in febre gratius & iucundius. Paulus oxymeli ualentius facit, ex aceti & mellis partibus æqualibus, & aquę duplo. Actuarius mel duplum ad acetum, & aquã triplicem facit. Nobis ex Meſueo & Galeno imbecillius paratur, ut ſi opus ſit, utendi tempore ex Medici præſcripto, eius uires intendi aut

*Lib. 4. Sa-lub.*

*Cap. 7 l. 5. Meth.*

remitti poſsint. Quapropter lõga coctione indiget, ut ſeruari poſsit: nec niſi aqua aut liquore dilutum potabile eſt. Vires autem coctione acquirit, non ſecus ac mulſa multũ cocta calfacit magis, incîdit, tenuat & terget, quòd mel largiꝰ aqua plurima euaporata retineatur. Quæ omnia in oxymel longa coctione etiam tranſeunt, etſi non ęquè gratum quàm aquoſius & minus coctum: quod ex Galeni pręſcripto, æſtate pręſertim, & febribus bilioſis in rem pręſentem ſic parare poteris. Aquæ libris duodecim, mellis libras duas igni lento deſpumato, ut ſit clarius: ubi deſpumare deſijt, aceti albi optimi libram unam, aut quartaria tria addito: iterum deſpumato, refrigeratum albuminibus ouorum ad impuri mellis ſordes detergendas clarificato, igni parum diu reddito: cum tollitur, cinnamomi in libras ſingulas drachmã unam aut duas, ad ſaporis gratiam immiſceto. Vbi refrixit, panno laneo bis aut ter colato, ut ſit limpidiſsimũ & puriſsimum, & uino albo ſimillimum, ſi pręſertim mel album optimũ & acetum habuerit. Oxymelitis uires & laudes abundè Galenus 4. Salub. lib.3. De uict. rat. in morb. ac. & libro Meth.12 perſequitur: quas poterit quiuis etiam ex Aetio, Paulo & Tralliano, leui negocio deſumere. Oxymelitis apparatum propriè deſcribit Oribaſius lib.4. De loc. affectorum curatione, quem huc transferre cuiuis erit liberum.

*Oxymel Gal.*

*Et lib. ad Iulianum 5. cap.24.*

Oxymel

## *Oxymel compositum.*

℞ Corticum radicum apij,
Fœniculi,
Petroselini,
Rusci,
Asparagi, ana unc. duas.
Seminis apij,
Seminis fœniculi, ana unciam unam.

Macerētur omnia aquæ libris duodecim, & aceti libra una, coquātur ad dimidias. Expressum cum melle, percoquitur in syrupum.

Hoc est officinis usurpatum oxymel compositum, pro quo quidam Mesuei oxymel de duabus radicibus supponunt. Quidā seminum loco radicis raphani unciam unam & dimidiā ponunt, alij utrunq;, alij etiam neutrum. Quin & uarias pro compositionis modo nūcupationes habet. Acetum enim ubi recipit, oxymel cōpositum aut de radicibus dicitur. Quod si respuerit, syrupus de quinq; radicibus sine aceto nuncupatur: ubi præcipuè saccharum loco mellis acceperit. Efficacius lōgè est superiore, morbis procedentibus & diuturnis. Potentius nanque materiæ crassitudinem apparat, incîdit & tenuat, ualetque ad affectus ex bile crassa, & pituitæ lenticia natos. Melancholicis etiam affectibus, ut quartanæ & splenis duritiei bono est, inclinante potissimùm morbo: quotidianis febribus succurit, urinas & sudores promouet,

si calidum bibatur, cocta iam materia. Valentius est quàm oxymeli de duabus radicibus, & syrupus bizantinus: presertim ubi ex melle paratum fuerit. Nicolaus Alexandrinus huic ferè simile parat, & simplicis oxymelitis nomine donat, credo quòd ex omnibus quæ habet minimum sit compositum. Capit radicis fœniculi, apij, sing. uncias duas. Macerato in aceti libris tribus per tres dies: dein coquito, dum sesquilibra remaneat. Colatum & expressum cum mellis Attici uncijs septem & dimidia, coquito ad lentum ignem, dum mellis crassitudinem habuerit. Oxymelitis uaria genera passim ab autoribus descripta consequi possumus, si oxymel coquendo ea miscuerimus, quæ actionem eius & uires intendant: qualia sunt tenuantia, incidentia & detergentia, ut hyssopum, thymũ, satureiam, calamẽthum, origanum, pulegium. Adduntur etiam quæ proprio quodam beneficio uisceribus commodant, qualia sunt cortex capparis & tamaricis, asplenium & scolopẽdrium in lienis obstructionibus: eupatoriũ, cichoriũ, radices apij, fœniculi, iecore affecto. Vnde oxymel Iulianum & splenicum, & calculosorum, ab autoribus celebratũ. Addita quoq; purgantia pro humoris natura clementius & efficacius reddunt. Quorum quidem omnium expressas formas habes apud Paulum, Mesueum & Alexandrinum. Dioscorides etiam aliter oxymeli tẽperauit, eumq; secutus Plinius.

*Oxymel Alex.*

*Paul. lib. 7. cap. 5. Trall. lib. 1. cap. 10. & lib. 11. cap. De podagra. Gale. 2. ad Glauc. Lib. 14. cap. 17.*

Mellis

Mellis lib. decem, aceti ueteris heminis quinq;, salis marini libra, aquæ pluuię sextarijs quinq;, suffeeruefactis decies, mox elutriatis, atq; ita inueteratis. Oxymel quoque antiqui (ut Dieuches tradit) hoc modo temperabant. Mellis minas decem, aceti ueteris heminas quinque, salis marini pondo, tymbræ quadrantem, aquæ marinæ sextarios quinq; pariter coquebāt, decies deferuescente cortina, atq; ita diffundebāt, inueterabantq́;. Varia porrò fuerūt apud ueteres oxymelitis genera, quæ hîc omittere operæpreciumest, cùm horum sibi magnam copiam facere legendis autoribus cuiuis sit prolixum.

## *Mulsa seu aqua mellis Mes.*

Mellis optimi lib. una aquæ fontanæ dulcis & claræ libris octo incoquitur dum despumare desinat, aut ad quartæ & quintæ partis cōsumptionem, in uase uitrato aut lapideo igni lento: deinde per pannum densum colatur.

In mellis operibus aqua quoq; mulsa tractāda est. Cuius duo sunt genera: unum subitæ ac recentis, quod melicratum: alterū inueteratum & sepositum, Hydromeli Græcis dicitur. Præclaram utilitatem habet in cerebri & neruorum affectibus frigidis, pituitæ lentorem deterget, uiscidos & crassos humores dissecat, lētam expectorationem promouet, animæ asperitatem dulciore succo mitigat, lenit trāsitum spiritus, meatusq; molliores facit, ne scindāt euntem re

deuntemq;. Vtilis tuſsi humidæ traditur, inteſtina terget, & uiſcera expurgat, urinã ciet, prȩſertim aquoſior: quo nomine innocentior in febribus & ſitis ardore reſtinguẽdo, ſputoq; promouendo: quȩ omnia in minus aquoſa deſiderãtur. Melicratum enim bilioſis & calidioribus naturis, febribus colliquãtibus, μεγαλοσπλάγχνοις, aut quibus tumida & eleuata ſunt uiſcera, & tumoribus obnoxia, interdicũt Hip. & Galenus. In bilẽ enim ſua dulcedine promptiſsimè uertitur, partes remotas ægrè penetrat, & ſitim auget, niſi largiore aqua, ut inſipidum ſit, aquæ modo, diluatur. In quibus affectibus mel quoque ſuſpectum eſt. Quod uitium ſi celeri uiſcerum pertranſitu effugerit, non modò non lædit, uerumetiam plurimùm iuuat bilioſorum excrementorum per aluum & urinas deductione. Mel igitur natura ſua acutis periculis noxium, aquæ mixtum, eius in hypochondrijs tarditatis morã emendat: & ex duarum naturum mixtura potus ſaluberrimus redditur, ſi ea temperatura conſtet, ut aquæ plurimæ tantum mellis miſceatur, quantum aquæ grauitati tranſitum faciat, eamque in corpus diſtribuat. His enim ita moderatis, ſputum facilius promouetur, & urinæ procliuius ducuntur, ad quæ omnia dilutius melicratum accommodatur. Quòd ſi mel modum excedat, ſitim facit, & ſputum uiſcoſius redditum retinetur. Melicratum quidem meracius, & crudum aluum

magis

magis deijcit, turbat, inflationes & tormina excitat (quale in conceptu periclitando dormituræ mulieri exhiberi præcipit Hipp.) minus nutrit. Dilutius uerò & coctum magis, inflationem dissipat, magis nutrit, & minus deijcit. Mulsa calefacta probè uomitiones inuitat: qua ratione contra uenenum psimmythij salutaris, addito oleo. Item contra hyoscyamum, cum lacte maximè asinino, & contra halicacabum. Melicrato magna inest uarietas. Dioscorides & Auicennas duplam tantùm aquam admiscent, Galenus, Paulus & Oribasius octuplam. Sunt qui fermentum ad celerandam acrimoniam & feruorem misceant (ut scribit Mesueus) insolant & reponunt. Est etiam hydromel uinosum Plinij, quod uinum ex aqua & melle uocat. Quinquennio ad hoc cœlestem aquam seruari iubent. Aliqui prudentiores, statim ad tertias partes decoquunt, & tertiam mellis ueteris adijciunt: deinde quadraginta diebus canis ortu in sole habent. Alij diffusa decima die obturant. Id uetustate uini generosissimi saporem assequitur, estque efficacissimum in cerebri affectibus, & partium neruosarum frigidis, resolutione, sideratione, epilepsia, lethargo, colicis & nephriticis, totiusque uentris intemperie frigida. In quos usus ex infuso sæpe adhibui, idq; felicissimè: quo modo & reliquã mulsam ex Galeni pręscripto in opere Medico crebrò exhibemus. Hodie hydrosacchar mulsæ

*Aph. 41. l. 5.*

*Hydromel uinosum Plinij.*

uſum obtinuit: quod quidem in arthritide calida præſtantiores habet uires. Aromata in mulſæ decoctione quidam addunt, ut affectibus cerebri magis reſpondeat: in quem uſum ſaluię folia in paralyſi incoquimus, & reliquam incidentium, tenuantium & aperientium materiã immiſcemus. Hydromel etiã ex cidoniorũ ſucco parat Paulus lib.7.cap.15. Hydromeli diſtinxerunt antiqui, quod ex duplo aquæ cœleſtis & melle in multos menſes ſeruarent: mulſam uerò ex aquæ octo partibus ſtatim utendam pararent. Cuius uires explicatas habes apud Hip. & Galenum libro 3. De rat. uict. lib. Methodi & Salub. apud Paulum etiam & Aetium libro primo, & Oribaſium ad Iulianum libro quinto. Vini mulſi naturam quod Oenomeli antiqui dixerunt, quia apud nos deſijt, ex Plinio, Oribaſio, Aetio, Paulo, Actuario. Dioſc. & Gal. lib. Salub. & ex Meſueo ipſo ſibi poterit quiuis deſumere. Ex quibus etiam plura uini genera antiquis uſitata depromentur. Quod & in Apomelite omnes facere uolo. Etenim horum hîc ſuperuacaneum uſum exiſtimo, cùm etiam fingi, non fieri arbitretur Plinius, & aliàs modum excedat medicorum in his oſtentatio.

*Cap.14.* *Cap.1.l.23.*

## *Acetum ſcillinum Meſ.*

Scillę laminas inter corticem & cor medias, acu lignea filo conſutas, tanto interuallo ne ſe contingãt, ſiccabis in umbra dies quadraginta: poſtea

postea concisam cultello ligneo lib. unam dies alios quadraginta insolabis in aceti boni libris octo, in uase uitrato stricti orificij bene obstructo: postea colabis, & seruabis ad usum.

Scilla inter bulbos nobilissima, medicamini nata, acetoq; exacuendo, acetũ scillinũ facit, ueteribus celeberrimũ, nobis penè insolens ob acrimoniam & mordacitatem. Eo tamen in syrupum cum saccharo cocto utimur: aliquando uerò cum melle, & Oxymel scillinũ dicitur. Efficacissimum ad cerebri affectus frigidos & cõtumaces, epilepsiá, uertiginẽ, humores crassos potẽter tenuat, lentos incîdit, deterget, fluxiles & ad expellendum promptos facit, diuturnis & pituitosis affectibus conducit, asthma, pectoris uicia, & anhelitus grauitatem discutit, raucitatem & familiaria senectuti uicia sanat, succos putres uentriculo cõtentos expugnat, oris gratiam commendat, musculos laryngis roborat, & uocis instrumenta mũdat, appetentiá iuuat, uiscera expurgat, coctionem firmat. Prodest acescentibus cibis: gustatum enim eam pœnam discutit, & his qui ieiuni uomũt. Callum enim faucium facit, ac stomachi gingiuas laxas adstringit, dentes firmat, colorem meliorem præstat, uitales annos prorogat, & felici exitu terminat, ut ex Pythagorę cõsilio scripsit Gal. Tarditatem auriũ gargarizatione purgat, & transitum auditus aperit. Oculorũ aciem obiter exacuit. Comitialibus, melãcholicis, uertiginosis, *In Eupo-ristis.*

uuluarum

uuluarum ſtrangulationibus, percuſsis aut præcipitatis, & ob id ſanguine conglobato, neruis infirmis, renum uicijs perquàm utile. Cauendũ exulceratis, inueteratum magis probatur. Eorum non modò quæ ad uictus rationem pertinẽt, ſed omniũ etiam medicamentorum accõmodatiſsimũ eſt ad incidẽdum: conuenitq; eo uti eos qui ſummè incidere ac attenuare morbũ qui in corpore ſit, uelint: quòd craſſum, glutinoſum & pituitoſum excrementũ contineat, *Ad Iulianũ lib. 5. cap. 24.* ut ſcribit ex Gal. Oribaſius. Sumitur à drachma una ad unciá unam manè cum liquoribus aut decoctis cõuenientibus. In affectibus thoracis paulatim lábitur. Suſpectus eius uſus hecticis, tabidis, conſumptis, febrientibus, & calida intemperie laborátibus, æſtuoſo præcipuè cœlo. Hordei cyathis tribus ad ſeſquunciá cum mellis aut ſacchari unc. tribus aut quatuor, tepidũ ſumptum, uomitione ſtomachũ lentis, craſsis *Lib. 5.* & putridis humoribus exonerat. Dioſcoridi ſic fit. Scillæ montanæ candidiſsimæ & utiliſsimæ aridis tunicis direptis, quod reliquũ è uiuo eſt cõſectum, ſuſpenditur lino modicis interuallis, ne ſe contingat, ſiccatur in umbra diebus quadraginta. Ipſius arida fruſta ad lib. uná in aceti quàm aſperrimi ſextarios duodecim immergũtur, ita ne nulla parte uas contingant: uaſe diligenter operculato, octo aut ſeptem dies in ſole macerãtur. Poſthæc aſſumpta ſcilla & expreſſa, ipſa quidem abijcitur: acetum uerò defæcatum

elutriatur

elutriatur & reponitur. Nonnulli ſcillę miuam, aceti ſextarijs quinq; immergũt: alij citra exiccationem ſua ſpõte repurgatá æquali pondere demittũt, & ſenis mẽſibus macerari permittũt. Archigenes ſcillæ medullam in minutas partes diſſectá, & in feruens acetum iniectá, in uaſe fictili condit, inueterari ſinit, uaſe in aſinino ſtercore ad dies triginta defoſſo. Paulus ſcillæ lib. ſex quadraginta diebus in umbra exiccatas, generoſi aceti ſextarijs duodecim, diebus ſexaginta in ſole macerat. Hoc fit Plinio ante ſolſtitiũ dieb. quadraginta octo. Gypſo deinde oblitus cadus, ponitur ſub tegulis totius diei ſolẽ accipiẽtibus. Poſt eum numerũ dierũ tollitur uas, ſcilla eximitur, acetũ transfunditur. Gale. ſcillæ exiccatæ & perpurgatæ lib. unam aceti optimi ſextarijs octo, diebus triginta ſub canicula macerat. Nicolaus Alex. præter expreſſum ſupradictum modum, ſcillam integrá fermẽto oblinit, & aſſatam perpurgat ad aceti ſcillitis cõfectionẽ. Quę quidẽ pręparatio, etſi autores idoneos habet, ad aceti tamen uſum à nullo memorata, & (ut opinor) ſuperuacanea, cùm ſcillá coctam inefficacem exiſtimet Galenus, ut poſtea in paſtillis ſcillinis ſcribimus. In reliquis ferè cũ cæteris autoribus cõſentit, & ſcillæ interioris lib. unam & dimidiá, in aceti acerrimi libris ſeptem & ſemiſſe macerat. Acetũ etiam aliud ſcillinum compoſitum magis deſcribit, Paulum ferè imitatus. Scillæ uerò partes inter centrũ & ſuperficiem

*Lib. 5. Comp. ph. part.*

*Lib. 7. cap. 11.*

*Lib. 20. cap. 9.*

*In Euporistis.*

*In conſilio pueri epil.*

ficiem medias eligunt, easq; cultello ligneo, eburneo aut osseo attingũt, aut acu lignea trãsfigũt. In ferri enim attactu magna est religio, quo uenerari creditur. Explicatas porrò aceti scillini uires & cõponẽdi formã describit Gal. in paratu facilibus, Diosc. lib. 5. cap. 25. Actuarius lib. 5. Meth. cap. 7. Paulus lib. 7. cap. 11. Oribasius ad Iulianũ lib. 5. cap. 25. Oxymel scillinũ fit ex aceti scillini libris duabus, mellis despumati libris tribus, despumando coctis. Vsu est tritissimum & efficacius aceto scillitico ad cerebri, pulmonis, uentriculi affectus pituitosos, aut melancholicos etiam contumaces. Huic quidam aquam ad acetum duplam ad coctiónem adhibent, ut sint aquę libræ quatuor, ut in oxymelite simplici. Sed cùm antè mel sit despumatum, & spuma quam inter coquendum ui aceti scillini expuit, deradatur, atque etiam acetum ipsum scillites iam paratum sit, potest sine aqua coqui, non secus ac Alexandrino oxymel simplex sine aqua coquitur: quod tamen est compositum. Fit quoq; efficacius additis simplicibus oxymelitis cõpositi de radicibus, & omnibus longè est potentius ad diuturnas quartanas & quotidianas. Eo utimur in Epilepticorum insultibus, ipsoque paroxysmo, ubi humoris tenacitas nos ad id cogit, non prægressa purgatione. Est & oxymel scilliticum Democriti Mesueo descriptum, ad eos effectus quos promittit idoneum.

*Oxymel scillinum.*

Mel

## *Mel rosatum Nic.*

Succi rosarũ recẽtium libra una, cum mellis albiſsimi & puriſsimi deſpumati lib. decem coquitur igni in lebete. Vbi feruere hæc incipiẽt, adde roſarũ uiridiũ exunguatarũ lib. quatuor: coque ad ſucci cõſumptionem cõtinenter mouendo, in fictile aliquod trãſuaſa, & diu eodem contine: nam inueteratum præſtantius euadit.

Mel roſatum Pharmacopœis duplex, colatum & non colatum dicitur. Non colatum fit, unicuique libræ mellis roſarum exunguatarum uncias quatuor ſi addideris. Colatum uerò, ex partibus æqualibus infuſionis roſarum, & mellis in ſyrupum percoctis. Qua in re plurimùm peccatur. Nicolai enim mel roſaceum potius parandum eſt, ut deſcripſimus. Mel cum aquæ libris tribus deſpumetur: ubi feruebit, roſas miſce, & ſuccum inſola, dies quadraginta: coque ad ſucci conſumptionem, cola, percoque in ſyrupum. Clarificatur, ſi ore utendum eſt quibuſdam, quibus alterum enematum uſui magis accommodatur. Meſueo triplex mellis roſati genus adumbratur. Vnum mellis partes tres, & roſarum unam capit, & Mel roſatum cum folijs, aut non colatum dicitur. Alterum ſucci roſarum & mellis partes æquales habet, & mel roſatum colatum dicitur. Tertium foliorum & ſucci, ſingulis partem unam & dimidiam capit, mellis partes

tres,

tres, & ex ambobus mixtum dicitur. Mellis & infusionis rosarum recentium partes æquales in syrupi crassitudinem percoquuntur: & mel rosatum colatum non inefficax dicitur, præsertim si multiplicem rosarum infusionem hauserit. Aetij Rhodomeli, quod ex Philagrio περὶ ὑδέλων sumptum esse uidetur, & ab Oribasio describitur: capit succi rosarum exunguatarum partes tres, mellis unam: pluribus diebus insolatur, aut tristiore cœlo igne mitiore decoquitur. Aptissimum in calidis naturis & æstuantibus morbis. Leniter enim adstringit, refrigerādi uim habet, & mellis ratione nonnihil deterget: oris phlegmonem, gingiuarum & tonsillarum ex calida fluxione natam sedat. Vētriculo biliosi humoris acrimonia æstuanti adhibetur, & sitim restinguit, post uomitionem accommodatū febricitantibus in morbi ipsius feruore, aut uigore liberaliter exhibitum sæpe profuit. Crebrò siquidem largior potio tēpestiuè & cocto iam morbo exhibita, febris intēperiem restinxit: sudoribus, alui profluuio, aut uomitione, natura humorum acrium & mordacium copiam deturbāte. Huius gratissimus est usus, quod aquosius sit & potui aptius, cùm Nicolai mel nō nisi dilutum ægrè hauriri possit. Quod tamē pituitosis morbis est salubrius, uentriculūq; magis roborat, deterget, uiscidisq; succis expurgat, & coctionē temperato calore iuuat. Dioscorides Rhodomeli ex rosarum succo & melle

*Lib. 5. ad Iul. cap. 22.*

melle indeterminatè quidem celebrat. Cui affine est Pauli Rhodostactum, ex partibus succi rosarum duabus, & una mellis, ad quartæ partis consumptionem percoctis. Paulus etiam Rhodomeli parat ex succi cydoniorum sextario, rosarum tripondio, mellis sextarijs tribus, aquæ sextarijs quinque. Nicolai Alexandrini Rhodomeli, capit succi rosarum libras quinq;, mellis Attici puri libras duas, aquæ pluuialis libram unam & dimidiam. Quanquam alia est eiusdem compositio ex rosis ad libras septem, aquæ libris quinquaginta, mellis libris quadraginta probè coctis ad crassitudinem. Rhodomeli purgatorium Tralliani capit succi rosarum libram unam, scammonij unciam unam, agarici drach. quatuor, piperis scriptula duo, mellis uncias sex. Lento igne coquitur, & dum coierit, scammonium, agaricus & piper inijcitur. Exhibetur purgandis succis biliosis, & ijs qui os uentriculi frigidius sentiunt, ad cochlearia quinque aut sex. Describitur libro 7. cap. 7. & libro 12. cap. 8. utrobiq; tamen uitiosè. Agarici enim largior copia ad uncias quatuor hîc ponitur: illic uerò sesquidrachmæ pondus non satis est æquum: quare drach. quatuor ex cap. 1. lib. 11. iustum pondus æquare uidentur. Est & aliud eiusdem, purgans quoque, quod habet succi rosarũ lib. duas, mellis lib. quatuor, scammonij cocti uncias quatuor. Coquantur simul omnia. Libro uerò duodecimo in quartanæ

*Rhodomeli purg. Tralliani.*

*Lib. 11. cap. 1.*

*Cap. 8.*

cura purgans etiam aliud rhodomeli instituit, quod hîc lubens prætereo. Actuarij Rhodomeli purgatorium constat succi rosarum libris tribus aut quinque, scammonij quadrante, agarici sextâte, mellis libris sex. quo utitur ad bilem flauam detrahendam, estque uentriculo idoneum, & pituitam mediocriter deturbat. Hoc expressit Alexandrinus, etsi ponderibus uariat. Est etiam Aetij rhodomel purgatorium longè ab hoc diuersum. Mellis uiolati eadem compositio quæ rosati, quod duobus quoque modis paratur: colatum & non colatum. Huius quidem frequentissimus est usus ad clysteres, quoties intestina detergenda, lubricanda & refrigeranda. Reliqua sunt mellis genera, quibus non nisi in parandis compositionibus utimur: quale est mel uuatum (uulgò passulatum dicitur) quod fit ex uuis passis intus purgatis, aqua calida horis uigintiquatuor maceratis, & probè ad tertias excoctis & expressis: expresso tandem ad mellis crassitudinem percocto. Quod enim expressione facta remanet, mel passulatum nuncupatur, cuius usus est in ecligmate de pino, Matthæoq; Gradensi attribuitur. Mel emblicatum est, quo myrobalani emblicæ sunt condîtæ & reseruatæ. Alij emblicarum decoctum ad mellis crassitudinem inspissatum esse dicunt. Rhasius lib. 9. ad Almásorem hoc modo parat: Accipe myrobalanos cepulas uiginti, emblicas triginta: tritæ in aquæ libris

*Cap. 9. lib. 5. Meth.*

*Lib. 3. cap. 74.*

*Mel uiolatū.*

*Mel passulatum.*

*Mel emblicatum.*

*Cap. De melanch.*

libris tribus percoquátur, quoad una superſit. Colato & expreſſo, mellis librã unam adijcito, quæ ad aquæ cõſumptionem ebulliat. Si ex ſolis emblicis parare uoles, myrobalanos emblicas quinquaginta accipies, ut hæ ſolæ numerũ conficiant: & ut dictum eſt, parabis. Eo utimur in lętificante Rhaſij. Mel myrtinum, quo utitur Nicol. in Diacodio, fit ex ſucci myrtorum libra una, & mellis libris duabus igne lento ſimul percoctis. Anacardi recentes triti diebus ſeptẽ & aceto macerati coquũtur ad dimidias, & colantur. Expreſſum melle ad ſpiſsitudinem coctum, Mel anacardinum dicitur. Quidam melliginem, quæ tritis anacardis & coctis innatat, auferunt, & pro melle anacardino reponunt. Alij anacardos conquaſſant, ſepeliunt melle, dum hoc uim anacardij conceperit.

*Mel myrtinum.*

*Mel anacardinum.*

## SAPAE AVT ROB.

In medicatorũ ſuccorum albo, magna uis ſapis attribuitur ex ueterum Medicorum autoritate. Quod enim Latini ſapam, Græci ἕψημα ſeu σίραιον uocauerunt, muſtum ad tertias decoctũ, ingenij nõ naturæ opus: quod ubi ad dimidias coctum fuerat, defrutum dicebatur. Carœnum uerò ubi tertia deperdita, duæ partes remanſerint. Omnia in adulterium mellis excogitata, ad ſpiſsitudinem coquebantur & expumabantur. Præſtantiſsimum autem ſapæ genus, quod ex uuis albis, generoſis & maturis fieret, idq; ſi-

*Palladius lib. 11, cap. 18.*

*Carœnum.*

lente luna noctu aut interdiu plena. Habet autem pro musti & uuarum uaria natura, uires multas & disſimiles. Vino cognata res eſt, & hodie à noſtratibus mulieribus paratur ex uinis uernaculis ad quartæ aut etiam partis quintæ ex longa coctione conſumptionem, in mellis aut electuarij mollis formam, quod corrupto inde fortè nomine Lactuarium uocant. Paratur etiam ex uuis nigris, & in uſum ex melle aut etiam ſaccharo condiunt: unde Mellacium quibuſdã dictum. Sapa, ut Latinis abſolutè poſita, ſic Arabibus Rob & Robub uuæ ſuccũ ad tertias decoctum ſignificat, excellentiã quandam propter frequentem uſum rei tribuens. In exercenda tamen medicina, ſuccum omnẽ repurgatum, & inſolatione aut coctione craſſatũ, Sapã dicimus: non tamen abſolutè, ſed eius rei unde ſuccus extractus eſt, addito nomine, ut ſapa ribes, rob ribes, ſapa oxyacanthæ aut berberis. Sapa autẽ ipſa calfacit, digerit, anodyna eſt: unde dolores diſcutit, & ſæpe oris conſiſtentibus phlegmonis adhibetur. Magnam etiam ſaporis gratiam ad intinctus (embámata dicũt) habet: humectat, quia nutrit: & aluũ ſubducit, quia dulcis eſt. Verùm neq; per urinam expellitur, neq; ad diſtributionẽ facilè mouetur, ſed in uẽtre moram trahit, eumq; propter craſsitiem implet: & ſua craſsitudine ſanguinem quoque craſſum, & lienem & iecur facit, ut aſſerit Rufus. Paulo modicè calfacit, concoquit, & roſio-

*Lib.2. De rat. uict.*

nis

nis est expers. Eius in arteriacis confectionibus magnus est apud antiquos usus. Contra cantharidas, buprestin, pinorum erucas, quas pityocampas uocant, salamandras & mordentia uenena ualet. Secundas partusque emortuos trahit, cum bulbis pota. Fabianus autor est uenenũ esse, si quis à balineis ieiunus bibat. *Plin. cap. 2. l. 23.*

## *Rob de ribes.*

Succi ribes libræ decem coquuntur igni lento ad tertiæ partis consumptionem, colantur: subsidere permittuntur, dum clarescant. Clarũ deinde igni lento percoquitur aut insolatur, ad iustá crassitudinem, ut usui reseruetur.

Ribes Arabum inuentum, magnas habet assensionis controuersias. Ex Syriæ montanis & Aegypto Damascum, deinde Alexandriam, postremò Venetias, conuehitur succus frigidus, siccus, adstringens, ab arborum fructibus prunorum æmulis expressus, interdum siccatus, nunc liquidus, saccharo aut melle condîtus. Eius loco ex nostris ribes expressum coquimus cum saccharo in gelatiuam, aut syrupum non inefficaciter, ad refrigerandum, adstringendum, & uentriculum cæteraque uiscera feruoris intemperie dissoluta recreanda & confirmanda. Sitim mirè restinguit aqua sumptus, eam partim quæ ex uentriculo concalfacto orta est: tum uerò eam quæ ex cordis, omniumque partium intemperie sicca, calida,

orta eſt. Calorē febrilem mitigat, ſtomachum in biliofas uomitiones effuſum retinet, choleræ morbo medetur, hæmorrhagiam ſiſtit, cardiacis ſuccurrit, peſtilente cœlo efficax, indeq; nata exanthemata ſanat, & ebrietati reſiſtit. Atque hic eſt ſuccus ribes, qui Meſueo ſimplex dicitur. Compoſitus uerò accipit ſucci ribes defæcati libras ſeptem, ſacchari albi quinque. Coquantur lento igne ad iuſtam craſsitudinem.

*Rob de ribes comp.*

## *Rob de berberis.*

Succus baccarum oxyacanthæ eodem modo ſeruatur, aut in eius penuria baccharum ſiccarum libræ duæ omphacij libris tribus triduò macerantur, manibus fricantur, exprimuntur, & expreſſum ad craſsitudinem percoquitur.

Nos oxyacanthæ ſucco ſaccharo percoquimus in ſyrupum, ad inflammationes & ſitim reſtinguendam, bilis feruorem temperandum, uomitiones & alui excretiones ſiſtendas. In quem uſum ſyrupum de berberis compoſitum in uomitu parat Meſueus. Plura alia ſaparum genera nobis exoleuerunt, quæ propemodum ad omnem alui fluorem, & propè immodicam omnem uacuationem, & intemperiem calidam uſurpabantur. Atque ex magno ſuccorum medicatorum Meſuei aceruo, his ferè contentæ ſunt officinæ: tum quòd ægrè hi ſucci ſiccati ſeruentur: tum uerò quòd horum penuriam promptè ſyrupis in hanc rem idoneis

*In uomitu ſang.*

neis resarciamus. Rob uerò nucum & morosrum, quòd stomatica sint medicamenta, & ad acrium humorum in asperam arteriam aut fauces descensum faciant, in ecligmatibus suam tractationem expedient.

## *Decoctum sennæ.*

℞ Sennæ orientalis folliculorum & foliorum, unciam unam.
Zingiberis, drach. dimidiam.
Florum boraginis,
Violarum,
Rosarum,
Arantiorum, ana drach. unam.
Polypodij, drach. duas.
Passularum, unc. dimidiam.
Sebesten,
Pruna, ana num. sex.

Aquæ fontanæ feruentissimæ libra una in uas uitratum, in quo supradicta omnia insint, inijciatur. Vas diligentissimè operculetur, & per decem horas macerari permittantur. Expresso ut lubet utitor.

Decocta quoq; medicatorum liquorum locum sustinent, eoq; nomine huc irrepserunt ea quorum in officinis frequens est usus. Sennæ decoctũ etsi Pharmacopœis uarietatẽ accipit: eam tamen sæpe formá quam descripsimus, ex Insubrium Medicorum præscripto sequimur. Huius usus est in solidioribus medicamentis

diluendis, aut syrupis perfundendis. Efficacissimè cutis uicijs, fœdationibus, scabiei prurigini, lepræ & psoræ subuenit. Pituitam salsam, putrem, adustos humores & retorridam bilem propellit. Ventriculũ humorũ mixta putredine grauatum subleuat, & lienis obstructa resignat. in Gallica scabie potentes habet effectus. Solum aliquando ex Galli iure, aut sero caprino ad uncias quatuor exhibetur. Expresso decocto, quidam ad usum mellis rosati colati unc. quatuor addunt: quod pro morbi natura ex prudentis Medici consilio ritè imperari potest. Epithymum etiam quandoque adijcimus, & thymum, medicamenti uires intendentes.

## *Decoctum commune.*

℞ Passularum mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Iuiubarum,
Sebesten,
Prunorum,
Adianti albi,
Hordei mundi,
Seminum anisi,
Fœniculi, ana partes æquales.
Coquantur omnia in aqua sufficienti.

Hoc decoctum frequens est diluendis medicamentis, & decoctum commune dicitur. Quod, quia semine fœniculi & anisi temperiem caliditate quadam superat, his demptis, quibus-

dam

dam decoctum commune paratur. Quibus additis, decocti calidi nomen accipit: quo utimur morbo præsertim frigido, & cœlo. Decocto porro communi fructuum isto quidam utuntur, quod capit passularum, glycyrrhizæ, hordei, seminum communium, sing. semunciam, zizipha decem, pruna sex.

## *Decoctum frigidum.*

℞ Passularum mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Violarum,
Hordei,
Prunorum enucleatorum,
Seminum quatuor communium frigidorum, ana partes æquales.
Coquantur in sufficienti quantitate aquæ.

Hoc magis utimur in præcipitib. & acutis uicijs & febribus, calido præsertim cœlo & affectu, & quibusdam decocti recentis nomine commendatur. Licet autem cuique pro uaria affectus natura addere, quæ locum & morbum propriè quodammodo oppugnent. In capitis uicijs addimus decocto stœchada, sampsuchũ, betonicam, aut nucem myristicam. Quòd si pectus anhelum est, aut aliqua nos sputi procuratio detinet, hyssopum, dactylos, tragacanthum & adiantum miscebimus. Ventriculi affectus, cinnamomum, mastichen, menthã, absinthium capiẽt. Lienis obstructa cappares, ta-

marix & aspleniũ iuuabunt. Iecori quoq; eupatorium & cichorium utrunq; succurrent. Renũ & uesicæ morbos radices quinq; ureticæ & semina cõmunia terminãt. Et uerò in horum decoctorum penuria, medicaméta ipsa aquis destillatis sæpe propinamus, parti affectę, & morbi naturæ remedium quàm fieri potest maximè proprium accommodantes. Qua in re hordei decoctum festinationi præcipuè succurrit.

## *Decoctum aperitiuum.*

℞ Radicum graminis,
Asparagi,
Fœniculi,
Apij,
Petroselini,
Cicerum rubrorum, ana partes æquales.

Radices elignentur, & medulla purgentur, & omnia decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, ad quartæ partis consumptionem.

Eo utimur cum melle rosato aut saccharo ad leuandas iecoris, lienis & uiscerum obstructiones. Renum & uesicæ affectibus succurrit, urinam prouocando, flatus potenter dissipat, humorum crassitudinem, pituitam & melancholiam incîdit, tenuat & apparat. Decoctum est diureticum, & urinis hærentibus familiare.

## *Decoctum pectorale.*

℞ Hyssopi sicci,
Adianti albi,

Ficuum,

Ficuum,
Dactylorum,
Iuiubarum,
Sebesten,
Passularum,
Hordei mundi,
Glycyrrhizæ rasæ, ana partes æquales.
Coquátur omnia in sufficiéti quátitate aquę.

Officinis celebre in thoracis uicijs, anhelatoribus, sputo promouendo, & distillationibus expectorandis. Quibusdá est aliud decoctũ familiare, quod capit anisi, fœniculi, adianti, ana partes æquales, cinnamomi, masticħes, ana drach. unam: coquátur omnia ad quartæ partis consumptionem. Quod præterquam quòd faucium & thoracis asperitates lenit, robur quoq; uisceribus addit, & uentriculi facultates excitat, flatusque intestinorum abundè dissipat.

## *Decoctum epithymi Mes.*

℞ Myrobalanorum Indarum,
Stœchados,
Epithymi,
Folliculorum sennæ,
Passularum purgatarum, ana unc. unam,
Myrobalanorum cepularum,
Turbith,
Fumariæ, ana drach. quatuor.
Polypodij, drach. sex.
Eupatorij drach. quinque,

Omnia

Omnia prçter epithymum coquantur in seri lactis libris tribus ad duarum librarum consumptionem. Tunc additum epithymũ, semel feruefiat. Colato & expresso appone ellebori nigri drach. unam, agarici drach. dimidiam, salis Indi aureum unum. Nodulo ligata, & modicè trita in decocto confricentur & tribulentur, deinde utitor. Nõ eram appositurus huius decocti formulã, nisi scirem Venetis medicis, prçcipueq; Nicolao Massç doctissimo & exercitatissimo uiro usu esse celebre. Egregiè enim atrã bilem uacuat: cancro, elephantiasi, cæterisque affectibus melancholicis confert. Corporis ulcera & cutis fœditates oppugnat, easq; potissimùm quæ ex lue Hispanica ortum habent, in quas non dubitatos habet effectus.

## *Decoctum enematum commune.*

Fit ex quatuor emolliẽtibus, malua, bismalua, acantho & uiolaria, ex hisque decoctum emolliens dicitur: ad aluum lubricandam, & intestina eluenda efficax. Vtimur etiam in flatibus uentris inferioris discutiendis decocto, quod paratur ex origano, calamẽtho, pulegio, chamæmelo, anethi cacuminibus, aniso, cumino, dauco, caruo, fœniculo, baccis lauri & rutæ semine. Decoctum carminatiuum, quòd flatus dissipet, Pharmacopœis dicitur. Nec uerò necesse erat nos in his decoctis describendis operam nauare, cùm sciam à quibuslibet Medicis pro

*Decoctũ carminatiuum.*

pro re nata ex usu eadem aut meliora imperari, aut etiam descripta ex Mesueo, Alexãdrino, Actuario à quouis desumi posse, nisi mihi mei officij ratio optimè cõstaret, probeq; conscius essem, me nõ Scipioni & Lælio (inquit ille) sed Tarentinis & Cosentinis potius scribere.

# DE ECLIGMATIS AVT LOHOC.

## SECTIO SEXTA.


Inctuum genera haud dubia confessione medicatis liquoribus adscribenda sunt. Humido enim plurimo constant, nec nisi eo eliquata assumi queunt. Ecligmatum uarietate antiqui plurimùm luxuriarũt: ex quorum suppellectile pauca quædam ac ferè nulla relicta sunt, omnia propè interciderunt. Antiquata enim celerrimè exanimantur, saporis gratiã offendunt, rancoremq; uirosum quẽdam contrahunt. Ideoq; quamuis hodie etiam quædam in officinis usui reponantur: ferè tamen omnia in rem præsentem condiuntur, ut iucundiora sint. Est autem medicamentum thoracicum, ad pulmonis noxiam præsidio efficax, & ad pituitæ in thoracem effluxum expectorandum idoneum. Cuius materia est ex genere dulcium

aut

aut acrium, interdum etiam amarorũ: quæ plurimùm deterget, & leui quadã cõstrictione lubricam sputi mobilitatem coercet, cogit, & ueluti rotundatã cõglobatamq; promouet, eruit & expellit. Qualia sunt glycyrrhizæ radix, succus ireos, penidia, catapotia bechica & hypoglottides, gummi Arabicum, tragacanthũ, pulueres electuarij diaireos utriusq; & diatragachanti frigidi, saccharum candefactum, uiolatum rosatum, amygdalæ, nuclei pinei, quæ syrupis thoracicis, adianti, glycyrrhizæ aut ziziphorũ diluuntur, ut eliquata facilius lambãtur, & supino situ in pulmones, arteriam, & animæ uias suctu quodam ducantur. Vnde antiquis arteriacæ compositiones & ἐκλικτὰ appellationem sumpserunt, quę barbaris eadem notationis expresßione Elambitiua & Lohoc aut Lohot dicuntur. Coctura quidem quàm electuario solido uel liquido parcior, ut consistentia ipsa dilutior sit: præcipuè si pus crassum aut pituita lenta è pulmonibus extrahẽda est. Quod quidem ualde Medico animaduertendum. Incrassata enim, qualia ferè arteriæ affectibus cõuenit, pulmonum excrementa potius morantur quàm promouent. Sumuntur cochlearij & ligula, aut glycyrrhizæ radice modicè tusa, quæ medicamento intincta sua quoque substantia ad faciliorem haustum conducat, quo præcipuè tempore morbus ægrum affligit.

Lohoc

## *Lohoc sanum & expertum Mes.*

℞ Cinnamomi,
Hissopi sicci,
Glycyrrhizæ, ana unc. dimidiam.
Iuiubas,
Sebesten, ana num. triginta.
Passularum mundatarum,
Caricarum,
Dactylorum pinguium, ana unc. duas.
Fœnigræci, drach. quinque.
Adianti albi, manip. unum.
Seminum anisi,
Fœniculi,
Lini,
Calaminthes,
Ireos, ana drach. quatuor.

Coquátur omnia in libris quatuor aquæ, ad librarum duarum consumptionem. Colatûm & expressum coque cum libris duabus penidiorum ad mellis crassitudinem. Tunc adde minutissimè incisa & tusa.

Pineorum nucleorum, drach. quinque.
Amygdalorum dulcium mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Amyli, ana drach. tres.
Ireos, drach. duas.
Misceátur omnia probè, celerrimeque agitentur dum albescant. Illinctus

Illinctus iste nobis admodum familiaris est, atq; haud scio an id ęquè cõtingat alteri nemini. Vocis asperitatẽ, raucedinẽ à frigore obortã, tussimque antiquam à pituita crassa & uiscida pulmonem fatigantem sanat. Calore enim suo primum ferè ordinem attingente, materiam oppugnat & exiccat, crassosque humores incîdit, tenuat & terget efficacissimè. Morbis calidioribus, naturis & cœlo suspectus: ideoq; nec temerè tussi cuilibet aut leuibus spiritus uicijs præscribendus. In quo fœdissimè nostra tempestate peccatur, cùm omnibus thoracis uicijs linctus iste præmittitur. Agitatione crebra & longa albescit, ideoque gratior euàdit: qua in re præparcè se gerunt Pharmacopœi, ut & maximè in compositione uariant. Quidam enim hyssopi, cinnamomi & glycyrrhizæ semidrachmam ponunt, alij semunciam. Alij lòco penidiorum saccharo utuntur. Quidam adianti semunciam duntaxat pro manipulo usurpãt. Sunt qui passularũ, caricarum & dactylorum, sing. unciam unam adscribunt. Alij etiam radicis ireos drach. quatuor apponunt. Idem ferè potest quod lohoc de scilla, imminutis paulùm uiribus. Potẽtius incîdit & deterget, quàm ecligma pini, licet eo aliquantulũ calidius, gratius tamen & suauius, cõfirmatoq; iam morbo ualẽtius. Porrò aliud est quod à Mesueo lohoc bonũ & expertũ dicitur, tussi humidæ cõferẽs, eiusq; curationi in opere medico accõmodatũ.

Lohoc

## *Lohoc è pino Mes.*

℞ Nucleorum pineorum drach. triginta, alijs uiginti.
Amygdalarum dulcium,
Auellanarum aſſatarum,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Glycyrrhizæ,
Succi eiuſdem,
Amyli,
Adianti albi,
Radicis ireos, ana drach. quatuor.
Carnis palmularum fuluarum, hoc eſt dactylorum, drach. triginta quinque.
Amygdalarum amararum, drach. tres.
Mellis paſſulati,
Sacchari albi,
Butyri recentis, ana unc. quatuor.
Mellis optimi quod ſatis ſit, ad omnia excipienda.

Ecligmate iſto utimur in ſputo craſſo & uiſcido, & tuſsi antiqua. Anhelatoribus enim & ſuſpirioſis cõfert, & ſpiritus anguſtiá leuat, quę ex pure & pituita pulmonibus infarcta, animæ uiam præcludit. Senibus ideo familiare. Peripneumoniam & pleuritidem iuuat, inclinante præſertim febre. Calidum enim eſt, uimq; incidendi & tenuãdi habet efficacem, qua thoracis pituitas expulſioni habiles facit, pectorisq; ex-

creationes adiuuat. Ingratius est, & superiore imbecillius: etsi quibusdam contrà uideatur, qui lohoc sanum minus calidum existimant. Quare in faucium asperitate hũc linctum præmittere fas est. In quo ferè auersi sunt omnes qui medicinam factitãt. Variæ sunt ecligmatis è pino Serapioni, Rhasio & Auicẽnæ descriptiones. Sed & officinæ ipsæ inter se non minimùm uariant. Hoc tamẽ usu est acceptissimum, & parciore copia in usum parari debet, quòd butyrum ipsum facilè rancescat, quo iure in totum quidam abdicant. Gratius & longè efficacius redditur decocto thoracico, aut ptisana, aut hordei aqua dilutum, aut hydromelite, aut etiam oxymelite condulcatum, si ulcus aut tussis non urgeat.

## *Lohoc è pulmone uulpis Mes.*

℞ Pulmonis uulpis præparati,
Succi glycyrrhizæ,
Adianti albi,
Seminis fœniculi,
Anisi, ana partes æquales.
Saccharo sufficienti dissoluto excipiantur.

Sumptum ex Mesueo in Phthisi. Variat apud pharmacopœos. Quidam enim anisa & adiantum omittunt, alij diuersas habent descriptiones. Auicennas cum succo glycyrrhizæ & succo adianti cum saccharo parat. Nobis hodie melle paratur: etsi cum saccharo iucũdius foret *Cap. De ulc. pul.*

ex

ex autorũ præſcripto. Meſueus cum ſyrupo aut ſucco myrtino ualẽtius roborare ſcribit. Quod ſequuti quidã, ne Meſueum deſerere uideãtur, cum ſaccharo & ſyrupo myrtino condiunt, alterutrius uſu non neceſſario. Alij ſaccharum in bipinellæ decocto ſoluunt. Hodie huius loco puluere pulmonis uulpis cum ſaccharo roſato cõtenti ſumus. Valet ad cõſumptos, tabidos, & ulcera pulmonis, quibus uulpis pulmo ab autoribus uirgula quadã diuina adhibetur. Hũc recentẽ ex uulpe iuuene uenatu capta, ſanguine, uenis & arterijs purgamus, uino albo odorato tepido ſępius abluimus, clibano ſiccamus, exiccatũ puluere abſinthij inuolutũ reponim9. Alij aqua ardente ablutũ ſacchari puluere excipiũt. *Pul. uulpis præparatio.*

## *Lohoc è ſcilla Meſ.*

℞ Succi ſcillæ,
Mellis deſpumati, ana partes æquales.
Coquãtur ſecũdũ artẽ ad ecligmatis cõſiſtẽtiã.

Vſu frequens ad incidendã, tenuandam, & expulſioni apparãdam craſſam materiam, quæ thoracis cauo cõtinetur. Veterem tuſsim cum ſuſpirio ſanat. Suppuratis, aſthmaticis, difficulter ſpirantibus, in magna puris & lentæ pituitæ copia ſpirituum uias opprimẽte, ſuccurrit, prompteq; huiuſmodi obſtructa liberat. Senibus perpetuò huiuſmodi morbis cõflictatis ualde neceſſarium. Sumptũ uidetur ex Dioſcoride, qui ſuccum ſcillæ cum melle ueteri tuſsi &

ſuſpirioſis trium obolûm pōdere exhibet. Quā in rem ſcillæ apparatū coctura uarium facit, ut poſtea in paſtillis ſcillinis ſcribimus. Quidam ſcillæ crudę laminas ex uino reſectas, puriores, plenas & nitidas in pila lapidea piſtillo ligneo cōtundunt, mucillaginem expreſſam cum melle in hunc uſum coquunt ad craſsitudinem.

*Lib 7. Comp. ph. part.* Galenus quoque ſcillæ crudæ ſuccum expreſſum cum mellis Attici pari menſura prunis incoquit, myſtri pondere exhibet ex Aſclepiadis & Antonij Muſæ autoritate, quem linctum Actuarius etiam uſurpauit. *Lib. 5. Meth. cap. 6.* Alij maza inuolutam, & clibano coctam, piſtillo ligneo tundunt & exprimunt. Interaneis enim crudam nocentiſsimam ſcribit Dioſc. Affine etiam eſt medicamentum quod parat Gal. ex ſcilla integra tuſa & læuigata cum melle, in libello Epileptici pueri. Viribus tamē inferius eſſe ſcribit ei quod ex ſcillæ ſucco conficitur. Pueris exhibet cochlearij parui menſuram, & adultis cochlearium magnum permittit. Huius ecligmatis meminit iterum Meſueus in opere medico, & Auicennas lib. 5. & Serapio lib. 7. *In tuſsi humida.* Sed hi omnes melle deſpumato uſi ſunt. Auicennas quoque *Cap. 40. lib. 3. Fen 10. tract. 1.* in Aſthmate ſuccum ſcillæ cum mellis æquali portione, deſpumatum ad craſsitudinem percoquit, & myſtri unius menſura à cibo, & ante eum exhibet, Galeni medicamentum & linctum exprimens, nō ſine uulgatorum codicum inſigni menda.

Lohoc

## Lohoc è papauere Mes.

℞ Papaueris albi drach. quinque & uiginti.
Amygdalarum dulcium mundatarum,
Nucleorum pineorum,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Succi glycyrrhizæ, ana drach. decem.
Amyli,
Seminum portulacæ,
Lactucæ,
Cydoniorum, ana drach. quatuor.
Croci, drach. unam.
Penidiorum alborum unc. quatuor.
Omnia concisa & contusa, syrupo de papauere excipiantur. cuius hęc esto formula:
℞ Capitum papaueris albi & nigri recentium, ana uncias sex.
Seminis lactucæ,
Florum uiolarum, ana unc. unã & dimidiam.
Coquãtur in aquæ lib. octo, dũ capita papauerũ tabescãt. Expressum & colatũ cũ sacchari lib. quatuor, aut sacchari & penidiorum partibus æqualib. percoque ad syrupi crassitudinẽ.

Efficax diapapauer in destillationibus tenuibus, quæ acrem, salsam, tenuem & liquatam materiam in thoracem demittunt, fauces asperant, insomniam & febrem pariunt. Tenue enim sputum tusses eludens incrassat, ad expulsionem promouet, recentes rheumatismos si-

stit, & spiritalium partiũ asperdines lenit, somnum etiam leuato continenti tussiendi labore, tum etiam ui sua refrigerante: tum uerò prohibita calidiorum humorum uaporatione conciliat, per horam à cœna sumptum. Confert etiã febribus ardentibus, thoracis & laterum doloribus. Materiam ex capite eliquatione quadam illabentem facilè sistit & supprimit à cibo sumptum. Ieiunis ad prædictos affectus innocentius semunciæ pondere, lambendo sumptum: non tamen crebrò, ne uentriculum lædat, præsertim frigidum, humidũ, his qualitatibus primum ordinem attingens. Nicolai Alexandrini diapapauer duplex ad asthmaticos & peripneumonicos, non usurpãt officinæ: quorũ alterum Prępositus imminutis põderibus est sequutus. Est & duplex Mesueo diapapauer, in tussi ex destillatione: quorum alterum Nicolai cõpositioni ualde est affine. Auicennas etiam libro 5. Diapapauer habet ab hoc lõgè diuersum, quo ad sanguinem uomitione effusum, & pectoris dolorem utitur, uocatque lohoc de papauere. Est & ecligma Alexandrini papauerinum ex capitibus papauerũ, croco & glycyrrhiza somniferum, tussientibus & phreniticis salubre, in linctibus & ecligmatis descriptum. In hoc illinctu conficiendo syrupum de papauere officinis usurpatum sumimus: quanquam mallem eum qui in hunc usum propriè & enixè Mesueo descriptus est assumi.

Diacodion

## Diacodion Mes.

Capita papaueris decē magnitudine mediocri, & humidorū ac ſiccorū media, in aquæ pluuiæ ſextario uno macera biduò. Si autē ſint ſicciora, diutius: ſi humidiora, horis uigintiquatuor. Deinde coque ad ipſorū diſſolutionē, ſeu ad duarū aquę partium cõſumptionem: cola, & cū ſapæ dimidio prunis percoque, ſi catharrus tenuis in aſperā arteriam, pulmones & thoracē impetum minatur & inſomniā, Tunc enim mel, quia ſua acri ſubſtātia tenuat materias, noxium eſt. Cùm uerò materia largior in pulmone uel thorace collecta tergenda eſt & tenuāda, & habilis ad expuitionem reddenda, mel miſcendū quod prædicta pręſtat, prætereaq; ſomnū cõciliat. Si ambo ſcopi concurrāt, mel & ſapa miſcēda. Datur aūt drach. una, plus minus, ſi affectus poſtulat. Ore retinetur, & quātum eius eſt ſaliua ſolutū, cum ea paulatim deglutitur. Si autē per id naturæ uis impetū ſiſtere, & ſanguinis reiectionem à uiſceribus thoracis, cuiq; huius libræ miſcebis acaciæ rubræ, hypociſtidos, myrrhæ, croci, balauſtiorum, ana drach. unam. ramich drach. quatuor, utere. Sunt qui Diacodiõ ſimplex loco mellis coquunt cum penidijs, alij cū ſaccharo. Vbi autē affectus magnoperè calidꝰ eſt ac mordax, fit ex capitib. papaueris nigri ad quinquaginta: interdū ex albo ſimul & nigro, addēdo tūc loco mellis penidia aut ſaccharum.

*Diacodion Gal.* Hunc pene in modum Mesueus diacodion ex Galeno expresit, quod hunc in modum describit libro 7. Comp.phar. part. post uariam multorum autorum de eodem medicamento sententiam. Capita papaueris decem mediocria in aquæ sextarium unum inijciuntur, præmacerantur uno die, si humidiora & molliora fuerint: si uerò duriora & ficciora etiam diutius. Cæteris autem præstant nondum indurata. Mollia quoque abijcienda sunt. Ficciora nāque exiguum succum habent: humidiora uerò multum quidem, sed crudum, aqueum & debilem. Quo nomine ex humidis & palustribus locis accepta suspecta sunt. At uerò numerus papauerum quem dixi indi oportere iuxta pro portionem aquæ, de mediocribus intelligendus uenit. Quædam nanque sunt moderatis maiora, quædam minora, quædam etiam media, qualia plerunque esse assolent. Ex his prædictum numerum ad sextarium conijce. Coquendi terminus esto, non ut tertia, aut quarta, aut aliqua alia pars aquæ restet: uerùm ubi primùm in totum flaccida facta fuerint: quippe cùm eorum succum uelimus exprimere, quod abundè cōtinget ijs flaccidis factis. Huic succo mellis aquæ dimidium adijciendum cen seo, & igne lento sine fumo coquēdum ad mellis Attici consistentiam. Aquam pluuiam quidam deligunt, quòd à putredine sese egregiè uindicet. Cuius inopia abundè sufficiet fontana,

na, pura, & omnis permixtionis expers. Vitanda uerò quæ per tubulos plumbeos effluit. Plumbi enim fæces & uicia in ea resident. Vnde etiam qui eiusmodi sedimentum combibunt, dysenterici euadunt. Vsus eius est in destillationibus tenuibus è capite in asperam arteriam, ex perpetua tussi insomniam parientibus. Quibus etiam medicamenta ex opio sæpe coacti damus. In talibus consueui medicamenti confectionem ex sapa parare. Tuncque sufficiens erit coctura, ubi capita papaueris ad aquæ dimidium fuerint decocta. Quin & ex passo aut Thereo Cretico melius quàm ex melle coquitur, ubi fluxus ualde tenuis extiterit. Mel enim attenuante sua facultate fluxiones auget. Sed & inter coquendum glycyrrhizæ radix admiscenda est, aut eius succus ex Creta delatus. Quòd si magna humoris copia ex capite circa pulmones cōstiterit, cōfectio ex melle melior est. Quemadmodum enim somno opus habentibus ea quæ ex sapa constat, sic reiectione per sputum indigentibus, ea quæ ex melle fit accommodatior existit. Ad id igitur quod magis urget, animum intendens, ubi in somnum uertitur ęger, aut quod ex melle constat, aut quod sine melle apparatum est medicamentum dabis: aliquando etiam utrunque permiscebis, ad id quod urget in miscendo intentus, ut scias cuiusnam maior imponenda sit copia. Huius modus est mediocris, duorum

cochleariũ iustæ magnitudinis pondus. Quod augeri poterit, habita ratione magnitudinis, corporis, ætatis, temporis & regionis. In his enim omnibus frigidiorib. minimùm dabis, calidioribus uerò amplius. Quinetiam pro fluxionis qualitate & quantitate medicamenti modus mutandus. Atq; hoc est Galeni diacodion, quod eleganter Mesueus mutuatus est: quo utimur in tenuibus & acribus rheumatismis, pulmones, & asperam arteriam fluxione tentãtibus & continenti tussi peruigilium excitantibus. Nobilissimum inter arteriacas compositiones medicamentum, & ex linctuum genere magnoperè ab antiquis celebratum. In cuius compositione mallem Paulum sequi, qui triplex diacodion parat. Vnum nanq; ex sapa cõficitur. Papauerum capitibus cum uncia una glycyrrhizæ in sapæ sextario maceratis per diẽ unum: deinde incoctus, dum tabescãt. Vbi mediocrem spissitudinem nactum est, medicamẽtum ab igne remouetur. Cuius usus erit in febribus, ubi sopire opus fuerit, cùm tenuis defluxio in thoracem defertur. Alterum ex melle sic fiat. Capita papauerum (ut dictum est) cum glycyrrhizæ uncia, in aquæ cœlestis aut fontanæ sextario dum intabescant excoquuntur. Expresso mellis semisextarius decocto inijcitur, ad spissitudinem percoquitur. Cuius usus erit, in quibus præterquàm quòd dolorẽ lenire, & somnum conciliare oportet, purgatione

*Diacodiõ ex sapa Pauli*

*Diacodiũ ex melle Pauli.*

etiam

etiam opus est, & abstersione corũ quæ in pectore & pulmonibus, renibusque inhęrescunt. Cópositi uerò diacodij hęc est Paulo formula. Aquæ in qua papauerũ capita decocta sint ad prædictam commoderationem, sextarius. uini dulcis hæminæ duæ. mellis pondo, croci, hypocistidos succi, sing. drach. quatuor, coquantur ad spissitudinẽ. Officinæ nostræ Mesueum sequuntur, hocq; medicamentũ usitato barbarorum nomine Confectionẽ de iacur uocát, & cum saccharo potius quàm cum melle parant. Galenus ex Damocratis opinione, simplicissimo maximè utebatur, nec aliquid addebat. Crito, ut ualentius efficeret medicamẽtum, croci, myrrhæ, succi hypocistidos, acaciæ, sing. drach. duodecim immittebat, & thuris drach. sex. Heras, myrrhæ, croci, hypocistidos succi, acaciæ, sing. drachmam unam: quem imitatus uidetur Mesueus, ac præterea balaustium & trochiscos ramich miscuisse. Atque eo modo compositum ad cruenta sputa, & sanguinem uomitione effusum ualde est efficax, & ad febrium ardores mitigádos. Quibus affectibus simplex etiam adhibetur: & præterea sitim inexhaustá, & æstuantes corporis affectus, aut inflammationes extinguit. Oris uentriculi ardorem, indeq; natam syncopen sedat, peruigilio succurrit, sudatoribus ex acrium & tenuium humorũ natura, ideoq; in animi præcipites defectiones pronis confert. Vertigines ex calidiorũ uapo-

*Diacodion comp. Pauli*

*Confectio de iacur.*

rum

rum ſublatione malè affecto ore uentriculi enatas, delet. Viſceribus æſtuantibus ſalubre, faucium rheumatiſmis, thoracis collectionibus, & tonſillarum defluxionibus gargarizatu accommodatum. Oculos lippitudine acri tentatos iuuat. Renum & iliorum intemperiei calidæ medetur, difficilem urinam & ſubſtillum ex acrimonia lotium procurat, eiusq; profluuium impendiò profuſum ſiſtit, dyſenteriæ bilioſæ & cholericis utile. Magna tamen in modo adhibenda eſt cautio. Calidioribus nanque affectibus, etſi præſentiſsimum eſt remedium, imbecillis tamen, & quibus thorax totus minimè eſt repurgatus, præceps minatur exitium. Quare ubi ſuſpectus fuerit huius uſus, parua copia exhibitum, & cæteris admixtum, tutum faciet remedium. Quæ omnia, amplioresq; huius medicamenti uires Philagrius abundè eſt exequutus. Nic. Alexandrinus duplicem habet diacodij deſcriptionem: quarum altera à Præpoſito uſurpata, magnā habet in cœliacis affectib. dyſentericis, ſanguinis reiectationibus, & febrium incendijs efficacitatem, eaq; quibuſdā uſu ſolennis eſt: altera uerò planè exoleuit. Actuarij potio è capitibus papaueris, capita papaueris centū capit, glycyrrhizæ pōdo, & ſapæ lib. centum. Vtitur in peruigilijs, fluxionibus è capite tenuibus, bilioſis & acribus ſeceſsibus, cholera laborātibus, & intemperie calida. Plinius quoq; poſt uariū autorū aſſenſum, diacodij

*Act. diacodion.*

*Lib. 20. cap. 19.*

dij cõfectionem adſcripſit. Fit (inquit) papaueris ſylueſtris capitibus CXX. in aquæ cœleſtis ſextarijs tribus biduò maceratis, in eademque diſcoctis: deinde ſiccatis, iterumq; cũ melle decoctis ad dimidias partes, uapore tenui. Addidere poſtea drach. ſenas croci, hypociſtidos, thuris, acacię & paſsi. Cretici ſextariũ. Cuius etiam meminit Dioſcorides lib. 4. Auicennas capita papaueris uiridia integra ad diſſolutionẽ in aqua coquit: deinde addito ſaccharo, ſpiſsitudinem adhibet. Cuius uires addito cortice papaueris nigri, aut hyoſcyami ſemine: interdum etiam opio, intendit. Quin & quibuſdam papauerum decoctum ex ſaccharo paratum in electuarium ſolidum, tabellarũ forma uſui eſſe memini. Atq; adeò hac oſtentatione ſimplex quidem & antiqua illa ſalubritas papauere & melle cõſtabat. Diacodij uerò uires & uſum fuſius explicat Oribaſius lib. De loc. affect. cur. & lib. ad Iulianum 5. Aetius lib. 5. & Alexander Trallianus libri quinti, capite quarto.

*Cap. 65.* *Lib. 3. Fen 3. tract. 3. cap. 3.* *Cap. 134.* *Cap. 18 & 19.* *Cap. 133.*

## *Diamoron Nic.*

℞ Succi mororum hortenſium,
Mellis optimi deſpumati, ana lib. dimidiam.
Succi mororum rubi & batinorum lib. uná.
Sapæ, unc. tres.

Coquantur omnia in uaſe ſtagnato ad lentũ ignem, donec marmori affuſum adhæreat, & digito tactum parũ ſequatur, mox in ſeſe reſiliat.

Stoma-

Stomaticæ quoq; cōfectiones, quòd arteriacis usu sint proximę, huc accensendæ sunt, quibus in oris phlegmonis gargarizatu utimur. Inter quas nobilitatū est autorū celebritate diamorū, quo ad fauciū ardores, serpentia oris ulcera, gulę, columellæ & tonsillarū inflammationes, anginęq; rudiméta utimur. In magna uerò huius medicaméti uarietate, Nicolai diamorū usum officinis nostris obtinuit, quòd simplicissimo ualde affine sit. Galeni tamē diamorū quod tēperatura est medium, plurimisq; innoxiū, utpote ad uarios fluxionū casus magis accōmodatum, lubēter accersere, quod fit ex succi mororum lib. quinq; coctis per se ad sordium cōsistentiā: deinde addita mellis lib. una, coquito iterum ad mellis crassitudinem. Phlegmonarū principijs salubre: cuius uires augētur, additis repellentibus & astringētibus: qualia sunt alumen, omphacium, rhois culinarij succus, rosæ, balaustia, malicorium, cytinus, gallæ immaturæ, hypocistidos aut lentisci succus. Consistente uerò morbo concoquentia & digerentia cōueniunt, tuncq; toti cōpositioni croci & myrrhæ, singulorum sesquidrachmam miscet. Hæc enim priuatim cōcoctoriam inflammationum uim habent. Crocus quidem leuicula adstrictione myrrhæ, quæ tenuium est magis partiū, ualentiusq; & digerit & calfacit, ad partium affectarum penetralia aditum muniens. Addenda uerò sunt in fine coctionis, cùm medicamentum

*Diamorum Gal.*

tum

tum ab igne auferendũ est, agitãdaq; dum pulchrè omnia coeant. Aromatica namq; largiore coctura promptè examinantur. In senescentis autẽ morbi remissione, & declinãte phlegmonum sæuitia, ualde digerentia adhibere oportet: ut sulphur ignem non expertum, nitrum, eiusque spumam, atque etiam sapam cui incoctum sit origanũ, pulegium, thymus, satureia, hyssopum, nepeta & mentha odorata. Glycyrrhizæ succum ad uncias uiginti semper incoquendo medicamento miscet Galenus, ut austeritatem lenitudine sua cõdulcet: quo nomine cęteris omnibus stomaticis admiscetur. Pro uario igitur morborũ euentu & tempore medicamentorum horum compositio uariat, neq; æquũ est uniusmodi confectionẽ omnibus posse accõmodari. Sunt tamen qui Galeni diamorum istud constanter parari uelint: quod quia mediam quodammodo habet temperiem, mediocrium phlegmonarũ initijs & maiorũ statui conuenit. Capit mellis lib. unam. succi mororũ rubi, aut batinorũ hæminas quinq;. croci, myrrhæ, sing. sesquidrachmam (Alex. drach. unam) omphacij drachmã, uini austeri hęminas quinque. Si omphacij succus desijt, rhois succũ adhibe. Sic autem conficito: Succus per se coquatur ad sordium spissitudinem, tum mel adijciendum: cumq; lebetem ab igne sublaturus eris, omnia arida immisceto, probeque agitato, dum omnia coeant. Paulus triplex diamorum *Gal. diamorum aliud.*

recenset

recenſet lib. 7. ſimplex quidẽ duplex & unum compoſitum iſti nõ multùm diſsimile. Trallianus diamorõ facit ex heminis quinq; ſucci mororum, croci myrrhæ troglodyticæ, aluminis, omphacij, ſing. ſcript. ſex, mellis ſextarijs quinque. Succus mororũ parũper decoctus refrigerari, paulumque incraſſari permittitur: poſtea adiecto melle, iterũ ad tertias decoquitur. Meſueus ſimplex diamorũ facit ex mororũ hortẽſium & batinorũ ſucci, ſing. ſeſquilibra, ſapæ & mellis cuiuſq; lib. una. Igni lento ad mellis ſpiſſitudinem decoquit. Impendẽte uerò neceſsitate & urgente magnarũ inflammationũ diſcrimine, aluminis, myrrhæ, croci, omphacij pares
*Sect. 9.* portiones addit. Nic. quoq; Alexandrinus triplex diamoron parat: quorũ unum Galeni medicamẽtum ſimplex ſatis exprimit: alterũ uerõ cõpoſito ſimile, niſi quòd uulgato ſatis ei uicio, zingiber pro myrrha & mellis cochleariũ unũ pro cotyla ponit. Tertium ex Aſclepiade adſcribit. Sed & Plinij autoritas ad medicamenti hu-
*Lib. 23. cap. 7.* ius oſtentationem accedat oportet. Fit (inquit) ex mori pomo páchreſtos ſtomatice, eadem arteriace appellata, hoc modo. Sextarij tres ſucci è pomo leui uapore ad craſsitudinem mellis rediguntur. Pòſt additur omphacij aridi pondus X. duorum, aut myrrhæ X. unius, croci X. unius. Hæc ſimul trita, miſcentur decocto. Neque eſt aliud oris, arteriæ, uuæ, ſtomachi iucundius remedium. Fit & alio modo.
Succi

Succi sextarij duo, mellis Attici sextarius, decoquuntur, ut suprà diximus. Diamori compositionem, uarietatem & uires habes fusius apud Oribasium, lib. 3. Synopseos. Aetium lib. 8. cap. 45. Trallianum lib. 4. cap. 1. Actuarium lib. 5. meth. capite 7. Et Gal. lib. 6. comp. phar. part. Et Syluium lib. 4. meth. Meminit etiam medicamenti quod ex moris est ad gargarismum, Celsus in Angina. Eo utimur in oris collutionib. & gargarizatu cum aqua plantaginis, hordei aut rosarum. Parandum autem medicamentum ex moris rubi, ut uult Galenus. Mora enim quæ in his nascuntur, uel efficaciorẽ stomaticen præbuerint, quàm satiua morus.

*Et libro 4. de loc. aff. cur. cap. 37.*

*Cap. 4. lib. 4.*

*Pl. cap. 13. lib. 24.*

## *Diacaryon, aut Dianucum Mes.*

Succi ex corticibus nucum uiridiũ diebus canicularibus extracti, libræ quatuor semel feruefiunt, & mellis duabus libris postea additis coquuntur ad mellis crassitudinem. Quod medicamentum pueris, mulieribus & naturis humidis magnopere est accommodatum. Phlegmonarum initijs adstringentiũ aliquid miscendum est, ut rosa, balaustium. In statu crocus & myrrha, in declinatione nitrum, sal ammoniacus, & similia.

Diacaryon, hoc est Dianucum, Galeni inuẽto celebratum, stomaticum admodum efficax ad oris phlegmonas, & synanchas, destillationes tenues in fauces, & præfocantes. Succus enim putaminũ nucum uiridiũ tenuitate

essentiæ phlegmonas optimè peruadit, & adstringendi robore immisso laborantes partes confirmat, nouumq; affluxum præcauet. Cortices igitur nucum uirentium ultima æstate uigentium, triti in pila succum reddunt, qui per linteum colatus ad hæminas quinq; , si liquidior fuerit, priùs ad sordium crassitiem decoquitur: deinde addita mellis hæmina uná despumádo ad iustam spissitudinem perducitur. In quo Diamori temperatio constat: estq; medium medicamentum quod intendi pro morbi tempore & natura alijs additis potest, non secus ac in præscripto medicamento diximus. Hoc enim modo temperauit Galenus, ut simplici descripto in delicata corporum mollitudine uteretur ad mediocrium phlegmonarum initia. Suaue nanque est, & probè delicias faciens. Quòd si morbus magnitudine & præcipiti suo uitio in discrimen raperet, astringentium aliquid admiscebat ad propulsandos fluxionum impetus. Vigente morbo, & propemodum consistente, myrrham & crocum immittebat, coctionem procurans. In remissione uerò acria quædam ad digerendas & discutiendas quæ ex phlegmone reliquæ fuerant collectiones, apponebantur. Quæ omnia expressit Mesueus. Hoc igitur Galeni Dianucum instituendum est, cùm sit facultate medium, liceatque quouis tempore quæ accommodata fuerint admiscere. Quod etiam describit Trallianus. *Lib. 4. cap. 1.*

lianus, obseruata probè in quibuslibet morbi temporibus medicaměti natura. Paulus etiam Diacaryon duplex efficit: simplex unum, Galeni medicamentum exprimens: compositum alterum, uarijs morbi temporibus accommodatum. Aëtio Diacaryon Galeni describitur, ex succi nucum uiridiũ expressi & colati cotylis quinq;, mellis cotyla una, glycyrrhizæ drach. uiginti. Succus cũ glycyrrhiza ad mellis crassitudinem coquitur, colo traijcitur, rursusque adiecto melle ad idoneam spissitudinem percoquitur. Alexandrinus istam Galeni ex Aetio confectionem per omnia est secutus: additque aliud Diacaryon cõpositum, addito zingibere, gallis & croco. Meminit huius medicamenti fusissimè Galenus in lib. comp. phar. par. Et Oribasius lib. 4. de loc. aff. cur. Efficacius uerò est cæteris omnibus stomaticis illitionibus, non tamen æquè stomacho gratum. Plures sunt aliæ stomaticæ confectiones Galeno descriptę, & ueterib. medicis usurpatæ: quales sunt Diabesasa, Diarhœon ex punicorum succo, Diagleuceos ex musto, Diachradon ex pyris syluestribus, Diamelon ex cydonijs. Sed istis tantùm officinæ nostræ contentæ fuerunt, ideoq; earum explicandarum natura longiùs prouecta est: ut hæ nobis in omnibus faucium ex fluxione tentationibus, ad temporum morbi uarietatem amplificatis aut remissis per medicamenta uiribus, sufficerent.

*Lib. 7. ca. 14.*

*Sect. 9.*

*Lib. 6. cap. 73.*

## *Lohoc de caulibus Gordonij.*

℞ Succi caulium libram unam, cui bulliendo despumatæ adde
Croci drach. duas.
Mellis,
Sacchari, ana selibram.
Fiat Lohoc secundum artem, & utere lambendo.

Vsus est ad mediocres in thoracen destillationes, tussim infantum humidá, & uocis raucedinem. Gordonio attribuitur, & quibusdam Lohoc pectorale dicitur, alijs Electuarium pectorale: quamuis sub electuarij pectoralis nomine plures cõpositiones ueniant. Similis est illinctus Mesuei, ex succi caulium libris quinq; coctis & expumatis, dum tres libræ desiderentur: deinde cum sapæ & mellis singulorũ libra, ad iustam crassitudinem coctis. Electuarium de caulibus in asthmate & uoce uitiata parat Auicenna. Quæ omnia maiorum doctriná referunt. Dioscorides nanq; brassicæ folia mansa, deuorato succo retusam uocem instaurare scribit. Antonius Musa, brassicæ succum cum melle coctum delingendum, aut brassicæ uiridis cauliculos depuratos mandendos exhibebat ad uocem interceptam.

*In tussi humida.*

*Cap. 2. lib. 3. fen x. tract. 2.*

*Lib. 2. c. 146.*

*Lib. 7. comp. ph. part.*

## *Lohoc de allijs Mes.*

℞ Alliorum purgatorum libram dimidiam.
Coquantur probè in decocto cicerum & hyssopi

hyſſopi ſiccæ. Horum tritorum & cretorū medullam, cum mellis & butyri recentis ſing. ſelibra, percoque igni lento ad ecligmatis conſiſtentiam.

Valet ad thoracis intemperiem frigidam, ex materiæ pituitoſæ & frigidę influxu contractá. tuſsim humidam & diuturnam ſanat, excreationes pectoris adiuuat, concocta demum materia & partibus cōfirmatis. Sumptum ex Meſueo in tuſsi humida. Similis eſt Linctus de allijs Auicennæ, niſi quòd pares omnium portiones facit, & allia cū butyro decocta ad diſſolutionem terit & cernit, eorumque medullam cum melle deſpumato decoquit. *Lib.5.*

## *Lohoc de farfara.*

Capit radicum farfaræ ſelibram, in aqua cōmuni decoctam, deinde piſtillo ligneo in pila lapidea probè tritam. cui adde

Nucleorū pineorū purgatorū ſeſquūciam.

Paſſularum mundatarum unc. duas.

Cum ſacchari libra una in præcedente decocto diſſoluta, percoquatur in ecligmatis ſpiſsitudinē. Quo penè percocto, quidam trita iſta admiſcent:

Croci,

Caryophyllorum,

Cinnamomi,

Maceros, ana ſcript. unum.

Succi glycyrrhizæ ſcript. quatuor.

Misce omnia, fiat Lohoc secundum artem.

Officinis tritum est ad raucedines, tusses ueteres, & thoracis collectiones. Quibus proficit Bechium. Tussilago dicta sumpto à remedio nomine, quæ uulgo farfara & ungula caballina dicitur. Huius enim folia & radix orthopnoicis, suspiriosis, anhelatoribus & sicca tussi conflictatis medentur. Quinetiam huius aridæ cũ radice fumus per harundinẽ haustus & deuoratus, ueterem sedare tussim dicitur, si in singulos haustus passum degustetur. Thoracis collectiones inueteratas rumpere creditur. Testes Dioscorides, Galenus, Plinius.

## Lohoc ad asthma Mes.

℞ Scillæ assatæ drach. quatuor.
Radicis ireos drach. duas.
Hyssopi,
Prassij, ana drach. unam.
Myrrhæ,
Croci, ana drach. dimidiam.
Melle excipe, & fiat Lohoc ex artis pcepto.

Quibusdam paratur ad asthma & tussim ueterem, ad quę est efficacissimum, sed tamen ingratissimum. Amaris enim & acribus penè omnibus constat: quo nomine humores crassos potenter tenuat, & dissecat, multumq; calet, sumptum ex Serapione. eidemq; alterum ferè similem linctum in asthmate tribuit Mesueus, nisi quod in scillę pondere uariat: ubi aliud

*Tract. 2. cap. 24.*

liud habet Lohoc ad aſthma, iſto non minus cō poſitum. Scillam porrò aſſatam in tuſsi uetere, ſuſpirioſis, in delinctu ex melle ſumptam adhibet Dioſc. Atque iſta ferè ſunt linctuum genera, quæ ex prolixa ueterum largitate incorrupta ad nos peruenerunt. Reliqua enim magna ex parte interciderunt, tum quia in rem pręſentem ecligmata ipſa, ex horum uaria mixtione, aut medicamentorum ad id accōmodatorum recenti mixtura conficimus: tū uerò, quòd antiquata ingratitudinē, & uirium defectū acquirunt. Cætera quæ ad arteriacas confectiones uſurpantur, quia electuariorum ſolidorū formam habent ad Antidotos relata, non eſt cur hîc retractentur, qualia ſunt Diatragacanthū, Diapenidiō, Diaireos, Penidia, & manus Chriſti. Cæterò, utimur ſæpius farina ſeminis lini, torrefacta cum melle, ad puerorū tuſsim: quod Lohoc ad tuſsim ſiccam, Auicennæ lib. 5. dicitur. Idem pręſtat eadem ſeminis lini farina, ſine uſtulatione melli admixta. *Lib.2. cap. 202.*

## *Saponea.*

℞ Sacchari clarificati, & aqua diſſoluti, lib. unam.
Aquæ roſaceæ,
Amyli, ana unc. quatuor.

Coquantur omnia ſimul ad aquę conſumptionem, ad iuſtam mellis ſpiſsitudinem: tum-

que probè percocto addunt quidam zingibe-ris triti drach. duas.

Inter thoracica medicaměta & illinctus ac-censeri debet saponea, Italis Medicis usu fre-quens in promouendo sputo, lenienda tussi, & expectoranda thoracis materia. Quidā diutiùs & duriùs percocto saccharo uelut electuario solido utuntur, & tessellas albas formant sapo-ni sinegmatico simillimas. Alij saponeam con-ficiunt ex amygdalarum depellatarum uncijs duabus, & sacchari libra una. Amygdalæ tritæ & cretę cum saccharo dissoluto percoquuntur ad linctus crassitudinem: cumque spissari cœ-perit, amylum purissimum & recentissimum admiscent. Quòd si liberalius percoctum crassius effeceris, poterit in tale-olas efformari.

# DE CONDITIS.

## SECTIO SEPTIMA.


Ondituræ ars planè ad delicias inuenta, à Medicis non aliena, magnum ægrotis momentum affert, dum eo inuento medica-menta alioqui per se satis fasti-dita, ita cōdulcantur, ut stomacho & palato gra ta sint, aut etiam in plures annos integra & ue-lut recentia durent. Sic hodie condiuntur stir-pium

pium flores, fructus, ſemina & radices, dũ melle, aut ſaccharo, aut etiam utroque ita percoquuntur, ut guſtum non refugiant. Conditi nomen ut parum ex uetere diſciplina deſciuit, ita hodie eſt multiplex. Condita antiqui parabant ex aromatis, aut medicamentis uino & melle incoctis: quale eſt conditum calculos frangens Pauli, & conditum Oribaſij ad calculum in ueſica conterendum, & conditum aliud piperatum. Hodie flores ſaccharati, quòd ita diutiùs conſeruentur, Conſeruę dicti, in condita ueniunt. In quibus ſemina & radices ſaccharo incruſtatæ accenſentur, quæ ſacchara quibuſdã, propriè tamẽ Bellaria & Tragemata dicuntur. Et certè hunc condiendorum florum apparatum ex maiorũ fertilitate translatum, iucundiorem longè palato fecimus, repræſentata ueluti recenti naturæ induſtria, nihildum deperditis uiribus, quàm ſi ſuccum facilè euaneſcentem in longum uſum ſaccharo aſperſum reponeremus. Quod recentioribus Græcis factitatum, Ioſacchar Actuarij apertè teſtatur. Quę etiam diſciplina hodie quoq; à nobis ferè intercepta eſt, dum ſaccharũ roſatum, uiolatum, ex rhodoſtagmate aut ioſtagmate ſaccharo ſoluto, in teſſellas electuarij ſolidi forma fingimus. Alia uerò longè eſt recentioribus conditi notio, preſsior & anguſtior, dum medicamentum ex conſeruis & pulueribus roborantibus cum ſaccharo in grumos coactum, nobilis antidoti

*Lib. 7. ca. 11.*
*Lib. ad Iul. imp. 5.*

loco ad uiſcerum internorum robur comparatum, conditi nomine donant. Quæ ſola ferè eſt conditorum noſtrorum uſurpata ratio & uſus. Ea enim medicamenta cùm mediæ ſint conſiſtentiæ, neque fluida nimis, neque dura & ſicca, facilè ægroti palatum alliciunt: conſeruis ipſis humore largiore diffluentibus, & pulueribus aut antidotis moleſta ſoliditate ſqualentibus. Vſurpantur tamen quandoque per ſe condita, citra aliorum acceſsionem. Eſt ubi nobiliorum antidotorum pulueres, aut eiuſdem generis medicamenta addita, ſyrupo aliquo ſimul excipiantur, & in uſum ægro exhibeantur. Conditurę uerò ratio (quæ & uulgo cōficiendi modus dicitur) in ipſo orationis tranſcurſu, & medicamentorum deſcriptione, ſua cuique & propria à nobis attribuetur.

## *Zingiber conditum.*

Fit hoc modo: Zingiberis recentis, ſi haberi poteſt, aut ſaltem arte humectati, pars una coquitur, cum ſacchari partibus tribus. Alij cum mellis partibus tribus, & ſacchari parte una coquunt: alij uerò, cum triplo ſaccharo clarificato. Humectandum autem zingiber album, purum, recens, affuſa aqua frigida, qua biduo maceratur: eaque ratione non ſolùm radices, ſed & fructus ſicciores recentibus ſimiles redduntur & intumeſcunt. Deinde poſt affuſam aquam arena humida in dolio aut uaſe obruit

obruit Mesueus, quarto quoque die innouata aqua superfusa, non secus ac in myrobalanis epulis.

Zingiber uiride nobis dicitur, quod recens saccharo conditum, ex alieno orbe ad nos affertur. Sumptum ex Auicenna libro 5. Quidam aromatibus zingiber ipsum condiunt, & sisari radicem ( Secacul uocant ) admiscent. Quod in zingibere condito obseruat Nicolaus, plurimaque alia admiscet quæ sumptuosam confectionem faciunt. Intemperiem uentriculi frigidam & humidam sanat: deprauatam coctionem, quæ acidam cruditatem facit, emendat. Viscerum lubricitatem corrigit, flatus dissipat, alimenti in iecur uniuersumque corpus distributionem accelerat, hyeme senibus & natura aut ex morbo frigidis salubre.

## *Secacul conditum.*

Radices eius amplæ, albæ, teneræ, à cortice cinericio & ligno interno purgatæ, in frusta pollicem æquantia secantur, intus fartæ, unde lignum expurgatur uno caryophyllo humectato: & particula zingiberis ea arte humectati, quam in zingibere condito descripsimus. Coquuntur in saccharo æquali, & melle duplo: uel solo melle triplo, ijs tamen despumatis. Coquendis radicibus adde cinnamomi & zingiberis ana drach. duas, in libras singulas.

Seca-

Secacul Indicum Arabibus frequenter usurpatũ, & iam desitum, nõ est quòd requiramus. Eius loco radicem eryngij supponit Syluius ex Nicolao, qui in Diazingibere, secacul eryngium facit: non secus ac Myrepsus, qui in Diasatyrio Mesuei secacul eryngium uertit. Manardus Geniculam, à multitudine geniculorum, quæ est polygonatum aut fraxinella, sumendam censet. Alij sigillum Salomonis, aut beatæ Mariæ esse contendunt: quidam uerò tribuli aquatici stellatam & muricatam radicem. Arnoldus Secacul sisarum, præcipuè satiuum, esse existimat: quam opinionem rectè sequemur, si eius loco huius radices condiamus, quæ sunt stomacho utiles, urinam & uenerem cient, flatus uentriculi dissipant, cõualescentibus conducunt, eademque quæ secacul præstant.. In condiendis autem radicibus uidendum est, ut eæ intus ac foris purgatæ, elignando, deradendo, decorticando, postea sectæ, aqua eas tegente super cineres calidos nocte macerentur, postridie semel feruefiant. Deinde in eadem aqua saccharum solutum, ad electuarij solidi aut penidiorum consistentiam coquatur: demum radices ut priùs emollitæ & tabefactę, parumper incoquantur admixto caryophyllorũ, cinnamomi, & zingiberis puluere sing. semuncia in conditi libras duas. Alioqui nisi radices præmaceraueris, aut eas crudas saccharo aut melli incoxeris, ea coctione durescunt,

rescunt, nō tenerescunt, & quantumuis teneræ etiam subduræ apparēt. Etsi quibusdam placet eas non ante percoqui, ne in aqua aromaticam uim deponāt: sed statim bene purgatas, in melle despumato & saccharo clarificato mediocriter coctis, igni lento committere. Hac ratione radices eryngij, bipinellæ, pastinacæ, apij, raphani, reliquaq; id genus condiri possunt. Secacul porrò conditum etiam ab Auicenna describitur, lib. 5.

## *Acorus conditus.*

Acorus Indicus, Galanga crassior dictus, in frusta sectus, ut zingiber humectatus, cum saccharo triplo coquitur, atq; ita conditur. Quin & Secacul addit Mesueus.

Acorus Indicus, non nostras & palustris intelligendus uenit. Cerebri nanque, & neruorum affectibus frigidis conuenit sumptus, aut ore diu retentus, quibus nocet nostratis acori usus, qui substantia sua crassa inodorus, insipidus, frigidus & siccus, in usum non nisi ex medici præscripto uenire debet. Calamus uerò aromaticus, eodem quo Galanga modo condiri debet.

## *Enula Campana condita.*

Enulæ Campanæ radix, egregiè purgata, & in taleolas secta percoqui debet, ut amaritudinem deponat: deinde cum saccharo & melle, aut triplo saccharo solo, ut cæteræ, condiri.

Helenij

Helenij conditum partes nutritorias roborat, ſtomacho præcipuè confert, obſtructa roborat, peſtilentiæ reſiſtit. Eadem ratione ari, dracontij, allij, cœpæ, porri radices percoctæ, ut acrimoniam deponant, condiri poſſunt. Paſtinacæ radix idem poteſt quod ſecacul, & ſimiliter conditur. Quin ex aceto cocta non inefficaciter in menſas ad oxyporia uenit. Buglosſi radix eo quo helenium modo condita, in officinas uenit, ad eos uſus quos per ſe præſtat. Intybi erratici radix, eodem etiam modo condita, hepatis intemperiem calidam mitigat, obſtructa liberat, aurigini ſuccurrit, idq; non aſpernando remedio.

## *Diaſatyrion Meſ.*

Accipit radicum ſecacul libram unam, in aqua cicerum ſecunda coctarum. radicum ſatyrij plenarum, & recentiũ uncias octo, radicum raphani domeſtici unc. tres radicum dracontij uncias duas. Terantur ſimul omnes: & adiectis olei ſeſamini, & butyri uaccini ſing. uncijs quatuor, exactè igni lento coquantur in lactis uaccini uel ouili quantitate ſufficienti ad iuſtam craſsiciem. Cernantur omnia, & adde mellis deſpumati libras tres, ſucci cœpæ recentis ſeſquilibram. Quibus perfectè coctis, & igni ablatis, hos pulueres inſperge. Caudarum ſcinci, & lumborum drach. octo. ſeminis erucæ, naſturcij, paſtinacæ, napi, aſparagi,

ragi, fraxini, piperis longi, been utriusque, zingiberis, cinnamomi ana drach. quatuor, prædictis misce. Postremò adde strobylorum depellatorum libram unam & dimidiam, pistaciorum depellatorum uncias decem, cerebrorum passerum præparatorum uncias duas, misce omnia probè, aromatiza unà moschi optimi aquæ rosarum semuncia soluti, reliquisque admixti. Duplex est Diasatyrion Mesueo: unum analepticum, consumptos & emaciatos reficiens, semen augens, & Venerem concitans desuetam: alterum uerò quod hîc descripsimus, usitatum ad tentiginem, Venerem quauis de causa cessantē & restitantem impellendam. Contra renū & uesicę imbecillitatem ualet, remorantem urinam propellit, & frigidam ac uelut emortuam genitaliū partium intemperiē erigit. Confectio de testiculis uulpis Mesueo dicitur, antidotisq; inseritur, quod etiam fecit Myrepsus & cæteri. Nos uetere exemplo, quòd satyrij radices etiam cōdiantur, conditis adscripsimus. Hîc radices raphani & dracontij, ut duriores, cum radicib. secacul etiā percoquendæ uidentur: deinde ex lacte ouillo, caprillo, asinino, muliebri, pro uarijs medici scopis, quod ad duos digitos extet, ad ignem ferueant in electuarij, opiatæ, aut mellis probè despumati idoneum corpus, idq; melle & succo cœpæ apposito. Largior enim humiditas coctione consumi debet, dū priorē consistentiam

recu-

recuperarit medicamentum. Olei sesamini pe nuria, amygdalarum dulcium immitti debet: quod facit in Diasatyrio analeptico. Quòd si lacte absumpto, necdum satis coctæ radices appareant, nouum lac, butyrum, & oleum sufficere potes. Cicera non exucca aut antiqua, sed recentia & maturitati proxima, propter largam humoris copiam eligi debent. Quorum decoctum secundum, & diuturniori tempore paratum, ut humiditatem flatuosam in alto latentem euocet, probat Mesueus, ne primũ eorum decoctum nitrosa qualitate ex superficie facile euocata, flatus & reliquos ex corpore humores detergeat, itaq; generationis scopos eludat. Etsi uretica ui illis semper & enixè ueluti propria, humores ad renes & genitales partes deturbant. Pro cæpæ succo bulbum Ascaloniten, aut eius succum ex Nic. Alexandrino, non improbando cõsilio supponunt quidam, cum concitatrix eorum uis plurimis autorum monimentis, ac ferè nunquam satis sit decantata. Been utrumque ex ulgatis Nicolai codicibus addimus, cùm Mesueo desideretur. Id cũ zingibere primùm teritur. quibus semitritis addes semina, dein cinnamomũ, postremò scincos siccos. Passerum cerebella (unica propè Veneri deuota hostia) uere aut autumno capta, lota, purgata esse debent: quæ cum uitello oui subacta, sole aut cinere siccata, cum pauculo melle admiscentur. Vidẽdum autem, ne in

ne in magna ſatyrij uarietate eius multiplex notio officinis parum perſpecta, nobis incautis imponat. Neque enim ſatyrij baſilici aut regij, quod palma Chriſti officinis dicitur, radix quę nullas ad ſtimulandum coitum uires habet, ſumi debet. Eius autē loco ſatyrij triphylli (quod teſticulus uulpis officinis dicitur) aut Orchios, & Cynoſorchios (quæ peculiarem uulgo ſatyrij appellationem habent) radice bulboſa & gemina uti licet, quæ quia multam excrementiciam humiditatem & flatuoſam cū quadam dulcedine habet, Venerem Dioſc. Gal. & *Lib. 3.* Plinij aſſenſione excitat. Solida autem, nō flaccida in uſum uenire debet, quòd maior ſiue du- *Lib. 8. ſimpl.* *Lib. 26. c. 10.* rior, qua mares gigni perhibent, libidinē excitet. Altera uerò minor & mollior, quę fœminas procreat tantùm, non uoluptatem ſtimulet, ut etiam inhibeat & reprimat. Atq; adeò exucca illa pars, & inutilis, maiori & meliori incrementum præbens, prope iam in eam deriuato alimento abijcienda eſt, ut non temerè probetur à barbaris ſatyrion, quod parricidij notatum, parentes uelut ſexagenarios è ponte deiecerit. Operoſa uerò eſt iſta confectio, negotijque plena, ideoque quidam in rem præſentem parant, & lotam ſatyrij radicem ex ſecundo cicerū decocto coquunt. Deinde cinnamomi fruſtillis, & caryophyllis configunt, & cum ſaccharo clarificato & colato parum diu percoquunt, dantque dormituris non infeliciter. Eandem ob-

Antid. è Satyrio Act.

causam Antidotum ex satyrio Actuarij, quam omnino secutus est Alexandrinus, in officinas deduci malim: quòd paratu longè facilior, nec tamẽ inefficacior, uetustatis dignationẽ retineat. Accipit testiũ satyrij uiridium, dauci satiui, dauci syluestris, nucis Indicę, pistaciorũ, nucis pineæ repurgatę, sing. drach. duodecim. zingiberis, caryophyllorũ, anisi, seminis erucæ, sing. drach. quinq;. cinnamomi, scincorum, seminis bulbi, singulorũ drach. duas & dimidiam, moschi siliquas septem, mellis sesquilibram. Radices satyrij, dauci tã satiui quàm agrestis priuatim & seorsum tunduntur. deinde in unum cogũtur, & nõnihil molliusculo igne feruescunt. rursus pistacia & pineę nuces tusæ, & tantisper dum crassitiem aliquam sumpserint maceratæ adijciuntur. Post hæc sublato ab igne uase, tusę & cribratæ species iam dictæ adduntur. Denique moschus cum exiguo stillaticij rosarum liquoris apponitur. Datur uesperi dormituro ex uino ueteri aut dulci, cochleare unũ, aut drach. una. Duæ sunt Nic. Alexandrini è satyrio antidoti, ad ea quę spondent utiles: quarum prima ex Actuario desumpta est, & in uulgatos Nicolai codices traducta, sed dauci syluestris loco eryngium posuit Alexandrinus, & loco erucæ sinapi album. Pro caryophyllis quoque semen linguæ auis aut fraxini, legit Nic. quod etiam non omisit Mesueus: nec tacuit Auicennas in duobus Electuarijs ad tentiginem faciẽtibus,

pro

pro quo tamen linguas passerum auium salacissimarum supponit Serapio. Scincos etiã omittit Nic. quorum ad ciendam Venerem magnus est receptus: ut satis testatur secunda è satyrio antidotus Alexandrini, & suprà enumeratę duę Auicennę confectiones. Hos igitur perperã esse omissos in primis indicat Actuarius, & uulgati Nic. codices. Sunt aũt sumendi scinci ueri ex Alexandria Aegypti iam passim conuecti, crocodilorũ speciem referentes, quorum renes magis probantur. Nec uerò ab his multùm dissidet è Satyrio antidotus Pauli libro 7. Cap. 11. iisdem effectibus insignita. Habet zingiberis, Antid. è satyrio Pauli. satyrij superioris, sing. drach. octo. scinci caudę, męi, asari, petroselini, cardamomi, seselis, sing. drach. quatuor. erucæ seminis, cinnamomi, sing. drach. tres. ormini, piperis albi, cnici seminis, sing. drach. duas. iunci quadrati floris, spicę nardi, sing. drach. unam. sanguinis hircini mystrum. Datur denarius imbecillioribus cum lacte: facit optimè ad res ueneras, in tantum, ut Græci cùm concitationem hanc significare uolunt, satyrion appellent, teste Plinio: non secus Lib. 26. cap 10. ac cõfectiones coitum irritantes satyriacas uocamus, quarum magnus est numerus apud Alexandrinum. Sect. 40. Quam in rem pulchrè facient Electuaria duo Auicen. unum de scinco libro 5. descriptum, Tract. 3. alterum uerò Regium. Lõgè uerò Tract. 6. est dissimilis antidotus è scinco Mithridatis Eupatoris Actuario descripta.

## *Cydonia condita.*

Cydonia ampla, nulla putredine uitiata, depellata, intus ſeminibus purgata, quadripartitò diuiſa ex aqua coquuntur, donec tenereſcant: dein ſaccharo condiuntur, odorem, ſaporem & priſtinas uires propè retinentia. Saccharo enim clarificato & ad ſyrupi conſiſtentiam percocto immiſsa, feruent dum ſaccharum ſyrupi conſiſtentiam recuperarit: quam omiſit, ubi fructuum humore ſolutum ueluti recruduit. Eadem in fruſta idonea ſecta, diutiùs ex uapore dulcis aquæ donec tabuerint cocta, ſacchari albiſsimi partibus æqualibus excepta, & ad ſolidam conſiſtentiam perducta, cydoniatum cōmune, aut Diacydonium uulgare, ad menſę do na ſecundæ conſtituunt, quod ante epulas ad unciam ſumptum aluum ſiſtit, poſt epulas uerò ſoluit, & uapores ex uentriculo ſublatos deprimit. Sunt qui ſacchari tres tãtùm partes admiſceant, alij uerò duntaxat dimidias. Quòd ſi cydonia aqua dulci percocta, linteo ſine compreſsione colentur, colatum cum ſaccharo in cerati conſiſtentiam percoquatur, fit gelatina cydoniorum: quam quia ex ſucco cydoniorum etiam parant, Cydoniacum, ex ſucco cydoniorum uocant, cui ſuccus ribes aut oxyacanthæ ad ruboris gratiam affunditur.

*Cydoniatum commune.*

*Gelatina cydoniorum.*

Hæc eſt triplex, & uſitata cydoniorum conditura. Meſueus cydonia perpurgata in iulebo multum

multum aquoſo primùm coquit, & poſtridiè in iulebo alio propemodum perfectè cocto, aromatizata moſcho, uaſe uitreo reponit, iulebo cui incocta fuerint ſuperiecto. Alij ex melle coquunt, alij ex ſapa, alij præterea condiunt aromatibus, alij aliter. Auicennas decocta cydonia ex mellis parte una & aqua dupla, aut uino & melle, quandoque etiam melle ſolo aromatibus condita, melle etiam ſuperfuſo reponit. Atque ea diacydonij ſimplicis uſurpationem ſibi uendicant, cuius uſus eſt ad appetentiam languentem excitandam, & coctionem iuuandam in parum feliciter concoquentibus. Ventriculum, iecur, & cætera uiſcera roborat, uomitum ac lienteriam ſedat, & alui fluorem cohibet. Ad uomitum compeſcendum à cibo, ad fluorem uerò alui ſupprimendum ante cibum exhiberi debet. Sed quia in Diacydonio compoſito longè efficacior uirtus præſtat, primùm Nicolai Diacydonium ubique uulgatum proponendum eſt. Habet cydoniorum probè perpurgatorum in aqua coctorum libras tres, mellis deſpumati libras quatuor. Cydonia diligenter in pila trita, cum melle lento igne coquantur, rudicula ſemper agitando donec idoneam ſpiſsitudinem nacta ſint. Quibus igne ſublatis priuſquàm refrigerentur, aſperge aromatum ſequentium puluerē tenuiſsimum, ſpatula ſemper agitando. Nempè cinnamomi unciam unam & dimidiam, zingiberis unciam unam.

*Diacydoniū Nic. comp.*

piperis, galangę, ana ſemunciam. caryophyllo-
rum, nucis moſchatæ, ana drach. tres. ſpicæ, li-
gni aloes, maceros, cardamomi, ana drach. du-
as. zedoarię drach. unam. Extendatur maſſa in
tabula marmorea priùs ſtillaticio roſarũ liquo
re in quo moſchi aliquid ſolutum ſit illita, re-
frigerata cultello fruſtatim ſecetur. Quod ſi al-
uum ut ſoluat expetis, priùs quàm è lebete ex-
trahatur, & in marmorea tabula extendatur,
ſcammoneę bene tritę ſemunciam in libras ſin
gulas inijce. Omnia poteſt quæ pręcedens, eo-
que efficaciùs quòd uẽtriculi intemperiẽ frigi-
dam propriè iuuat, flatus diſſoluit, fœtorẽ oris
ex ſemiputrido uẽtriculi halitu, atq; adeò toti-
us corporis diſijcit, floridũ corporis habitũ re-
ſtauratis uirib. & rediuiuo ſanguine & ſpiritu
facit. Sumptũ eſt ex Arabũ familia, Meſueo p̃-
cipuè, qui duplex electuariũ ex cydonijs hu-
iuſmodi aromatib. aſperſum parat, ad uentricu
li exolutiones leuandas idoneum. Cydonia ta
mẽ partim uino, partim aceto incoquit, Auicẽ-
nam ſecutus: cuius tres ſunt Diacydonij huius
cõpoſiti deſcriptiones lib. 5. quarũ ſecunda Gal.
medicamentũ exprimit. Cæterum in calida na
tura & affectib. bilioſis demenda ſunt aromata
*Diacydoniũ ſine ſpecieb.* (tuncq; Diacydoniũ ſine ſpecieb. dictum inſti-
tuitur) & cydonia ipſa aceti parte tertia uel di-
midia coquenda ſunt, quibus ſuccus malorum
granatorũ acidorum, pondere cydoniorum di
midio, interdum etiã ſucci citri quarta pars ad-
ditur,

ditur, & aromatum loco ſpodij, oxyacanthes, roſarum rubrarum, trium ſantalorum, ſeminis oxalidis, ſingulorum portiones æquales permiſcendæ. In media quoq; & temperata natura, aromatũ præſcriptorum dimidiũ inducendum eſt, ut uarijs corporũ & morborum cõditionib. medicamentũ reſpondeat. Quæ omnia cùm ex Gal. uelut uberrimo omniũ bonorum fonte hauriantur, illius medicamentũ ex ſucco malorum cotoneorũ conſtans (Diamelon aut Diacydonion dicitur) deſcribendum eſt. Accipit ſucci malorũ cotoneorum dulciorũ & maiorũ, quę ſtruthia Gręcis, nobis cotonea fœmina dicũtur, ſextarios Romanos duos, hoc eſt, uncias mẽſurales 40. quibus mellis optimi tantundem miſcebis. aceti ſextariũ unum & ſemiſſem: aut ſi multùm acre fuerit, ſextariũ unum. Hæc ubi ſuper prunas modicè coxeris, & ſpumam detraxeris, immittes zingiberis unc. 3. piperis albi 2. (aut unam, lib. 8. comp. phar. part.) Dein rurſus lento igni recoques, dũ mellis Attici craſsitudinẽ, aut ſtomachicorũ medicamentorum idoneá cõſiſtentiá adeptũ fuerit. Quòd ſi ualẽtius adſtringere uoles, ex ſucco cotoneorum maſculorũ quę parua, rotunda ſunt, & abſolutè cotonea dicuntur, cõficies. Iecori inualido in primis utile, ſtomachicis & hepaticis cõmodũ, uẽtri robur cõciliat, qualiter uentriculo imbecillo adhibet lib. 7. meth. Gal. eoq; appetẽtia carentes, & cibos auerſantes in fluore alui

*Diacydonium Gal.*

*Ex lib. 6. ſal. & lib. 8. cõp. phar. part.*

Cap.5. ex cruditate nidorulenta recreat lib.8.Meth. ieiunis datur mediocris myſtri menſura: quanquam nec ſi à cibo ſit ſumptum, quicquam lædit. Commodè quoque dabitur, etiam ſi prius pranſus quiſpiam ante cœnã id ſumpſerit, maximè tamen tempeſtiuè, duabus aut tribus horis ante cibum. Intemperiè uentriculi frigida, zingiber ad uncias quatuor, piper ad tres aut duas, & dimidiam augeri debebit, non ſecus ac bilioſo ſtomacho utrumque auferri, & ſuccus malorum cum aceto & melle tantùm, ad præſcriptam craſsitudinẽ coctus dari. Quòd ſi neutra adſit intemperies, ſed medium omninò ſit temperamentum, piperis & zingiberis pręſcripti dimidiũ ſat erit, nimirũ piperis uncia una, zingiberis una & ſemis. Quam medietatẽ profectò ſequi præſtat, ut uſu ipſo ſi opus eſt utriuſq; modum inaugeas. Etſi non me latet, Galeni modo paratum nobis à pręceptore Syluio aliquando oblatum tam ualens fuiſſe, ut cuiuſuis guſtum effugeret: ut nõ ambigam tertiã, aut etiam quartam aromatum partem condiendo medicamẽto ſufficere poſſe. Vtitur quoque eo, quod ex carne cydoniorũ parabat lib.
Lib.8. comp. ph.part. 8.meth. quod habet: Malorum cotoneorũ carnis lib. tres, mellis & aceti tantundem, piperis quadrantem, zingiberis tantundem, petroſelini macedonici unciam unam. Vtriuſque me-
Cap.11. minit Paulus lib. 7. paulo tamen aliter quàm retulimus. In eo nanque quod ex cotoneorum

car-

carnibus deſcribitur, malorum cotoneorũ purorum libras tres, in uini peruetuſti ſextarijs tribus coquit: quibus piperis, aniſi, liguſtici, ſing. contritorum unciam admiſcet. Nonnulli etiam zingiberis ſemunciá addunt, & in uicem uini acetum ſupponunt. Eſt & aliud apud eundem Cydoniatum contuſum fragmentis ſaluis, ab iſtis longè diſsidens. Meminit uerò Oribaſius medicamenti ex ſucco malorum Galeni, idq; in totum deſcribit lib. de loc. affect. cur. quarto, & lib. 3. Synopſeos. Alexander quoque Trallianus lib. 7. in ſtomachi affectibus Diamelon duplex deſcribit, Galeni medicamento ferè par, niſi codices noſtri iá diu damnatam & diminutam ſuam fidem interponerent. Capit malorũ cotoneorum purgatorum, & poſtquàm cõtuſa fuerint expreſſorum lib. tres, zingiberis uncias tres, mellis ſeſquilibrã. Succus cum melle ad melleam craſsitudinem incoqui debet: deinde ſic arida contuſa, & tenui cribro creta adijci. Quod quidem etiam ſine aridorũ puluere conficit, in quibus piperis uncias duas codex græcus omittit. Aliud uerò magis adhuc affine, quod codices Græci omittunt, capit cotoneorum ſucci ſextarios quatuor, mellis tantundem, aceti hæminam. Hæc ad prunas moderatè coquantur, deſpumenturque: deinde zingiberis optimè in pollimen triti unciæ quatuor inijciuntur, piperis albi uncia, & rurſus ad mellis craſsitiẽ lento igne decoquantur.

*Cydoniatum Pauli.*

*Diamelon Trall.*

Quòd si purgans efficere medicamentum uoles, lachrymæ scammonij uncias tres immisceas. Ex quo sanè expressũ uidetur Nicolai Diacydonium solutiuum nobis usitatũ, ut Auicennæ & Mesuei cydoniatũ scammonium, & turbith capiens reticeam. Sunt tamen apud eundẽ cydoniati purgantis descriptiones alię duę, quarum altera etiam in podagra repetitur. Mala cotonea octo, scammonię uncia adiecta, extrinsecus fermento obducito, assatoq́;. Vbi assa probe fuerint, scammoniam cũ malis citra fermentum læuigato, mellis quod satis est adijcito, ut neq; crassum neq; ualde liquidum euadat, uase uitreo recondito, ac dato ex eo cochlearia duo aut tria pro ægrotantis uirium ratione. Quem purgantis cydoniati morem imitatus est Auicennas, scammonium in malo cydonio fermento obducto assando, in secunda Diacydonitis solutiui descriptione. Quod ex Galeno fluxit, qui lib. 1. alimentorum scammoniũ malo cydonio incoquit, ut gratiorem purgandi uim efficiat. idq́; imitati pasim Arabes, scammonij sæuitiam uentriculum exoluentem cydonij coctura refrẽnant. Hincq́; cõtingit, ut cydoniatum Lugdunense scammoniatum quibusdam in usu probetur. Porrò cũ plurima sint cõfectionis è cydonijs simplicis & purgantis genera apud Nic. Alexandrinum, nulla tamen est quæ huc suo merito trahi debeat, præter eam quę annumeratur Antid. 113. ex qua Nicolai

*Diacydonium solutiuũ.*

*Lib. 11. cap. 1.*

*Sect. 27. & in Antid.*

*Diacydoniũ Alexand.*

Præpo-

Præpositi prius enumerata formula omninò defluxit, immutatis prorsus ponderibus. Capit carnis cotoneorũ repurgatæ sesquilibram, con ijce in libras duas mellis puri, & coque ad iustã cõsistentiã. Deinde sumpta ex eo portione, po ne super marmor, ut periculũ de idonea cõsistẽ tia fiat. Posthæc inijce cinnamomi exagia qua-tuor & dimidiũ. zingiberis exagia tria. piperis, galangæ, caryophyllorũ, nucis moschatę, sing. exagium unum & dimidium. spicę, ligni aloës, maceros, cardamomi, sing. drach. unã zedoarię drach. dimidiam. Subigantur ambab. manibus unà cum melle & carne cotoneorum, dein fun dantur super marmor priùs illitum stillaticio rosarum liquore moscho cõdito. Quòd si ut al-uum subducat efficere uolueris, adijce diacry-dij exagium unum & dimidium. Cõtusum re-cõde in uase, utitor cum uino bono. Est autem Exagium, ut obiter moneam, põdus scriptulo rum quatuor, æquatum aureo, sicilico, & La-tinorum sextulæ. Cæterùm nec me latet, cydo-niati solutiui alia multa plerisque esse usitata genera, qualia ꝓ humorũ purgãdorũ uarietate scãmonio, turpeto, cnico, elleboro, epithymo adiectis effingunt, quorũ multa sunt exẽpla a-pud Auicen. Mesu. & Alexand. quibus lubens supsedeo, medicamentorũ uulgariũ nobilitatã tantũ originẽ describens. In multos annos du-rat Diacydonion optimè reconditũ, adeò ut 7. annis asseruatum integrum, nec ulla qualitate immu-

*Exagium.*

*Sect. 27.*

Lib.2. alim. immutatum nobilitarit Galenus. Ex cydoniorum quoque genere celebratum antiquis fuit edulium Meloplacontium dictum, quod eadem temporis perpetuitate insigne ex Iberia Romam in patinas recens transmittebatur. Cuius meminit Galenus lib. 2. alim. & Paulus libro 7.

## DE MYROBALANIS Conditis.

### *Cepulæ conditæ.*

Cepulæ Myrobalani condiuntur recentes, si harum est facultas: uel siccę, sed arte prius humectatæ. Recentes quidẽ graues, magnæ, multæ carnis, densæ, stylo passim confixæ, ex aqua igni lẽto coquantur, donec tenerescant. Aqua deinde exprimitur his super asserem immissis, & exiccatis. Triduo postea mulsa macerantur, igne lento clementer coquuntur, uase uitreo reconduntur, ac melle cui incoctæ fuerint merguntur, post sex menses utendæ. Siccas uerò ante conditura m hoc modo humectabis. Aqua sub sole dies octo macerentur, postea separatim obrue arena humida, tertio aut quarto quoque die nouanda, aqua sæpè superfusa donec tumefiant, & humectentur, idque uel in dolio, aut alio uase magno fiat, uel in fossa quadã subterranea magna, loco humido. Sic humectatæ, ut prius condiendæ.

Fructus tam externi quàm nostrates, aut

saccharo

ſaccharo,aut melle, aut utroque condiuntur: interdum integri & cum ſeminibus, ſed ferè imperfecti,interdum ſeminibus purgati. Cepulę hodie conditæ ex Aegypto translatę,ab Italis & Luſitanis ad nos demittuntur,ut non magnam earum condiendarum aut humectandarum curam nos ſubire oporteat. Auicennas,ut Meſueus arena, fimo quoque humido obruit & humectat. Hæ conditæ purgant quidem minùs, nutritorias partes magis roborant, ſtomachum & uentriculum firmant, ut auſtera omnia: appetẽtiam ſollicitant, coctionem promouent, cerebri actiones omnes uegetant, facultate animali ſiccato uentriculo ſynceriore reddita, indeque uiſum clariorem reddere creduntur, & iuuenilem corporis habitum tueri, uentriculo nutritorijsq; partibus confirmatis, probaq; coctione procurata, qua perfecta corpus perbelle nutritur, nullis obſtructionibus, aut inde orientibus morbis eſt obnoxium, ſicque integer æui flos permanet, ſolidæque ſuo ſtant corpore uires. una mane ieiunis dari poteſt ſingulis aliquot diebus.

## *Myrobalani Emblicæ.*

Emblicæ quoque pręſtantiores magnæ, carnis multæ, denſæ, graues, oſſium paruorum, aqua in ſole macerantur, dũ humectatæ eo quo ſuperiores modo condiantur. Sunt qui præterea condiunt aromatib. cinnamomo, xiloaloe, carda-

cardamomo, croco, moſcho, gallia & ſimilibus. Cerebrum, neruos, cor, hepar, uentriculum & partes laxas conſtringēdo roborant, & intemperiem humidam ſiccando corrigunt. Tremori cordis conferunt, appetentiā inuitant, uomitū ſiſtunt, furorē & latratus eius cohibēt, uim animæ rationalē augent, calorem uiſcerū inſigniorem, & inde natā ſitim extinguūt. Datur una mane, ſingulis aliquot diebus, ad ſiſtendā fluentem nobilium aluum. Condiuntur autē crebrò hę duæ myrobalanorū ſpecies, quia amplę & inſignes, quanquam flauę etiam belliricæ & Indæ conditæ afferuntur.

## *Fructuum conditura.*

Fructus omnes tam recētes quàm ſicci condiuntur ſaccharo aut melle, aut ambobus. Cōditi melle magis calent & tergent, minusque uentriculo iucundi ſunt: cum ſaccharo contrà. Ij priùs aqua macerati, ſaccharo ad ſyrupi conſiſtentiam cocto immiſsi incoquuntur, donec ſyrupi conſiſtentiam ſaccharum recuperarit, quam fructuum immiſſorum humore perdiderat. Quin & fructus ipſos mulſa aquoſa parumper decoquimus, eoſdem extrahimus, mulſam ad aquæ conſumptionem percoquimus, eamq; ueluti tectoriū recōditis fructibus inducimus, dum ad ſyrupi conſiſtentiā exactè deuenerit. Sicci fructus recentibus ſimiles reddūtur, uelut pruna paſſa, & uuę paſſę, ſi modicè com-

compunctæ in aqua frigida macerentur. Sic enim statim tumēt,& pleniores redduntur. Eo quo diximus modo condiuntur mala medica, & quæ Aurantia dicūtur, integra, & horum cortices, limones, nuces myristicæ, quas moschatas uulgo dicimus, iuglandes nostræ, poma, pyra, persica, præcocia, armeniaca, pruna præsertim dactylina, cerasa, corna, baccæ ribes, & oxyacanthæ, omphaces, & cætera id genus. Nuces uerò iuglandes uirides depellatæ, diebus nouem quibusdam aqua pura indies ter aut quater mutata macerantur. Alijs autem dies quatuor edulcandis nucibus sufficiunt, si aqua fluuiali multa & sæpè mutata macerentur, quòd nouem diebus insipidę euadant, & semiputres. Eæ postea coquuntur aqua, donec tenerescant: siccantur uento aut linteis, caryophyllis & cinnamomi portiunculis cōfiguntur, deinde ut reliqui fructus condiuntur. Alij nuces immaturas ter fuso potiùs quàm stylo acuto & ferreo configunt, aqua sæpè mutata macerant, coquunt. ubi teneræ euaserunt, mox in aquam frigidā parum conijciunt, exemptas depellant, leuiter siccant, caryophyllis, cinnamomo configunt, saccharo clarificato & percocto tegunt: quod secundo aut tertio quoq; die, quia recruduit parū, est coquendū, nucibus tamen exemptis. Sic enim uirides & puræ permanent, nec tabentes marcescunt. Saccharum deinde perfectè coctum nucibus reddēdum, quò fidelius

*Nuces condita.*

seruen-

ſeruentur. Quod exemplum in condiendis cæteris fructibus ſeruandum eſt.

## *Citria condita.*

Citria interdum integra fruſtatim ſecta, ſaccharo clarificato condiuntur, interdum uerò cortices tantùm, hoc modo. Hi carne purgati, lixiuio claro merguntur diebus nouem, mutato ad diem quintum: pòſt merge aqua clara, donec amaritudine depoſita dulceſcant. tunc uaſe mundo aqua fontis plurima coquantur, donec tenereſcant: aquoſa deinde ſubſtantia ab his expreſſa, in uaſe lapideo mergantur horis uiginti quatuor, iulebo ſufficienti ex ſaccharo albo & aqua tripla conſtante, pòſt coquantur igne lento ad penidiorum cõſiſtentiam. Extracti ex hoc iulebo cortices, uaſe uitreo reponantur, ſuperfuſo ſingulis uiciſsim uelut incruſtandis iulebo roſato, ad mediocrem ceu ſacchari candefacti craſsitiem cocto. Sunt qui ambare & moſcho aromatizant. Dantur poſt menſem. Ventriculum firmant, cor & hepar roborantq́, coctionem iuuant, oris gratiam & habitum commendant, ijsq́ue nominibus in compoſitiones cardiacas ueniunt. Eodem condiuntur modo cortices Aranciorum & limonum. Confectiones porrò Diacitriu Pauli, Aetij, & catharticum ex citrio Actuarij, hîc lubentes omittimus.

Semina

## *Semina condita.*

Semina non pauca ſaccharo incruſtantur, interdum integra & qualia tulit natura, præſertim ſi parua ſint: interdum depellata, ſi magna, ut amygdalæ, nuces pineæ, auellanæ. Coriandrum in tabula politi decliua, crebro ſuccuſſu prius ab aliena materia, & quaſsis granis purgatum, aceto merſum, horis circiter octo maceratur, igni frigitur ac ſiccatur: dein ut reliqua ſemina conditur, quæ ſaccharo puro ad ſyrupi conſiſtentiam cocto, manu ſubinde mota, ſuccuſſa, confricata, paulatim cochleari affuſo incruſtantur, & ceu tectorio quodam ueſtiuntur. Quo modo citri & arancij corticem minutim ſectum, & cinnamomũ uulgare integimus, & caryophyllum, uocamusq; ſaccharum aranciatum uel canellatum. Idem fit in cortice cucurbitę, & carbaſſatum uocant. Id ipſum ſæpius factitamus in ſemine aniſi, anethi, fœniculi, cari, cucumeris, cucurbitæ, abſinthij ſeriphij: quod ſemen contra lumbricos & Barbotinam uocant. Strobyli, nucleiperſicorum, prunorum, piſtacia, auellanæ, amygdalæ dulces & amaræ, ſiccatæ eodem modo incruſtantur. Atque ea ferè nobis dicuntur Tragemata.

## *Flores conditi, Conſerua roſarum.*

Hodie ſic fit: Roſarum rubrarum nondum perfectarum, recentium exungatarum folia in

mortario lapideo teruntur, mox duplum sacchari admiscemus, & citra insolatum reponimus uase uitreo aut uitrato, non tamen ad cumulum repleto, ut feruenti sit locus, nec foras exiliat.

Saccharum rosatum recentibus Græcis, & iunioribus medicis appellare placuit: cùm rectius rosæ saccharatæ, aut, ut uulgo loquimur, Conserua rosarum dicenda sit: flores enim ipsi saccharo cum condiantur ad dulcorationem & conseruationem, denominationem rectè facient. Sic uiolas saccharatas, flores buglossi saccharatos, atque alia huiusmodi meliùs, quàm saccharum uiolarum aut buglossi appellamus. Rosas saccharatas Mesueus ex rosis rubris, nõdum apertis, in umbra siccatis, dum tota excrementicia humiditas euanesceret, parabat: quæ plurimùm ad intemperiem humidam emendandam conferebant, etsi id hodie à largiore saccharo habere possunt. Tritis in mortario lapideo sacchari triplum addebat, reponebat uase uitreo, & mensibus tribus insolabat. Quidam hodie florum conseruas gratiores faciunt ex florum folijs purgatis, non tritis, saccharo optimo & siccissimo puluerato alternatim instratis, deinde insolatis.

Saccharum rosatum aliud hodie nobis appellatur, quod fit ex saccharo soluto in aqua æquali stillaticia rosarum albarum, uel melius in succo rosarum rubrarum exunguatarum, ut uim

atuim alui detinendæ retineat: & ad electuarij solidi crassitiem coquitur, & in marmor butyro aut amylo superlitum iniectum latescit, dum coaluit. in tessellas seratur, saccharum rosatum tabulatum uulgò dicitur. Sunt qui saccharum in aqua infusionis, aut decocto rosarum rubrarum siccarum solutum coquunt. eoq; quod ex aqua rosarum fit, album est præstantius: quòd rosæ rubræ albis præferri debeant. Ventriculum, cor & uiscera reliqua intemperie calida dissoluta & languentia firmat, refrigerat, præsertim recens, & sitim extinguit, repentesq; in arcē cerebri uapores reprimit. Ob id febribus biliosis pręcipuè iam cocta materia confert. Tabidis & sanguinem reiectantibus uetus prodest, adeò ut longo huius usu mulier phthisim euaserit, Auicennæ testimonio. Idem aqua hordei dissolutum, dysenterias lenit. Est apud Alexandrinum sacchari rosacei cōfectio, huic quam superius diximus omnino affinis.

*Lib.3.fen.10. tract.5.*

*Sect.39.*

## *Conserua uiolarum.*

Saccharum uiolatum quod uocant, fit ut rosatum: florum uiolarum nigrarum recentium, pediculo purgatarum, in mortario lapideo tritarum libra una sacchari duplo miscetur, mox ut conserua rosarum reponitur.

Mesueus triplum saccharum admiscet, & uiolas ipsas paulò diutiùs quàm rosas in

umbra ſiccat, cum ſaccharo inſolat, ut excrementiciā humiditatem ſiccando abſumat. Etſi Manardus minùs diu ſiccandas exiſtimet, ne earum uis reſolui facilis, promptius euaneſcat. Bilis feruorem mitigat, ſitim extinguit, aluum lenit, uiolentius quàm roſatum refrigerat, ſed ingratius faucium & gutturis aſperitati opitulatur, & aſperam arteriam lenit, dilatat, ideò pleuritidi ſalubre, ſi per ſe paulatim lambatur, uel cum aqua hordei ſumatur. Efficacius eſt quod ex uiolarum recentium ſucco aut infuſione multiplici paratur, ut roſatum.

## *Conſerua Bugloßi.*

Fit ſaccharum bugloſatum ex floribus boraginis noſtratis recentib. pediculo purgatis, in pila tritis, addito ſaccharo duplo. Cor ipſum roborat, eiusq́; tremorem & ſyncopen ſanat, manicos & melancholicos iuuat: datur per ſe, aut cardiacis compoſitionibus ſæpe admiſcetur. fit ex floribus bugloſsi uulgaris, quod Echium dicimus, efficax ad ſerpentum morſus, quodq́; præſumptũ uenena arcet. Saccharum roſmarinatum, uulgo Anthoſatum, ex florib. Libanotidis & roriſmarini, cor, uentriculum, cerebrum roborat, earumq́; partium intemperiem frigidam ſuo calore corrigit, quo etiam flatus diſsipat. Ex floribus cichorij ad iecoris & partium nutritoriarum intemperiem calidam, & uiſcerũ obſtructiones. Ex floribus perſici

fici cholagogum & hydragogum, ex floribus saluiæ ad frigida cerebri & neruorum uitia & uteri imbecillitatem: ex floribus nymphеæ, ad biliosarum febrium feruores & ardores somnumq; accersendum: ex floribus genistæ, ad renum & lienis obstructiones. Atq; ea omnia uno eodemq; modo condiunt, ut floribus recentibus purgatis & tritis duplum saccharum admisceant, ut sit ualentius, licet ingratius, aut triplum ex Mesuei præscripto. Quibus omnibus ueluti ex præscripta formula, addunt betonicæ saccharum, pæoniæ, maioranæ, melyssophylli, scabiosę, sambuci, menthæ, fumarię, eufrasiæ, cæterorumq; florum, quorum uim ex ipsius herbæ floribus ad suspecta uitia facere posse confidunt. Similiter quoq; parantur nobis herbarum quarundam natura exuccarum cõseruæ, ut adiantorum omnium, quibus in analepticis ac uires restaurantibus distillatis utimur. Herbæ recentes in mortario teruntur, saccharo duplo miscentur, insolantur & deponuntur.

# DE PASTILLIS AVT TROCHISCIS

## SECTIO OCTAVA.



Astillorum antiquis ut uaria nomenclatura, ſic nec unica eſt ratio. Quidam enim ægris exhibebantur antidotorum ſpecie, quales ferè ſunt quorum ad magnarum compoſitionum confectionem ſolus uſus remanſit. Quo in genere magna fuit ueterum oſtentatio, quæ nobis non tam penuria rerum quàm inſolentia penè intercidit. Alij uerò induntur, quorum efficacia uſum fecit celeberrimum, ad ea quæ infrà umbilicũ infeſtant. Ventris enim inferioris morbi paſtillos ex infuſo recipiunt, quorum uaria ſunt munia. Partium nanque inferiorum alacritas, dum per inteſtina acria & ea quæ mordent exeunt, obtundentium genus requirit. Alterum eſt adſtringentium, quibus immoderatas fluxiones ſiſtimus, & partium robur confirmamus, eorumq; uaria eſt ad alui & ſanguinis profluuia inteſtinorũq; difficultates ſupellex. Adurentium genus tertium ad depaſcentia inteſtinorũ ulcera accommodatur. Eaq; eſt omnino paſtillorum qui induntur ratio. Illinuntur etiam plurimi & externis uitijs adhibentur, quorum innumerabiles ſunt antiquorum ad ulcera deſcriptiones. In

his

his principatum obtinent Andronis, Muſæ, Polyidæ & Paſionis nomine celebrati paſtilli, adhuc uulnerariorum medicorum opere ſatis uſurpati. Paſtillorum omnium hæc eſt ex Celſo ratio. Arida medicamenta (quibus penè conſtant) contrita humore non pingui aut uino uel aceto coquuntur, & rurſus cocta inareſcunt, atque ubi utendum eſt eiuſdem generis humore diluuntur. Hæc quia ex pulueribus & tritis medicamentis conficiuntur, inter arida medicamenta, quæ Græcis ξηρία dicuntur, reponenda ſunt. Quorum materia humore idoneo ſoluta, in rotulæ aut orbiculi formam, qualis eſt ſemini lupini coacta, τροχίσκους aut κυκλίσκους efficit, quos & ἀρτίσκους, quòd paruos panes exprimant, paſtillos dicimus, ἀρτίσκια καὶ κυκλίσκια uocat Damocrates. Quorum hodie ita rarus eſt uſus, ut magnarum compoſitionum oſtentui ſoli ferè ſint deſtinati, hiſque potius delicias quàm medicinam faciamus. Necdum enim Horatianum illud euiluit, Lib.5.ca.17.

*Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.*

Qui tamen in uſum ueniunt, uino, aqua, aut alio liquore cõuenienti diſſoluti propinantur, admouentur, aut etiam alijs medicamentis admiſcentur, ut antidotis & mixturis ad uiſcerum robur confirmandum. Quæ ſola penè eſt hodie huius medicamenti utendi ratio.

Assumendorum, ut penè constans est drachmæ unius pondus: sic & eorum qui ad sopiendum dolorem stupefacientia habent medicamenta, parcior debet esse modus. Hi nanque intra scriptulum, aut semidrachmam cōsistunt, quem etiam terminum aperientibus pastillis præfiniuit Montagnana. Admouendorum pro loci laborantis, morbi & naturæ respectu, liberalior erit copia. In trochiscorum usu quia ingratè nimis diminuti ab antiquis uidemur, licebit totam eorum rationem ex Antyllo, Oribasio, Paulo, Alexandrino & Actuario assumere.

*Lib. ad Iul. 10. cap. 24. Lib. 7. cap. 12. Sect. 41. Lib. 5. meth.*

## *Troch. Theriacorum apparatus ex Gal. & Act.*

Theriaci pastilli hoc modo concinnantur, Viperę notandę magnitudinis uiginti, aut paulo plures pro totius cōfecturæ quantitate assumātur, eæque uenatu captæ, non quouis anni tempore, sed exacta hyeme, uere ineunte, aut etiam extremo uere (ut Crito) uel æstatis initio. Præstat autem quæ ad ueris initia captura fit, ubi latebris relictis in apricum prodeunt, & nemora petunt, ac subdiales semitas, quo tempore marathri semine oculos recreant, audacesque sunt & celeres, nec uirus tam maleficum retinent: fugiendæ uerò sunt delitescentes, quòd maligniorem uim tabificam in se contrahant, quæq; non ita pridem ex latebris

*Gal. lib. 1. de Ant. lib. 11. simp. & Nic. Alex.*

bris prodeunt. Permittendę nanq; ſunt aeri ali quandiu,ut cibo conſueto & idoneo alimento ueſcantur,uimq; uenenatã digerant. Suſpectæ etiam quæ æſtatem attingunt, præcipueque caniculæ ſidus, aut ſuccedens horariorum fructuum tempus. Tunc enim intenſiſsimum uirus habent,& bilis plurimùm,quo nomine immoderatam ſitim confectio tota excitaret.Qua ratione cauendæ quoque ſunt, quæ loca maritima & ſalſa incolunt. Deligantur magnæ, ualidæ, bene habitæ, corpore toto & uentre ſinuoſiore, ſubflauæ, collo ualde prominenti, capite latiore, oculis ſubrubris, rutulis & impudentibus, interritis, trucibus & feroci aſpectu, quibus meatus adſit ad extremam caudam, quæ nec ſint circumuolutæ, ſed potius contortæ & gradu quieto ſerpentes. fœmina enim à mare hac nota diſsidet, quodque caninos dentes & acutos duobus plures obtinet. fœtæ tamen & pręgnantes fugiendæ,quòd nimis emaciatæ ſint:tuncq; magis exaſperentur. Captarum igitur idoneo tempore uiperarũ adhuc uiuentium, recentium,caudas & capita præcide,in magnis uiperis ad digitos quatuor. Damocrates quidem capita ad tres digitos, caudam ad paulo maiorem quantitatem præcidit,quòd hæ partes uirulentæ ſint, magis duræ, & carnis expertes. Quem tandem ſequutus eſt Galenus,caudam amputans,quòd ſordidiorem totius ſubſtantiæ portionem pars hæc

magis exercita ſuo motu attrahat, quamuis e-
Lib.11.ſimpl. tiam aliter aliquando factitauerit. Verùm inter amputandum partes illæ ſunt ſedulò inſpiciendæ, num poſt exectionem exangues, immobiles, penitusq́; emortuæ appareant. Tales enim tanquam ad medicamenti miſturam inutiles, abdicandæ ſunt. Sin in truncatis partibus motum etiamnum quẽdam reliquum & cruorem aliquandiu effundi conſpexeris, eæ tanquam optimæ Antidoti compoſitioni ſunt immiſcendæ. Ad hæc tota cutis ad amuſsim eſt deglubenda, & adeps ceu inutilis detrahendus, ſimulq́ue interanea omnia, quæ ſunt excrementorum receptacula. Poſtea corpus reliquum aqua pura probè lotum, in uas aliquod fictile uel cortinam bene nitidam & exterſam conijcere conuenit, ac carbonibus pulchrè accenſis aut lignis acapnis, ne in coctura fumum nidoremq́ue redoleant, imponere. Decoquantur autem in fontana, in quam anethi uiridis ramuli, & ſal recens conijciantur. Quòd ſi idoneo tempore uiperæ captæ ſint, ſal admiſceri debet. ſin uerò æſtate, ſine ſale decoqui debent. Anethi ſicci faſciculum mediocrem Damocrates imponit, ramulos mediocres Actuarius: aniſum Alexandrinus, niſi menda ſubeſt. Atque ubi carnes probè ita coctæ fuerint, ut ſpinas & oſſa promptè relinquant, tum depoſito ab igne lebete ſpinas accuratè ſecerne, ne qua clam te carnibus inhæ-
reat.

reat. Ac poſtquam carnes ita repurgaueris, eaſque triueris, panis quàm maximè puri ex puriſsima ſimilagine confecti, quod paſtillis formandis ſatis ſit, admiſce, & in panificia, ut Andromachus quoque cenſet, redige: qui quandoque panis momentum, hoc eſt, partem dimidiam, uel tertiam, uel quartam, interdum quintam, quantum ſcilicet paſtillis formandis ſufficeret, admiſcebat. Crito panis unciam unam, carnium uiperarum ſedecim immittebat. Magnus & Damocrates pares carnium & panis portiones miſceri iubent, ſicque eas unà cum pane deterunt. Pane igitur triticeo puro optimè, & diligenter cocto, ne medicamentum aceſcat, friato, & ad læuorem in mortario cum carnibus ſubacto, accurateq; miſto, ut nulla uiperinæ carnis portio non læuigata appareat, quidam affuſo decocti juſculo quod ſatis eſt, paſtillos efformát. quod cum omnibus antiquis longo interuallo factitauerat Galenus: poſtea tamen emendauit, panem ſiccum non decocto uiperarum irrigatum admiſcens, cùm ex pane ſicco facilius paſtilliſſiccescant, nec ita promptè caro putreſcat, aut panis aceſcat, isque per ſe in læuorem tritus carni uiperinæ, ſeorſum quoque prius exactè leuigatæ melius miſceatur. Quibus omnibus diligenter animaduerſis, paſtillos mediocres non craſſos, ne cùm ægrius ſiccentur, caro celerius putiſcat, efformato, interque fingendum

gendum pauxillum opobalſami adijcito, ac in umbra reponens, eos ad medicamenti totius compoſitionem adſeruato. Siccandi uerò ſunt in domo calida & ſicca, ſublimi & meridiem ſpectante, aut ſaltem non ſeptentrionem, ut bona diei parte domus ſolis radios excipiat, ſic tamen ut paſtillos in umbra locatos ſolis ſplendor & radius non attingat. Sic enim facilè ſiccabuntur: etſi continenter uerteris, utraque parte æqualiter. Niſi autem uertantur, parte superna plus iuſto ſiccantur, inferna humidiores, dum diutius exiſtunt, putreſcere periclitantur. Siccati in eadem domo etiam extra ſolis radios condantur, continuè uertendo alijs diebus plurimis ut quindecim: pòſt, donec Theriacam ſis præparaturus, repone uaſe uitreo, aut aureo, aut argenteo puro, non ſtanneo, quòd promptè propter plumbi admixturam adulteratur, ut ex argento non purgato celeriter ferruginem contrahit. Præſtaret quidem non multo poſt apparatum his paſtillis uti: efficaces tamen ſunt ad annũ, uel etiam diuturnius tempus repoſiti. Initio nanq; probè ſiccati, & reconditi annis tribus aut quatuor uires ſeruãt, ſi modò puluerem ipſis obductum linteis puris aliquoties abſtergeas. Situs enim contracti occaſione perforantur, tuncque inutiles euadunt, alioqui utiles: etiãſi aliquot annos attigerint. Hac moderatione cõſtat theriacorum paſtillorũ apparatus, quem ſtrictim ex Galeni

Galeni libris antidotorũ, Theriaces ad Pisonẽ & Pamphilianum, & lib.11. simpl. Auicenna, Actuario, deniq; ex Syluio suppeditauimus. Horum quoq; structurã paucissimis uerbis sic cõplectitur Paulus: Sumuntur uiperæ quatuor aut quinque, fului coloris, & recens captæ, & quaternis digitis à capite & cauda amputatis, totaq; cute detracta & interaneis exemptis, reliquum corpus in fictili nouo cum anetho & sale modicè discoquitur, dum spinæ à carnibus segregentur. Deinde his exceptis, ablatisque accuratè à spinis carnibus, & panis puri æquali modo addito, læuigantur omnia pariter, formanturque orbiculi manu in opobalsamum intincta, in umbra refrigerantur. Hos trochiscos de uipera Arabes, Trochiscos de Tyro uocant: quorum structura totius celeberrimæ antidoti & incomparabilis propè unicum est solidumq; fundamentum. Hos etiam aliunde aduectos, quòd uiperis careamus, uicaria fide ad Elephantiam & accommodatos usus usurpamus. *Lib.4.meth.* *Lib.7.cap.11.*

## *Hedychroi magmatis, confectio Gal.*

℞ Aspalati radicis corticis,
Calami aromatici,
Schœnanthos,
Phu,
Costi
Asari,

Xylobalſami,
Caſiæ,
Maſtiches,
Foliorum malobathri, ana drach. ſex.
Nardi Indicæ drach. ſexdecim.
Croci drach. nouendecim.
Amaraci drach. uiginti.
Cinnamomi,
Amomi.
Myrrhę, ana drach. quatuor & uiginti.

Vino falerno optimo omnia probè excipiantur, & in paſtillos formentur, manu in opobalſamum intincta, in umbra ſiccentur & reponantur.

Non eram adſcripturus hanc confectionem, quòd magna ex parte eius materia deſideretur: niſi cùm ad Theriaces ornatum perualde neceſſariam, tum uerò antiquis celebratiſsimam eſſe intelligerē. Quòd ſi eorum conatus probandi ſunt, qui nobiliſsimorum medicamentorum penuriam ſuccedaneorū ſupellectile reſtaurarunt: ut ne præclariſsimæ Antidoti fructu diutius carere uideremur, non fuit in eo quoque, ut nec in cæteris, deficiendum: quandoquidem ſi nō in primis datur, in ſecundis tamen & tertijs conſiſtere dignum laude iudico. *Lib. de Th. ad Piſ.* Hedychroi magna quod deſcripſimus, à Galeno Magno attribuitur, eoq; uti uult in Theriaces apparatu, quanquàm & aliud deſcribitur *Lib. 1. Ant.* in fine Theriaces ad Pamphilanum. Andromacho

macho quoq; aliud attribuitur quod capit mari, amaraci, ana drach. 2. asari, aspalathi, schœnuanthos, calami aromatici, phu Pontici, xylobalsami, opobalsami, costi, cinnamomi, ana drach. tres. myrrhæ, folij malabathri, croci, casiæ, nardi Indicæ, ana drach. sex. amomi duplũ. mastiches, chię, drach. unam. Omnia uino falerno subacta & excepta magma efficiunt. Magna est huius confectionis uarietas apud Paulum, Aetium, Actuarium & Alexandrinum.

## *Cypheos cõpositio Damocratis ex Gal.*

℞ Vuæ passæ pinguissimæ (à qua cortex ac semen totum sint exempta) carnis læuigatæ probè,
Terebinthinæ bene repurgatæ, ana drach. uiginti quatuor, att.
Myrrhæ,
Schœnuáthos seu iunçi rotundi, ana drach. duodecim.
Cinnamomi drach. quatuor.
Bdellij lachrymæ,
Spicæ nardi,
Cassiæ bonæ & puræ,
Cyperi,
Baccarum iuniperi grandium & pinguium,
Calami odorati, ana drach. tres.
Aspalati drach. duas & dimidiam.
Croci drach. unam.
Mellis & uini modus sit mediocris.

Bdellium

Bdellium, myrrham, uinum in mortario tere, ad mellis liquidi crassitiem: melle superaddito uuam cum alijs tere. Omnia ubi læuigata fuerint, fac cyclos paruos.

Cypheos composito, quia Mithridation utrumque adornat, eam ex Galeno hoc modo descripsimus, sicque parandam Rufus prodidit. Cuius permultas habes descriptiones apud Dioscoridem. Paulus etiam libro 7. Cyphi ἡλιακὸν καὶ σεληνιακὸν describit. Miscetur medicamentis, pręcipuè epithematibus & antidotis, quæ inde Cyphoida Paulo dicitur. *Trall. lib. 7. cap. 22.*

## *Trochisci scillini.*

Scillam recentem fœminam candidissimam iustæ magnitudinis, nō admodum enormem, bene habitam & nutritam, neq; putridam, neque gelu flaccidam, cum folia & caulis exactè inaruerint, aut messis tempore erutam, corticosa parte & radice lignosa adempta, farina tritici optimi recentis subacta & fermentata inuolue, non luto, argilla aut gypso, quod faciebat Crito (id nanque est sordidum) deinde calido cinere copioso, uel clibano calido æqualiter assato, dum maza crustam duriusculam undique contraxerit, ac festuca scillæ corpus per rimas promptè penetret (is enim est coctVræ terminus.) Crustulis abiectis, scillæ partes interiores & tenerrimas, hoc est, eius medullam, diligenter læuigare oportet, atque *Gal. in Thec. ad Pis. & Act.*

admi-

admixtis erui candidi parum torrefacti farinæ optimę recentiſsimæ, & ad amuſsim læuigatæ æquis portionibus, ut uolebat Damocrates (nō duabus partibus ut Andromachus, neque dimidio ut Magnus) omnia ſimul terere, & in paſtillos mediocres cogere, qui in umbra repoſiti & ſiccati, ut theriaci uſui reſeruātur. Quidā erui farinæ penuria micam panis friatam, ut in paſtillis theriacis addunt. Atque ea eſt ſcillę aſſatio, quæ efficaciſsima redditur. Coctura enim aut elixatione uires amittit. Quo nomine Galenus ad medicamenti epileptico idonei apparatum diuturna in ſole maceratione tabefacit, qua uelut coctura idonea, & æquali flaccida reddita in ſuccum penè conuertitur, elixationem uerò damnat. Cruda tamen ſcilla interaneis eſt nocentiſsima, cuius uarios apparatus habes apud Dioſcoridem. Trochiſcos uerò ſcillinos præter Galenum, Aetius, Paulus, Actuarius, Auicennas, & Alexandrinus deſcribunt. Paſtillos è ſcilla compoſitos ex Archigene parat Alexandrinus ſect. 41. ad Phlegmonem & omne lienis uitium, & aquam quæ cutim ſubit, ex ſcilla eo quem diximus modo præparata: cui addit ſemen dauci, aniſi, ſeſeleos, ericæ, ramos chamædryos, radicem panacis, chamæpityn, irida, ſemen urticæ, fructus cedri, myrrham, & eruum tritum excorticatumq́;.

## *Troch. Ramich. Mes.*

℞ Succi oxalidis unc. ſexdecim.
Roſarum unc. unam.
Baccarum myrti unc. duas.
Semel ferueſiant & colentur. Colato adde,
Gallarum recentium accuratè tritarum uncias tres.
Coquantur iterum aliquantulũ, atq; inſpergatur ſequentium minutiſsimus puluis:
Roſarum unc. una.
Santali flaui unc. una & drach. duæ.
Gummi Arabici unc. una & dimidia.
Carnium rhois, hoc eſt ſumach,
Spodij, ſing. unc. una.
Omphacij drach. ſeptem.
Granorum myrti unc. quatuor.
Ligni aloës,
Caryophyllorum,
Maceros,
Nucis moſchatæ, ſing. ſemuncia.

Miſce omnia ſimul, & extende in ſcutella lapidea dum ſiccentur. Exiccata rurſus in tenuiſsimum puluerem terantur, & formentur trochiſci parui cum caphuræ aureo uno, & aqua roſarum ſufficienti. In umbra libera exicati reponantur.

*Ramich.* Ramich Arabum inuentum eſt, mixturamque ex gallis & uuis paſsis ſignificat. Serapioni uerò galliam, aut galliæ materiam. Hos tro-

trochiſcos multæ compoſitiones recipiunt, quarum gratia ferè parari putãtur. Vſurpamus tamen in inteſtinorũ & alui totius lubricitate, acriumq; humorum per ſedem profluuio. Infuſo enim acrimoniam obtundunt, & impetum ſiſtunt, eoq́ue nomine choleræ morbo ſuccurrunt. Hæmorrhagiam omnem ſtipandi ui cohibent, naribus immiſsi aut medicamentis admixti. Viſcerum languores, uentriculi, cordis & hepatis imbecillitates firmant. Horum præcipuus eſt uſus in Diacodio, ut præſcripſimus. Sunt qui ſucci oxalidis loco ſumunt ſuccum cydoniorum immaturum, & paſtillos iſtos aromatizant moſchi drachmæ unius quarta parte.

## *Troch. de abſinthio Meſ.*

℞ Roſarum,
Abſinthij,
Aniſi, ana drach. duas.
Rhabarbari,
Succi eupatorij,
Aſari,
Seminis apij,
Amygdalarum amararum,
Spicæ,
Maſtiches,
Folij, ana drach. unam.
Finge trochiſcos cum ſucco intybi.

Efficaciſsimi ſunt & magni in re medica

usus si folium haberemus, pro quo quidam nardum Indicam, aut eiusdem cum sampsycho æquales partes substituunt. Longis & diuturnis febribus sunt saluberrimi. Obstructa enim uentriculi, hepatis, ab ijsque dolorem leuant, partesq; naturales omnes roborant, deiectamq; appetentiam suscitant. Horum usum in potionibus medicis quibusdam clarissimis uiris familiares esse ad internas obstructiones, mihi conscius sum. Exhiberi possunt cum aqua eupatorij, apij, aut intybi distillata. Affinis est pastillus Alexandrini ex absinthio, ad eos quib. refrigeratus est stomachus, iocinerosos & stomachicos idoneus, quem describit numero 58. Alter uerò pastillus ex absinthio hemicranicus numeri 41. falsam habet indicaturam. Ex Thapsia enim nominari debet, ut satis ex Elencho patet, & numero 157. qui pastillum hunc prius descriptum ex Thapsia uocat: ut ne addam Galeni autoritatem & Pauli, qui hunc eundem descriptum habent. Est alius pastillus hepaticus ex Actuario sumptus, ad iecinorosos & regio morbo laborantes, qui capit anisi seminis, apij, asari, amygdalarum amararum, absinthij, singulorum pares portiones. Describitur à Galeno libro 8. com. phar. part. & ab Alexandrino quater, numeris 5. 32. 37. & 115. Paulus pastillos ex amaris amygdalis uocat, exhibetque febricitantib. cum hydromelite, febri uerò carentibus ex mulso. Valde quoque affinis qui Alexandrino

*Lib. 2. comp. ph. part. cap. ultimo.*

*Cap. 8.*

xandrino deſcribitur numero 130. quòd præter dicta rheum & eupatorium & ſantalos recipiat. Auicennas Trochiſcorum de abſinthio duas habet deſcriptiones, quarum prior cum communibus illis Alexandrini trochiſcis conuenit, altera uerò paulùm à Meſueo diſſentit. Capit aniſi aureos duos. aſari, abſinthij Romani, ſeminis apij, amygdalarum excorticatarum, maſtiches, ſpicæ, omnium ana aureum unum. aloës, folij indici, ſing. aureum unum & dimidium. ſucci eupatorij, aureum unum. Tritis omnibus formentur trochiſci. Meſuei porrò deſcriptioni quadrat paſtillus Gal. libro 9. comp. phar. part. ad ictericos & hepaticos. Capit amygdalarum amararum mundatarum drach. quatuor. aniſi, abſinthij, utriuſq; drach. unã. Tuſa & cribrata aqua ſubigito, & ex uino mulſo non febrientibus exhibeto. Trochiſcos ex abſinthio de quinq; rebus deſcribit Serapio tract. 7. horumq́; duas habet formulas non abſimiles Halyabbas in opere medico.

*Lib. 5.*

*Trach. de Abſinth. Auic.*

*Cap. 9.*

## *Troch. de rheo Meſ.*

℞ Rhabarbari boni drach. decem.
Succi eupatorij,
Amygdalarũ amararũ, ana drach. quatuor.
Roſarum drach. tres.
Spicæ,
Aniſi,
Rubiæ,

Absinthij,
Asari,
Seminis apij, ana drach. unam.
Formentur trochisci pendẽtes aureũ unũ.

Horum usus est in febribus ex decidentia acutis, & impendente malo corporis habitu ex intemperie hepatis frigida: plurimuumque prosunt ictericis, hydropicis, hepaticis, & cachecticis ex deprauata hepatis actione. Obstructiones, tumores præter naturam, dolores & affectus iecoris inueteratos tollunt, aquei, acris, serosi & biliosi humoris deiectione. Pastillos Actuarij ex Indico rheo, quem per omnia sequutus est Alexandrinus, rectè usurpari potest ad iecinoris & lienis meatus infarctos, uentriculumque confirmandum. Capit rosarum siccarum, absinthij, rhei Indici, sing. drach. tres: Alexand. Act. duellam. spodij, spicæ indicæ, floris iunci odorati, laccæ purgatæ, succi eupatorij, cuiusque drachmam. santali citrini, croci, casiæ ligneæ, tragacãthi, mastiches, sing. script. duo: Alexand. Actuarius uerò casiæ duplum ponit: & tragacanthi, mastiches, utriusque script. duo. Trita omnia & cribrata cum succo fœniculi subigito, & in pastillos redigito: qui propinantur Actuario, cum aqua in qua lacca maduerit, & oxosacchare: Alexandrino uerò, cum fœniculi decocto. Nonlongè disimiles trochisci de Rhabarbaro Auicennę: sed non ita compositi. quibus etiam respondẽt Sera-

*Troch. Act. ex Indico rheo.*

Serapionis troch. de rhabarbaro, tract. 7. cap. 18. Hîc ſuccus eupatorij parcior eſt, quàm ut eo comprehendi omnia poſsint ad trochiſcos efformandos: quare opus ipſum aqua caſſuthæ, aut abſinthij ſucco addito augemus. Dantur drach. una. ex aqua aut uino pro affectuum cæterorumque coindicantium ratione. Sunt alij trochiſci de Rhaued, Rhaſij ad Almanſorē lib. 9. cap. de iecoris dolore & abſceſſu, cum Meſuei deſcriptione plurimùm conſentientes. Capiũt maſtiches, ſucci eupatorij, ſucci abſinthij, ſeminum fœniculi, aniſorum, ſing. drach. duas. rhaued drach. decem. Cum abſinthij ſucco paſtillos effingito aurei unius. *Troch. de Rhaued Raſii.*

## *Troch. de gallia moſchata, Meſ.*

℞ Ligni aloẽs crudi partes quinq;.
Ambræ partes tres.
Moſchi partem unam.

Muccilaginis tragacanthi cum aqua roſacea extractæ, quantũ ſufficit ad ea cõprehẽdenda. fiant trochiſci figura folij myrtei, ſigillentnr, & uaſe uitreo reponantur. Alij ambram in uaſe uitreo, oleo balanino pauco quod de Been dicitur, diſſoluunt, eodemque oleo cætera comprehendunt.

Galliarum plurimæ ſunt in trochiſcis confectiones, Meſu. nomenclaturã à gallis fructib. uſurpãtes, quas ferè per ſe aut per trochiſcos ramich, qui largã habẽt gallarũ copiã, recipiunt.

Neutrum tamen habet gallia moſchata uſitatiſsima in compoſitionum aliarum apparatu, & per ſe quidem ſumpta multis diebus ex uino, uel iure, uel aqua deſtillata, in ea quę ex longo morbo fit recreatione. Ventriculum enim, hepar, & nutritionis inſtrumenta, cerebrum, corq; ipſum ualde roborat, & uires diuturno morbo defectas reficit. Hac etiam utimur electuariorum ſolidorum figura cũ ſaccharo, aut liquidorum cum melle, ſi huius uncias duas, ubi delicatius uoles: aut tres, ſi ualentius, una ſacchari aut mellis libra exceperis. Propinari poteſt ad ſemunciam, & tutò uſurpari ad totius corporis odorem commendandum.
Galliæ moſchatæ meminit Actuarius, in altera Antidoto ex unionibus, ubi σὸκ μοσχάτον uocat (quæ uox ex Arabum familia deducta eſt, Suc enim galliam dicunt) etſi σοὺκ pro rhoe culirio aliquando uſurpat. Afferri ex Oriente, ſed malè paratam, ſcribit Manardus. Confectio galliæ moſchatæ Nicolai, quam confectionem Moſchatam uocat Alexandrinus, & Antidotis accenſet, habet maſtiches unc. duas. gummi arabici unc. unam. caphuræ ſcript. unum. Trita molliſsimè ſtillaticio roſarum liquore irrigato, & formato paſtillos. In umbra ſiccentur, terantur ſubtiliſsimè: oleo Sambacino, quod iaſmininũ uocant, incoquantur. Adde cinnamomi, caryophyllorũ, nucis moſchatæ, ana

*Gallia moſchata Nic.*

tæ, ana ſemunciam. fac trochiſcos, illine moſcho aqua roſarum ſoluto. Hodie uerò ſic paratur, ut maſtiche trita ſuper cineres calidos ex olei drach.una ſoluatur. gummi & caphura trita adduntur, affuſa pauca aqua roſarum. Sit autem oleum Sambacinum purum, & ſordium expers: non Sambucinum, ut malè in uulgatis Nic. codicibus legitur. pro quo perperam quoque ebuli oleum apud Alexandrinum habetur, ut nec rectè ad dimidias decoquitur.

## *Troch. aliptæ moſchatæ Nic.*

℞ Ladani puriſsimi unc. tres.
Styracis calamitis unc. unam & dimidiam.
Styracis rubri unc. unam.
Ligni aloës drach. duas.
Ambaris drach. unam.
Caphuræ ſcript. unum & dimidium.
Moſchi ſcript. dimidium.
Aquæ roſarum quod ſatis ſit ad efformãdos trochiſcos.

Delicata eſt hæc compoſitio, & ad delicias maximè ſuo odore accommodata, ſuffitu & uaporatione grata. Cor & cerebrum roborat, uentriculum puerorum imbecillum & uomitione lac effundentiũ confirmat, in ijsq; pectoris anguſtias & anhelationes iuuat. Additur ad multas confectiones, quas ſua uoluptate & odoris quodam lenocinio precio addicit. Ladanũ per

 ſene-

ſe negligenter & craſsius teratur, & ſtyrax uterque ſimul parum tritus, per cribrum rarum cernendo purgetur. Tria hæc catino impoſita ſole æſtiuo, uel ſine hoc, diplomate, hoc eſt, uaſe duplici liquentur, potius quàm mortarij aut piſtilli calore uehementi, ut uult Nicolaus. Liquata piſtillo in mortario, utroque probè ſiccato, diu tundantur, addendo paulatim puluerem ligni aloës. In alia pila in qua amygdalæ aliquot oleoſæ, dum piſtillum & pilam totam illeuerint, tritæ fuerint, primùm ambar tere, deinde caphuram & moſchum, aqua roſacea paulatim affuſa, miſce reliquis, & forma trochiſcos. Sumpta eſt ex Nic. Alexandrino hęc deſcriptio in Antidotis, ubi moſchatam confectionem uocat, & mendoſè caphuræ ſcriptuli dimidiũ pro uno & dimidio legitur. Vulgati Nic. codices Aliptam moſchatam uocant, fortè quòd in unguenta & emplaſtra ad gratiam conciliandam ueniat. Videndũ porrò eſt in his moſchatis confectionibus, ut ſua cuiq; propria reddatur. Meſuei namque compoſitiones galliam moſchatam ſibi familiarem capient, ut & Nicolai Antidoti eiuſdẽ moſchatam confectionem meritò aſſument. Quæ cauſſa eſt, ut utraſque deſcripſerimus.

*Troch. de ſpodio Meſ.*

℞ Roſarum rubrarum drach. duodecim.
Spodij drach. decem.

Seminis oxalidis drach.sex.
Seminis portulacæ,
Seminum coriandri aceto maceratorum & torrefactorum,
Pulpæ rhois, hoc est sumach, ana drach.duas & dimidiam.
Amyli asi,
Balaustiorum,
Baccarum berberis,ana drach.duas.
Gummi Arabici asi drach.uná & dimidiam.
Omphacij quod sufficit ad omnia cōprehendenda,ut efformentur trochisci.

Dicuntur hi trochisci de spodio cum semine oxalidis,& adstringentes,quibus utimur ad alui profluuium, & dysenteriam , infuso uel potu cum aqua arnoglossi, uel uino austero, aqua chalybeata diluto. Prosunt febribus biliosis, hepatis & uentriculi inflammationi, quibus adest intestinorum lubricitas : acrium , calidorum , & mordacium humorum traiectione . non sine intestinorum exulceratione , fluorem enim sistunt , & uentrem inferiorem roborant , uacuata prius ex toto corpore quæ descensum minabatur materia . febrium ardentium æstum & sitim inexpletam, drach. una sumpti cum aquis idoneis, sedant. Atque hi trochisci ex multa pastillorum ad dysentericos ex autoribus supellectile præcipuè usurpātur, nō illi quos primùm describit Mesueus,omnino similes pastillo qui Spodios Alexan-

*Troch. è ſpodio Act.* Alexandrino dicitur numero 52. Paſtillus è ſpodio Actuarij, acutæ febri, & iecinoris calori continuæque ſiti conferens: Capit roſarum ſextulas quatuor. ſpodij, ſeminis portulacæ, ſucci glycyrrhizæ, ſing. duellam. tragacanthi candidi, amyli utriuſque drach. ſacchari duellam, ſubigito cum muccagine pſyllij. Quem omninò expreſsit Alexandrinus, niſi quòd paulùm ponderibus uariat. Trochiſci Auicennæ de ſpodio cum ſemine oxalidis ad affectus ſupradictos ſunt efficaciſsimi, haud multum iſtis diſsimiles. Præter quos, alios etiam trochiſcos de ſpodio cum manna deſcribit. Sunt & apud Serapionem tres trochiſcorum de ſpodio deſcriptiones, quarum una ſemen oxalidis capit. Horum quoque tres uarias habet deſcriptiones Haly abbas in opere medico libro 10. quales quoque deſcribit Raſius libro 9. & 10. ad Almanſorem. Horum præcipuus eſt uſus in parando electuario, de pſyllio, & de ſucco roſarum Meſuei. Spodium autem Arabum huc intelligendum uenit uerum, non ebur uſtum, neque Græcorum ſpodium è fornacibus ærarijs petitum, pompholygi affine, interaneis nocentiſsimum.

## *Troch. è myrrha Raſy.*

℞ Myrrhæ drach. tres.
Lupinorum optimè tritorum drach quinq;.
Foliorum rutæ,

Men-

Mentaſtri,
Pulegij,
Cumini,
Rubiæ,
Aſſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opopanacis ana drach. duas.
Succi artemiſiæ quod ſatis ſit ad efformandos trochiſcos.

Deſcripti ſunt ex Raſio lib. 9. ad Almanſoré, in menſtruæ purgationis retentione. Tarditatem enim menſtruam ſollicitant, quæ ex craſsiorum & frigidorum humorum opacitate, aut ſanguinis concreta fœculentia orta ſit, attenuando, incidendo, & infarctos meatus aperiendo. Quibus affectibus magnificè opitulantur hi trochiſci, creberrimeque in uſum ueniunt ad præcauenda periculoſiſsima uitiorum genera huic inuitę purgationi imminētia. Pulegium ceruinum quidā pro pulegio & cumino legunt: & Dictamnum creticum intelligunt, alij ſerpillum, alij pulegium uulgare capiunt. Sunt qui pulegium ceruinum & cuminum addant, etſi Gradenſis pulegium & cuminum ſimpliciter legit. Paſtilli formandi ſunt cum ſucco arthemiſiæ, aut ut alijs placet cum ſucco rutæ, abſinthij aut ſabinæ. Exhihentur uerò Raſio ex ſeminis iuniperi decocto, idque efficaciſsimè.

Troch.

## *Troch. de carabe aut ſuccino, Meſ.*

℞ Succini aut carabe aureos ſex.
Cornu cerui uſti,
Gummi Arabici aſsi,
Coralli uſti,
Tragacanthi,
Acaciæ,
Hypociſthidos,
Balauſtij,
Maſtiches,
Laccæ lotæ,
Papaueris nigri aſsi, ana aureos duos.
Thuris,
Croci,
Opij, ana aureum unum & dimidium.
Formentur trochiſci cum muccagine ſeminis pſyllij.

His utimur ad omne ſanguinis profluuium, eiuſq́ue ex pectore refuſionem & cruentum ſputum. Manantem enim ſanguinem ſiue ex thorace, ſiue ex pulmonibus, hepate, renibus, utero, hæmorrhoidibus fluxerit, cum ſucco plantaginis, uel herbæ ſanguinalis, uel myrti, uino granatorum, aqua pluuia aut chalybeata, aut omphacio, drachmæ unius pondere potis ſiſtunt. Dyſenteriæ etiam infuſo proficiunt, eoſq́ue ex enemate ad inteſtinorum cruenta tormina ad drachmas duas ſæpe adhibemus, perpurgato prius corpore.

Paſtillus

Pastillus ex Electro aut succino Galeni, capit psyllij mundi drachmas quadraginta quinque. iridis Illyricæ, masticheS, ramentorum succini, croci, sing. drachmas triginta. opij drach. quindecim. Psyllium in aquam calidam coniectum macerari sinito: cumque uiscosa & glutinosa aqua sit reddita, liquorem è psyllio exprimito, ac medicamentum parato in pastillos cogendo, ex quibus obolos tres dormitum euntibus dato. Aquæ uerò sextarij tres sunto. facit ad hæmoptoicos, tusses recentes & diutinas, tabidos, cruenta extussientes, suppuratos, cœliacos, dysentericos & inflatos. Paulo fiunt hi pastilli ex electro, & psyllij uncijs quinque. mastiches, iridis, scobis electri, croci, sing. uncijs quatuor. opij uncijs duabus. Oribasius psyllij drachmas quadraginta facit. reliquorum libram unam. opij drach. quindecim, cum Galeno. Alex. Trallianus in psyllio cum Gal. consentit, succini, iridis Illyricę, croci, mastiches, sing. drach. triginta quinq;. opij drach. tres ponit. Alexandrinus psyllij, iridis Illyricæ, mastiches, electri, croci, sing. unc. unam facit. opij unc. duas. Etsi alius est pastillus de Electro Alexand. num. 77. qui fœnumgræcum loco psyllij recipit, in reliquis consentit. Actuarius quibusdam cum Paulo consentit, nisi quòd scobem loti arboris siccantis & adstringentis pro ramento succini ponit. Sunt earundem uirium ad prædictos affectus

*Pastillus ex electro Gal. Lib. 7. comp. phar. part. cap. 4.*

*Lib. 7. ca. 12*

*Lib. 3. synops.*

*Lib. 8. cap. 6.*

paſtilli de corallio, Galeno, Paulo, Oribaſio, Actuario & Alexandrino deſcripti, ex multa paſtillorum ad ſanguinis reiectationem farragine: ut Auicennam, Serapionem & Raſium libro nono ad Almanſorem, prætercam.

## *Troch. de terra ſigillata Meſ.*

℞ Sanguinis draconis,
Gummi Arabici aſsi,
Ramich,
Roſarum rubrarum,
Antheræ, hoc eſt ſeminis roſarum,
Amyli aſsi,
Spodij,
Acaciæ,
Hypociſtidos,
Lapidis hæmatitis,
Balauſtij,
Boli armeniæ,
Terræ ſigillatæ, uel ſigilli lemnij,
Corallij,
Succini,
Margaritarum,
Tragacanthi,
Papaueris nigri, ana drach. tres & dimidiã.
Seminis portulacæ aſsi,
Cornu cerui uſti,
Thuris maſculi,
Nucum cupreſsi,

Croci

Croci, ana drach. duas
Cum aqua arnoglosſi fac trochiſcos.

Terra ſigillata dicitur terra lemnia, ſphragis lemnia: hoc eſt ſigillum lemnium, ueterum autoritate nobilitatum ad quancunq; ſanguinis profuſionem. Ex quo trochiſcos iſtos lubenter uſurpamus ad cruenta ſputa cum aqua arnoglosſi aut portulacæ ſumptu & admotu. Liberalem quoque hæmorrhagiam ſiſtunt cum ſucco polygoni, plantaginis & ouorum candido, fronti & temporibus illiti, fœminarum etiã abundãtiam morantur, in uterum immiſsi, aut lumbis, coxis & pubi illiti. Cruento lotio per urethrã, tubulum urinarium iniecti medẽtur. Dyſentericis & intereanorum exulcerationi infuſo cum ſucco burſæ paſtoris benefaciunt, aut cum ſucco cydoniorum, aut alio quouis adſtringente. In aſcribendo porrò pondere Nicolai uulgatos codices ſequutus ſum. Aequale enim drachmarum duarum pondus apud Meſueum ex interuallo poſitum ſuſpectam æſtimationem facit. Sedenagi etiã & Euphiſtidem (quod hîc habebat uetus interpres) non ſine multorum exemplo propter ambiguam ſignificationem: tum uerò minimè ſeriam efficacitatem omiſi: pro quo quidã fumariam, alij cannabis ſemen uſurpari uolunt. Earundem ſunt uirium Aſteres Galeno, cęteriſq; primæ claſsis autoribus deſcripti, quos Arabes & medicantium turba Trochiſcos ſtellæ uocant.

E Trochi.

## Troch. diarhodon Mes.

℞ Foliorum rosarum rubrarum, aur. sex.
Spicæ aromaticæ,
Ligni aloes, ana aureos duos.
Glycyrrhizæ, aureos tres.
Spodij, aureum unum.
Croci, aureum dimidium.
Masticћes, drach. duas.
Cum uino albo fac trochiscos pondere drachmæ unius.

Trochiscorum de rosis multę cùm sint apud Mesueum descriptiones: quidá tamē hos solos in electuario de psyllio & catapotijs è rhabarbaro usurpát, nuncupationesq; ipsas trochiscorum diarhodon & de rosis longo interuallo distinguunt. Alij utrolibet nomine ultimam trochiscorum de rosis formulam multorũ scriptis ad uarios affectus celebratam indicant, eaq; in Mesuei cōpositionibus utuntur, quę recipit rosarum drach. quatuor. ligni aloes drach. duas. mastiches drach. unam & dimidiam. absinthii Romani, cinnamomi, spicæ nardi, casiæ ligneę, schœnuanthos, ana drach. unā. Cum uino antiquo & quinq; radicũ diureticarum decocto effingito trochiscos drach. duarum. Sunt qui alia quoq; descriptione utendũ putent. Trochiscos enim de rosis & eupatorio nuncupatos efficaciores existimat Manardus. Istos efficaces ad multos affectus experimur, iecoris obstructionem,

nem, febres antiquatas & cõplexas, icterum & aquá intercutem impendentẽ, uentriculi & nutricularum partium imbecillitatem causariá ex morbi diuturnitate & intẽperie frigida, humida, superuacaneamq; humorũ stomachi cauo collectorũ colluuiẽ deturbãdam. Auicẽnas lib. 5. plurimas habet trochiscorũ de rosis & diarhodon descriptiones: quarum una purgatoria est ex scammoniæ admixtione, primæ trochiscorũ de rosis Mesuei descriptioni consentiens. Pauli pastillus diarhodon longè diuersus, alijsq; affectibus adhibendus. Omnibus náq; adstringẽtibus propè constás, dysentericis accõmodatus esse uidetur. Capit acacię, rosarũ, gummi, balaustiorũ, hypocistidos succi, gallarũ, sing. drach. tres. rosarũ uiridium succi, seminis plãtaginis, sing. drachmã. lycij Indici tantundẽ. Cui affinis est pastillus Nicol. Alexandrini diarhodon ad dysentericos & cœliacos probatus, numero 15. Alter uerò numeri 60. ad iocinerosos & stomachicos inscriptus, superioribus ferè respondet. Est Actuarij pastillus è rosis cor & iecur roborans, capitis dolorem abigens, quem sanguis aut bilis flaua creauit. Recipit rosarum, trium santalorum, spodij, seminis portulacæ, intybi domestici, uiolarum, singulorum partes æquales. Contusa cribrataque cum stillaticio rosarum liquore fermentantur, & in pastillos efformantur. Modus exhibendi est sextula, cum rosarum uel nympheæ zulapio. Quo-

*Pastillus diarhodõ Pauli.*

*Pastillus è rosis Act.*

niam uerò trochiſcis diarhodon ſuis Nicolaus utitur in confectionibus, quæ in illius nomine apparent, ut in diamargarito, non ſecus ac Meſueus ſuos intelligi uult, quinã in officinis uſurpētur, dicendi ueniunt. Recipiũt aũt

*Troch. diarhodon Nic.* roſarũ uiridium drach. quatuor. ſpōdij drach. duas. ſantali rubri ſeſquidrachmam, & gr. ſeptē. ſantali albi drach. unam, & gr. duodecim. croci ſcript. duo, gr. ſeptem. caphuræ gr. duodecim. Roſæ recentes in pila marmorea continenter terãtur: deinde cæterorum tenuiſsimus puluis immittatur, cum ſufficienti roſarũ ſtillaticio liquore fermētescant: tãdemq; adhibita caphura ſubigantur: formentur paſtilli, in umbra ſiccentur & reponantur. Quæ deſcriptio ex Nic. Ale-

*Num. 47.* xandrino paucis immutatis deſumpta eſt. Roſarum enim uiridium drach. tres tãtùm ponit, & croci ſcript. duo, gr. uiginti: quæ lectio profectò non temerè ſuſpecta eſt. Sequuti igitur ſumus uulgatos Nicol. codices, ubi ſantali albi pondus addidimus, & caphuræ gr. duodecim adſcripſimus, quæ alij duo duntaxat faciunt.

## *Troch. de uiolis Nic.*

℞ Violarum recentium, drach. quinque.
Amyli, drach. tres.
Papaueris albi, drach. duas, ſcript. unum.
Seminis plantaginis, drach. unam.
Rhabarbari, ſcript. quinque.
Balſami, ſcript. unum.

Trita ſubigantur, & cum ſtillaticio roſarum liquore formentur trochiſci. Ijs utimur in magnarum confectionum apparatu: quanquã per ſe ardores internos mitigant, aluumque emolliunt, gutturis aſperitates leniunt, & thoracis anguſtias leuant. Sumpti ſunt ex Nic. Alexandrino, ex quo rhabarbari ſcript. quinque repoſuimus, cùm quidã ſcriptulum unum duntaxat ponãt, etſi Nic. codex diminutus eſt. Violarum nanq; põdus omittit, quod ex ueteribus codicibus reſtituimus. Non minus quoq; corruptè Diaui ab omnibus dicuntur, cùm diaion, hoc eſt de uiolis dici debeant. Trochiſci de uiolis Meſuei ſeriò à quibuſdam uſurpantur in expurganda pituita lenta & uiſcida, quæ thoracis uias intercipit, & ſuſpirioſos facit, bileq; uitellina pituitæ permixta deturbanda. Quos aliquando ſine ſcammonio apparant, eorumque non inſolens uſus eſt apud medicos Venetos. Capiunt florum uiolarum mediocriter exiccatarum drach. ſex. turbith optimi arundinacei drach. quatuor. ſucci glycyrrhizæ, mannæ, ſcãmonij, ana drach. duas, cum liquore quem uoles idoneo formentur trochiſci. Deſcribuntur in opere Medico in aſthmate, ex Serapione tract. 7. & Rhaſio libro Diuiſionum expreſsi: etſi prius quoque eorum formulam adumbrauit in ſimplicibus, cap. De uiolis, ſcammonio & turbith.

## *Troch. de eupatorio Mes.*

℞ Mannæ,
Succi eupatorij, ana unc. unam.
Rosarum unc. dimidiam.
Spicæ drach. tres.
Rhabarbari,
Asari,
Anisi, ana drach. duas.
Spodij, drach. tres & dimidiam.

Formentur trochisci cum aqua cuscutæ aut eupatorij, in umbra libera, & uento perflata exiccati reponantur.

Efficaces sunt ad omnem lienis & hepatis obstructionem, tumoremq́; præter naturam: febres antiquatas, harumq́ue rigorem sanant. Morbo regio & hydropi subnascēti succurrūt, stomachicos iuuant, & corporis inflatus discutiunt. Actuarij pastillus ex eupatorio capit absinthij, iunci odorati, succi eupatorij, rosarum, seminis fœniculi, mastiches, sing. drach. quatuor. anisi, tragacanthæ candidæ, utriusque siciliquum. santali citrini, spodij, utriusque sextulam. Tusa, & cribro excussa, cum intyborum succo subigito, & in pastillos cogito. Potui dantur cum infuso cancami & oxymelite. Cui omnino respondet Alexand. pastillus ex eupatorio, numero 59. præterquam quòd pōderibus parum uariat, & rhabarbarum addit. Quo nomine obstructionibus uiscerum leuandis utilior

*Pastillus ex eupat. Act.*

lior

lior redditur. Alter quoque ab eodem describitur numero 66. ad ea quæ promittit efficax. Trochiscos etiam ex eupatorio parat Auicennas ad febrium antiquarum ardorem, icterum & uiscerũ tumores: ex succi eupatorij sextulis sex. rosarum rubrarum exunguatarum, & spicæ odoratę, singulorum sextulis duobus. mannæ mundatæ sext. sex. spodij drach. quatuor. Tritis omnibus, & cribro excussis, fingantur trochisci. Describuntur ijdem Serapioni & Halyabbati, uariè tamen. Rectè uerò pastilli de eupatorio adhibentur hypochondrijs suspensis & murmurantibus, induratisque uisceribus: quorum uires efficaciores ad hos affectus experimur, quàm trochiscorũ de absinthio. Nec est quòd rhabarbari additionem metuas: hoc enim addito, uiscerum & instrumentorum nutritionis robur confirmatur, uiresque morborum diuturnitate affectæ, & meatuum infarctus reseratur. *Troch. ex eupat. Auic.*

## *Troch. de berberis aut oxyacantha Mes.*

℞ Baccarum oxyacanthæ, hoc est berberorum aut succi,
Succi glycyrrhizæ,
Seminis portulacæ,
Spodij, ana drach. tres.
Rosarum, drach. sex.
Spicæ,
Croci,

Amyli,
Tragacanthi, ana drach. unam.
Seminis citruli, drach. tres & dimidiam.
Caphuræ, drach. dimidiam.
Cum manna formentur trochisci.

Recipiũtur isti trochisci in electuario rosato Mesuei, & electuario de psyllio, in eumq; usum parãtur, licet usurpari posint ad intẽperiẽ calidam, & febrium ardores, sitimq; sedandam: quanquam ad hos ipsos affectus ijs non multũ tribuat Manardus. Quibusdam magis arridet secunda descriptio Mesuei, eamq; ad supradictas confectiones adhibent. Auicennas trochiscis de berberis plurimum tribuit, eorumq; septem habet formulas: quarũ quæ quarta est, hanc à nobis adductá enixè quodammodo exprimit, cõficitq; trochiscos cum mánę decocto aut infuso. Nicolaus quoq; Alexandrinus priore sua descriptione eam omnino exprimit, nisi quòd crocum omittit, & seminis citruli pondus sesquidrachmam facit, trochiscosq; cum aqua fingit. Altera uerò cum rhabarbarum capiat, longè diuersa est. Eorundem tres habet descriptiones Serapio, duas Rasius, unam nono ad Almansorem, alteram in medicamẽtorum penu. Describitur quoque ab Actuario pastillus ex oxyacantha longè ab hoc diuersus, ad iocinoris & lienis obstructiones, & aquæ intercutis suspecta primordia.

## Troch. de caphura Mes.

℞ Foliorum rosarum, drach. quatuor.
Spodij,
Glycyrrhizæ, ana drach. duas.
Santalorum flauorum, ana drach. duas & dimidiam.
Croci,
Seminum melonum,
Citruli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Spicæ Indicæ, ana drach. unam.
Ligni aloes,
Cardamomi,
Amyli,
Caphuræ, ana script. duo.
Sacchari albi,
Mannæ, ana drach. tres.
Formentur trochisci cum muccagine psyllij in aqua rosacea extracta.

Parantur in usum magnarum cõfectionum, uix enim aliter usurpantur. Calidam iecoris & uentriculi intemperiem emendant, febribus ardentibus, earumq; inexpletæ siti succurrunt: bilis & sanguinis feruorem mitigant, cruorem uomitione refusum sistunt, tabidos, consumptos & auriginosos iuuant, & hectica febre de-

tentos. Alia eſt trochiſcorum è caphura Alexandrini deſcriptio, in uulgatis Nicolai Præpoſiti codicibus longè aliter deſcripta, & ualde diminuta. Auicennas etiam quinque formulas trochiſcorum è camphora facit lib.5. Aliæ quoque ſunt horum formulæ Serapioni, Halyabbati & Raſio, in cordis tremore & ictero. Hos ſi in febribus uſurpaueris, crocus, xyloaloe, cardamomum, ſpica, febribus aduerſa demenda ſunt, ut caphuræ qualitates nondum Medicis ſatis excuſſas ſileam, pro qua flores Nympheæ eruditiſsimi uiri ſubſtituunt.

## *Troch. de capparibus Meſ.*

℞ Corticum radicum capparum,
Seminis agni caſti, ana drach. ſex.
Nigellæ,
Calaminthes,
Acori,
Amygdalarum amararum,
Naſturcij,
Ammoniaci,
Foliorum rutæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Succi eupatorij, ana drach. duas.
Cyperi,
Scolopendrij, ana drach. unam.

Puluis horum omnium cõprehendatur ammoniaco aceto diſſoluto, & fiant trochiſci.

Iis libẽter utimur ad lienis & hepatis obſtru-

cta liberanda à craſſa & melancholica materia, quam potenter diſſecant & attenuant, natamq; inde duritiem emolliunt: flatus hypochondriacos, cæterarumq; partium diſsipant cum uino tenui, aut aqua aſplenij exhibiti. Datur Meſueo aureus unus ex uino in quo radices capparum, cortices fraxini & tamaricis, aut eorum turiones & cymæ incoxerint. Efficaciores ſunt quibuſdam, duplicato ammoniaco. Affines ferè trochiſci de capparibus Auicennæ, niſi quòd ſimpliciores ſunt, & rhabarbarum capiunt: magis tamen affines quos deſcribit Serapio. Omnium uerò maximè conueniunt cum Meſueo, quos deſcribit Raſius nono ad Almanſorem in Splenis dolore. Efficaces admodum ad preſcripta paſtillos è capparibus deſcribit Actuarius: quorum loco quidam ſplenicos paſtillos uarij generis admouent: quorum meminit Galenus lib. 9. De comp. phar. part. eoſque non unico modo deſcribit Alexandrinus.

## *Troch. alhandaal ſiue colocynth. Meſ.*

℞ Pulpæ colocynthidos albæ & leuis ſeminibus purgatæ, drach. decem.

Incidátur minutiſsimè, & fricētur per ſpaciū trium dierum, ex intermiſsione tamē, cum parte aliqua unciæ unius olei roſati. Deinde ſume

Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Bdellij, ana drach. ſex.

Macerentur

Macerentur gummium genera in aqua rosacea, donec liquefiant & dissoluantur, & cum parte istius muccaginis formentur trochisci, in umbra siccentur: siccati iterum minutissimè conterantur, & cum reliqua muccagine rursus formentur trochisci, & reponantur.

Salubrior & tutior horum usus in acuendis catapotijs, quàm ipsius colocynthidis, quę per hos pastillos quandam ueluti emendationem, & uiciorum absolutionem accipit. Iis nos sæpe infuso utimur in obstinatissima frigidorũ morborum pertinacia, cùm pituitam & humores alios crassos, glutinosos ex profundis partibus, longeq; distantibus, ut cerebro, neruis, musculis, iuncturis, pulmone, thorace, potius quàm ex uenis ipsis attractos euellere cupimus. Quo nomine in cephalalgia, hemicrania contumaci. capitis totius dolore inueterato, epilepsia, apoplexia, uertigine, asthmate, tussi diuturna, dyspnœa, thoracis angustia, ischiade, morbis articularijs frigidis, cæterorumq; frigidiorum uiciorum familia ad acuendos clysteres, trochiscos istos usurpamus. Pręcipuus tamen horum usus est in dolore colico & flatulento, deturbandæ uitreæ & uiscidæ pituitæ, ex intestinis maximè necessarius. Colocynthidis pulpa forficibus incisa, tenuissimè multumq; teri debet, ne asperæ eius partes interaneis adhęrentes, ea ulcerẽt. Mesueus in simplicibus hos trochiscos omnino exprimens, colocynthida minutissi-

mè

mè incisam glutinat muccagine tragacáthi, aut bdellij, perlinit, siccat: iterũ terit tenuissimè cũ ladano, mulsa, uel mastiche oleo rosato dissoluta in pastillos citra molestiam purgatorios cogit. Diligenter autem Medico uidendũ suadeo quantũ colocynthidis capiant. Sunt nanq; quidam, qui modum à nobis præscriptum non satis consultò excedant. Hos pastillos scriptuli unius pondere utẽdos exhibet Manardus. Nos drach. unam integram etiam securissimè & saluberrimè infuso ad affectus prædictos permisimus. Possunt etiam balanis additi supponi. Itaq; tutius adhiberi possunt quàm ore assumi, quod non temerè tentãdum existimo. In Hermetis Hieram, aliasq; compositiones addebat Mesüeus. Etsi uerò hiera illa penitus exoleuit, nõ tamẽ horũ pastillorum usus omnino desijt.

## *Troch. de lacha Mes.*

℞ Lachæ mundatæ,
Succi glycyrrhizæ,
Absinthij,
Berberorum,
Succi eupatorij,
Rhabarbari,
Aristologiæ longæ,
Costi,
Asari,
Amygdalarum amararum,
Rubiæ,

Anisi,

Anisi,
Apij,
Schœnu anthos, ana drach. unam. Formétur trochisci cum aqua eupatorij.

Trochiscis de cancamo utimur ad iecinerosos & lienosos, hydropicos, febresq; ex uiscerũ obstructionibus natas. Vrinas etiam potenter mouent, quo nomine asciti prosunt. Cancamũ autem tritum aqua fontis, cui aristolochia & schœnuáthum ad ęquas partes incocta fuerint, lauandũ, pistillo semper agitando, quoad aqua clarescat: quod resedit, coletur & siccetur. Sic namq; tenuius euadit, magisq; aperit: isq; uerus est loturæ ex Pandectario modus, nõ qui à ueteribus usurpabatur defæcatas partes & purgamenta retinens. Trochisci de lacha Auicénæ, istis sunt omnino similes, nisi quòd rhabarbarum & schœnuanthum non recipiunt. Quibus respondent quos descripsit Serapio & Halyabbas in opere Medico: quos sequutus uidetur Mesueus. Habet etiam de lacha pastillos Nic. Alexandrinus, non multum ab his differentes. Formari autem possunt cum succo eupatorij, aut fœniculi, uel intybi, ut uult Alexandrinus, quod tacet Mesueus.

## *Troch. alkekengi Mes.*

℞ Granorum alkekengi drach. tres.
Seminis citruli,
Seminis anguriæ aut melonis,

Seminis

Seminis cucurbitæ, ana drach. tres & dimi-
Boli Armeniæ, (diam,
Gummi Arabici,
Thuris,
Sanguinis draconis,
Papaueris albi,
Amygdalarum amararum,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli,
Nucleorum pineorum, ana drach. ſex.
Seminis apij,
Succini,
Boli aut terræ ſigillatæ aut lemniæ,
Hyoſcyami,
Opij, ana drach. duas. (trochiſcos.
Succi alkekengi quod ſatis eſt ad formãdos

Dicuntur trochiſci diaphyſſalidon de halicacabo & ueſicarijs, uſu tritiſsimi ad urinæ intemperantem ardorem exulcerata fiſtula urinaria, ueſica, renibus & ureteribus. Pluribus enim diebus ex aqua mulſa, zulapio roſato, aut uino auſtero ſumpti ulcera detergent, glutinant, & cicatrice tegunt, lotij acrimoniam mitigant, eiusq; ſtrigmenta muccoſa, aſpera & dolorifica cóplanant & leniunt, indeq; urinæ tarditatem aut dyſuriam tollunt. Paſtillus ex ueſicarijs Pauli capit ſeminis cucumeris ſatiui mundati unc. quatuor. ſeminis hyoſcyami, cicutæ, ſing. unc. duas. fœniculi, lapathi ſeminis, croci, *Paſtillus ex ueſic. Pauli.*

croci, nucleorum pineorum, amygdalarum amararum, opij, ſing. unciá. ueſicariæ ſextarios tres. uini quod ſatis eſt. Actuarij paſtillus è ueſicaria nõ multum diſtans, habet opij, ſeminis cucumeris, ſeminis apij, hyoſcyami, fœniculi, ueſicariæ, ſing. quadrátem, amygdalarum quadrantem, croci ſextantem, uini dulcis quantum ad fermentationem ſatis ſit. Cui affinis omnino eſt Alexandrini paſtillus è ueſicarijs, niſi quòd pondera uariant. Accommodatur drachma una ad renum & ueſicæ exulcerationes, ſanguinem lotio excernentes, muccoſa ſtrigmenta reddentes, & uehementem dolorem expertos, febre carentes, ex uino dulci aut ſapa: febriantes autem ex uino optimè diluto. Eſt alius paſtillus Ruffi hieracis Thebani, ex ueſicarijs uſu & materia longè differens, capitis & narium ulcera glutinans, & cicatrice obducẽs: qualis ferè deſcribitur Alexandrino, numero 153. Vulgati etiam Nic. codices duas adferunt ex Nicolao trochiſcorum alkekengi deſcriptiones, longè ab his quas ex Alexandrino attulimus, diſtátes. Auicennæ trochiſci diſulidis aut dyſſalidis, ex diaphyſſalidon corrupto nomine, paſtillos ex ueſicarijs Pauli ferè exprimunt. Eoſdem deſignat Serapio ſub trochiſcorum Aleſculidis nomenclatura, quos Trochiſcos apſolidis uocat Halyabbas, utrobiq; corrupta Grȩca appellatione. Bolum ſecundo loco enumeratam terram ſigillatam intelligunt, quam alij

*Paſt. è ueſicaria Act.*

alij Milton ſinopida aut Macram uocant. Parantur ut plurimùm ſine opio. Quidam granorum halicacabi quãtitatem ad drach. tres & dimidiam extendũt: alij unciam attingunt, ut nõ ingratijs illis ex ueſicarijs indicatura conſtet.

## *Troch. de agarico Meſ.*

Agaricus optimus tritus, cum uino albo cui zingiber maceratum & infuſum ſit, cogitur in trochiſcos efficaces, multum ad purgandos craſſos & uiſcidos humores, pituitamq; ipſam bile permixtã, minore noxa uentriculi, quàm ſi agaricus ſolus propinetur. Agaric9 enim, cùm leuitate ſua, & permeationis tarditate uentriculũ turbet, nõ temerè acria & penetrãtia admittit ad uiriũ & trãſitus per uiſcera obſtructa celeritatẽ. Qua ratione pluribus modis huiuſmodi trochiſci efformantur. Quidam enim ſalis gemmei tertiam partem addunt, & cum ſyrupo acetoſo ſimplici paſtillos parant. Alij manna & mulſa uicium iſtud corrigũt. Sunt etiã qui ex agarici parte una, liguſtici uel dauci parte ſexta, ſalis gemmei parte quarta, cum polypodij recentis muccagine trochiſcos iſtos effingunt. Hic tamẽ modus, quem retulimus ex Meſueo, apud omnes obtinuit. Alij oxymelite ſcillitico uires eius augent. Quem morem ferè omnes retinuimus, agaricum oxymelite macerantes, ut leuem eius & penè ſopitam acrimoniã, qua minimùm incîdit & penetrat, quoad eius fieri

F potest,

poteſt, erigamus. Quod etiam præuident Medici, qui conſultò zingiber, cinnamomum & caſsiam adhibent. Quidam rheo addito, & aloe agarici tarditatem & leuitatem corrigunt, hisque quàm cæteris uti malunt. Conciliator agarici trochiſcati operoſiorem, quàm cæteri, compoſitionem facit, addito etiã turbith. Trochiſcos iſtos inueteratos damno, quòd eſſentiæ tenuitate, & aeroſa aut ſpirituoſa ſubſtantia plurimùm efficaci deperdita, craſsiores, & ueluti fœculentæ partes remaneant, in medicamentis experiundis ferè inutiles. Quamobrem recenter trochiſcatum agaricum ſemper indicimus, ſi horum trochiſcorum uſus urgeat. Atque adeò hac in re, ut cæteris, deploranda eſt ſupina Pharmacopœorum ſocordia, qui pyxidibus paſtillos iſtos longè ante repoſitos aſſeruant.

*Cap. De uomitu.*

## *Troch. albi Raſy.*

℞ Ceruſæ lotæ drach. decem.
Amyli drach. quatuor.
Gummi Arabici,
Tragacanthi, ana drach. duas.
Caphuræ drach. dimidiam.

Gummium genera aqua roſarum ſoluantur, reliquorum pulueres tenuiſsimi addantur: fiant trochiſci.

V[illegible]ur ad collyria ſicca & humida, ad leues & iam ſeſe remittentes oculorum rheumatiſ-

mos,

mos, lippitudines ſubacres & ophthalmicos dolores leniendos, paſsimque collyrij albi Raſij nomen in officinis ſibi uendicant: etſi alij collyrium Raſij album ex tertio ad Almanſorem libro aliter parant: quod capit ceruſæ lotæ drach. decem. ſarcocollæ craſſæ drach. tres. tragacanthi drachmam unam. opij drach. dimidiam. Itaque ſine opio & cum opio conficiunt: quod etiam Meſueo in ophthalmia Zachariæ filio tribuitur, paulùm immutatis ponderibus. In collyriorum autem alborum genere, quæ antiquis commendata fuere, album aliud Zezaris quidam ex Meſueo parant: alijs ſufficit collyrium diarhodon album ex Paulo libro 7. aut Aetio libro 7. deſumptum. Eſt uerò Galeni collyrium album Trypherũ dictum ex Archigene celebratum, libro quarto Comp. phar. gen. habet cadmiæ lotæ drachmas ſexdecim. ceruſæ drachmas ſeptem. amyli, tragacanthi, gummi Arabici, ſing. drachmas quatuor. opij drachmas duas. excipe aqua pluuia. Vſus eſt cum oui candido. Cap. 16. Cap. 11. Cap. 8.

## *Trochiſcus Polyidæ, qui Sphragis dicitur.*

Recipit malicorij drach. ſex.
Myrrhæ drach. octo.
Aluminis ſciſsilis drach. quinque.
Thuris drach. quatuor.
Calchanthi drach, tres.

Fellis taurini, drach. ſex.

Vino dulci aut paſſo excipe : fac trochiſcos.

Huc accenſenda eſt præcipua uulnerariorum Medicorum in curandis ulceribus opera, à Galeno paſsim decantata, & omnibus autoribus tritiſsima. Deſcribuntur uerò hi paſtilli à Galeno ex Aſclepiade lib. 5. Comp. phar. gen. & ſæpe uſurpantur ad ulcera ſordida & humida, aurium & narium præcipuè : quamuis ſanguinis profuſionem, quòd ἐπισχετικῶν rationem habeāt. Oris & quęuis recentia ulcera & uetera emūdāt, putredines uindicāt, ſerpētia ulcera reſtringūt, auribus purulētis ſuccurrunt, ozenas & tetra narium ulcera emendant, oſsium ſiderationem & cariem corrigunt : neruorum uulnera, nomas, phagedænas, pterygia & ſuperuaneæ carnis incrementa delent. Dyſenterijs, alijsq́; plurimis naturę uicijs, quæ ſiccantia poſtulant, medentur. Soluuntur uino dulci, ſapa, œnomelite, uino albo, fuluo, aceto, aqua, oxymelite, oxycrato, melicrato, ſuccis myrti, ſolani, intybi, herbæ ſanguinalis, oui liquore, uino auſtero, alijsq́; id genus. Atq; etiam quemadmodum in his paſtillis quidam uirium ſunt gradus : ſic non ſemper, neq; temerè ijſdem utendi occaſio datur. Imbecilliorum rudimentum habet Polyidę Sphragis, quæ hîc deſcripta eſt, per quam ad Muſæ medicamentum, deinde Andronium, Paſionis & Bithyni paſtillos aſcendimus, laborantis loci natura & ulceris conditione

*Lib. 3. Comp. phar. part. & lib. 5. Meth.*

tione ſub aſpectum propoſita. Non ſecus ac Ga- *Lib.3.Comp.*
leno ulcerum curatio per paſtillos ex glaucio *phar part.&*
tentata, ad Polyidæ medicamentum, ſubinde *Act. lib. 6.*
Andronis & Bithyni proceſsit: demum etiam *Meth. cap.3.*
medicamentum ex charta combuſta perfectionem addidit. Quinetiam purulentum & ſordidum aurium ulcus Andronio medicamẽto ex aceto ſoluto percurauit lib. Meth. 5. & narium ulceribus Muſæ paſtillos indidit, remiſſa paulum partium temperie. Diluendi autem ſunt uarijs ſuccis, ut affectuum tempus, conditio, & partis quoq; ſymmetria poſtulabit. Dulcibus, ſi temperanda adſtrictio: auſteris & acidis, ſi intercipienda fluxio, & putredo uindicanda eſt, detergẽtibus ubi ſordes & eluuies plurima exhauriẽda eſt. In hæmorrhagia uerò, aceto, oxycrato, uino auſtero, & liquamentis prius dictis ſolui debent. At quia horum paſtillorum uaria eſt forma primæ notæ autoribus deſcripta: nos Galenum dato penè artis ſacramento in libris Comp. phar. part. imitati, illis magna fama autoritatem teſtatam, & multis monimentis conſignatam conſeruabimus. Paulus aliter hunc paſtillum deſcripſit. Ponderibus enim uariat, thus omiſit, & aloen addidit, quã recipit ſecundo loco deſcriptus à Galeno, ex Andromacho lib. 5. Comp. ph. gen. Alexandrinus quoq; pondera multum immutauit, aloen etiam addidit, nec thus tacuit. Eſt Polybi Sphragis apud Celſum lib. 5. huic Polyidæ Sphragidi, quã deſcri- *Cap.20.*

bit Paulus ualde affinis. Atqui haud ſcio an in mutato nomine uitiũ factũ ſit, quanquã Polybi
Cap 7. medicamentum idem Celſus lib. ſexto repetit.

## *Troch. Andronis.*

℞ Cytinorum drach. decem.
Aluminis ſciſsilis drach. quatuor.
Calcanthi drach. duodecim.
Myrrhæ drach. quatuor.
Thuris,
Ariſtolochiæ,
Gallæ immaturæ, ana drach. octo.
Salis ammoniaci drach. quatuor (in quibuſdam add.)

Lib. 5. Comp. ph. gen. Sic à Galeno ex Aſclepiade deſcribitur paſtillus Andronius. Aliter quoque ex Heraclide Tarẽtino, Critone uel Andromacho apud ſcriptores deſcriptos reperias. Celſus paſtilli An-
Cap. 20. dronij longè aliud ſchema affert lib. 5. idemque
Cap. 14. medicamẽtum Andronium lib. 6. longè ualentius ex metallicis conficit. Paulus ultimam Andromachi deſcriptionem ferè imitatur, nõnihil tamen uariat. Oribaſius duas habet differentes formas, multumque à noſtris diſtantes: unam libro 3. ad Euſtathium, alteram libro 4. ad Eunapium. Vlceribus recentibus, antiquatis & rheumaticis efficaces. Sanguinis profluuio ex
Lib. 5. & 6. eroſione adhibet Gal. aurium ulceribus, car-
Meth. & 14. bunculo & neruo præciſo, ut & reliquos Paſionis & Polyidæ paſtillos.

Troch.

## Troch. Pasionis.

℞ Squammæ æris drach. duodecim.
Aeris usti,
Salis ammoniaci,
Aluminis rotundi,
Aeruginis rasæ,
Thuris, ana drach. octo.

Aes & alia in sole ex uino terito, posteriore loco thus. pastillos confice: cumque usus postulabit, aceto dissolue.

Sumpti sunt ex Oribasio & Paulo. Aliter lõgè describuntur Nicol. Alex. Superioribus sunt efficaciores & siccantiores. *Lib. 3. ad Eustath.*

## Troch. Musæ.

℞ Aluminis scissi,
Aloes,
Myrrhæ,
Chalcanthi, hoc est atramenti sutorij, ana drach. sex.
Croci,
Crocomagmatis, sing. drach. tres.
Cytinorum drach. quatuor.
Mulso ex falerno facto diluuntur.

Viribus affines Andronijs pastillis, descripti lib. 5. Comp. phar. gen. ex Andromacho. Aliter describuntur Paulo libro septimo, & Oribasio libro tertio ad Eustathium. Crocomagma uerò fit expressis crocini unguenti aromatibus, & in pastillos redactis. Præstantius est *Crocomagma. Orib. lib. 2. ad Eustath. & lib. 11. ad Iul. Imp.*

odoratum, myrrham modicè olens, graue, nigrum, ligni expers: quod cùm ſubigitur, colorem croceum ualde reddit, lęue, ſubamarum, dentes & linguā uehementer inficiens, & quod aliquot horas perdurat. Tale eſt quod ex Syria aduehitur. Crocomagmatis ex crocino formā habet Paulus lib. 7. cap. 20. etſi aliud parat lib. eiuſdem, cap. 12. Diuerſum longè eſt crocomagma uulgatis Nicolai codicibus deſcriptum.

## *Troch. Bithynus.*

℞ Malicorij,
Gallæ,
Ariſtolochiæ,
Aluminis fiſsi,
Chalcidis,
Cadmiæ, ana denarios ſex.
Iridis Illyricæ,
Squammæ æris, ana denar. quatuor.
Chalcanthi,
Myſios, ana denar. tres.
Nitri,
Thuris,
Chryſocollæ, ana denar. duos.
Ex aceto ſub Caniculæ æſtu præparato.

*Lib. 5. Comp. phar. gen.* Sic eſt Galeno deſcriptus ex Andromacho, efficax ad nomas, depaſcentia ulcera, fiſtulas, pterygia, ſerpentia etiam ulcera (Herpetas dicunt) cum cerato, eryſipelata, & alia id genus. Aliter Paulo deſcribitur, quē imitatur Alexandrinus,

drinus, dimidiatis põderibus, nisi quòd in cadmia sesquidragmam ponit, Paulus unc. tres.

*Troch. de arsenico.*

℞ Calcis uiuæ, lib. unam.
Auripigmenti rubri & citrini,
Salis alkali,
Acaciæ, ana selibram.
Trita miscentur cum capitello.

Addendi Chirurgorum operæ, in quá incidimus, fuerunt hi trochisci de arsenico recentiorum, quibus ad fœda corporis uicia extirpãda lubenter utuntur, nomas, phagedænas, fistulas, rheumatica & maligna ulcera, reduuias unguium, putredines partium, ozœnas, polypos, condylomata, putrescẽtes gingiuas, carnes excrescẽtes & gangrænas, aliaq; generis eiusdem. Quid sit autem sal alkali & capitellum, quaq; arte paretur, ex lib. 3. De materia chirurgica Hollerij præceptoris doctissimi, unde etiam pastillos istos eduximus, petendum est. Ex quo etiã trochiscos à calce, è succo asphodeli, & alkadicon, pyrotica remedia Chirurgis notissima petẽda censeo. Alij trochisci de arsenico in uulgatis Nicolai codicibus descripti, Mesueo attribuuntur, istis non minus efficaces: quibus tamen non utimur. *Cap. De pyroticis.*

*Trochisci Bechici albi.*

℞ Sacchari albissimi, lib. unam.
Sacchari candefacti optimi,

Penidiorum, ana unc. quatuor.
Radicis ireos unc. unam, & drach. ſeptem.
Amyli unciam unam & dimidiam.
Excipe muccagine tragacanthi albiſsimi, aqua roſacea extracta: formentur trochiſci.
Trochiſcis iſtis Bechicis quoſdam uti ſcio, ad faucium aſperitatem leniendam, tuſsiculoſos & ſuſpirioſos, ideoque trochiſcis appoſuimus: etſi prius pilulas bechicas cum uulgo catapotijs adſcripſimus, in quibus Hypoglottidas noſtras albas accenſuimus, cùm arteriacæ illæ confectiones lupinorum formam adeptæ, paſtillis potius annumerari debeant.

## *Troch. bechici nigri.*

℞ Succi glycyrrhizæ unc. quatuor.
Styracis calamitis ſeſquunciam.
Sacchari candefacti unc. duas & dimidiam.
Pulueris electuarij Diaireos Salomonis,
Pulueris lohot ſani & experti, ana ſemunciã.
Penidiorum ſelibram.
Sacchari albiſsimi lib. duas & unc. tres.
Excipe muccagine tragacãthæ, ex aqua hyſſopi: formentur trochiſci nigri.
His etiam utuntur quidam ad tuſsim ſiccam in materia acri & calida, & uocis raucedinem, difficileſque pectoris excreationes.

# DE PVLVERIBVS MEDICATIS,

## SECTIO NONA.



ARidorum medicamentorũ quę Græcis ξηρία καὶ καταπάσματα, nobis ab inſpergendo pulueres dicuntur, rara eſt cura, eaque chirurgis penè ſolis deuota. Aut enim ulceribus congruunt, aut cuti applicãtur. Vlceribus debentur, quæ caua implent, excreſcentia exedunt, ſordida repurgant, cruenta reprimunt, & diſparata glutinãt. Cuti aſperguntur quæ detergent, & ſordes exterunt, nitorem conciliant: qualia ſunt ſmegmata plurima, & quæ coſmeticam deſiderant. Alia etiam extenuant & diſcutiunt: qualia ſunt quæ acriore materia conſtant. Atque eo ferè in genere in quo fertiliore quadã ſegete luxuriarunt antiqui, nulla eſt Pharmacopœorum noſtrorum cura, ſolis uulnerarijs medicis relicta. Quibus & aliqua ex parte, quia noſtri eſt muneris, & ad integrum medicinæ corpus non leuiter attinet, ſatisfactum oportuit. Ex nobiliore igitur campo ea deligemus, quæ cuiuis induſtrio uſui ſatis eſſe poſsint. Pulueres medicati antiquis lõgè tritiſsimi: ex quibus tota medicamentorum ſoboles in corpus ſolideſcit,

ſcit, autoritate & uſu penè defluxerunt, cognita ſola aromaticorum & odoratorum turba, eaque leuiſsima, quā ad Electuariorum & mixturarum uſus paratam pyxidibus uitreis reponimus. Quibus quia in Electuarijs ſatisfecimus, tractationem hîc non aliam accipient, quàm quòd plurium inter ſe mixtura ſyrupo aut liquore aliquo idoneo, excepta interaneorū uitijs adhibentur, uiſcerum imbecillitati ſuccurrunt, partes cōfirmant, affectas etiam uires releuant, & electuarij mollis formam (opiatam uulgus uocat) modò etiam conditorum, modò tragematum indunt. Suffuf Arabum pulueres tenuiſsimi, odorati, in hunc locum tantùm ferè recepti officinas noſtras occuparunt, & artis cōptoriȩ lenocinio muliercularumq; fuco, quia precum addixerunt, rarum habent ingenuitatis ſpecimen, & in Diapaſmata relegātur: &, Quòd olet grauius mixtum diapaſmate uirus (inquit ille) nullius ferè ſunt uſus. Ex tanta tamen meſſe infelix aliquod lolium ſupereſt, ſed nec ad ingentes illas delicias accommodatum. Pulueres à Suffuf Arabes diſtinguūt, quòd hoc medicamēta odorata, tenuiſsima etiam, plurima contineat: illud trita cuiuſuis generis, ea temerè medicamēta ſignificet. At uerò quia medicamenta purgantia tritura etiam in pulueres cum liquore aliquo magnificè exhiberi poſſunt, poteſt puluerum uſus gratior eſſe, & à quibuſuis nullo intertrimento repeti.

In qui-

In quibus quia iuſtæ euacuationis prærogatiuam habet ſennæ puluis, omnibus uſurpatur.

## *Puluis ſennæ Montagnanæ.*

℞ Folliculorum ſennæ ſeſquunciam.
Zingiberis,
Maceros, ana drach. tres.
Cinnamomi,
Tartari, ana drach. unam & dimidiam.
Terātur omnia, & in puluerem redigantur.

Aduſtos & retorridos humores, melancholicumque ſuccum hoc puluere repurgamus, ſeroſam aquarum colluuien exhaurimus, pituitam ſalſam & putrilaginem iam cōceptam deturbamus, eoque nomine cutis fœditatem, ſcabiem, lepram, cæteraſque eius generis ſordes eluimus. Sumpta uerò eſt formula ex remediorum penu Montagnanæ, cui etiá capitis purgandi uires attribuit. Eiuſdem etiam eſt puluis ſennę deſcriptus in partium ſpiritalium affecti bus, aſthmaticis & ſuſpirioſis utilis, pituitam thoracis partibus infarctam extrahens, qui capit foliorum ſennę ſine ſeminibus ſemunciam, tartari ex uino albo & uinoſo collecti drach. duas. cinnamomi, zingiberis, ana drach. dimidiam. Trita omnia in puluerem redigantur. Poteſt exhiberi in iuſculo ad ſemunciam integrá, non pręparca copia Montagnanæ, ſi efficacitatem deſideras. Tartarũ fæcarium uini optimi & generoſi fæcem ſiccam intelligimus, & lapidem *Tartarum.*

dem

dem illũ uinosum ex fæcis uinariæ tenuiori parte concretum, quem Vini petrã uulgò dicimus, non parui ad obtundendam sennæ ingratitudinem, & ad cætera condimenta usus. Aromata uerò non temerè miscentur, ut flatulentam & torminosam sennæ naturam corrigant. Scio quibusdam, Italis præcipuè, usitatum sennæ puluerem longè ualentiorem, qui capit folliculorum sennæ, tartari albi, sing. unc. duas. caryophyllorum, cinnamomi, galangæ, ameos, sing. drach. duas. diacrydij drach. tres. Huius drach. una, aut sesquidrachma bilem & humores atros magnificè educit. Sunt qui pituitæ ratione salis Indi, aut gummei drachmæ dimidium addunt. Hoc medicamentum pulueris sancti nomine quidam insigniunt, ne uaria nomenclatura tibi fucum faciat, etsi quidam pulueri ex Elaterio, aut etiam Præcipitato dicto, id commendationis genus attribuunt.

*Puluis sanctus.*

## *Puluis ad lumbricos.*

℞ Seminis santonici unc. unam.
Lupinorum semunciam.
Absinthij drach. duas.
Cornu cerui usti drach. unam & dimidiam.
Trita omnia, in puluerem redigantur.

Vsitatissimus est officinis hic puluis, & ad lumbricos efficax: quibus abigendis uaria ingeniorum solertia plurimis remedijs, ijsque magnificis consuluit. Quo ex morbo cùm Itali

ob

ob acetariorum & oxypororum intemperantem uſum plurimum laborent, huic ſecretis quibuſdam & reconditiſsimis medelis ſuccurrunt. Præcipuè uerò Nurſinus quidam circulator totam Italiam oberrans, medicamento cuidam ob inſignem in abigendis lumbricis uſum, famam & nomen attulit. Habet corallinæ, ſeminis ſantonici, ana uncias duas. dictamni albi, tormentillæ (Heptaphyllum dicunt) biſtortæ (quod eſt dracontij genus officinis) ana unciam unam. Trita omnia in pollinem rediguntur, aceto acerrimo irrigantur, & in umbra, dum ſicceſcant, reponuntur. Datur drachma una, aut ſeſquidrachma ex uino, aut aqua portulacæ. Veneti quoque medici experientiſsimi, dum febricitantibus medicinam faciunt, medicamento propinando non rarò quę lumbricos enecant, admiſcent, & ad eorum affectus hoc uſitatiſsimo puluere utuntur. Seminis macedonici, ſeminis ſantonici, ſing. drach. tres. corticum granatorũ, cornu cerui uſti, ſing. drach. duæ. dictamni albi, rhabarbari optimi, caryophyllorum, croci, ſing. drach. una. cinnamomi drach. octo. Terâtur omnia in pollinem, qui ſaccharo excipiatur, in taleolas aut puluerem ipſum propinãdum. Ferrarienſes pharmacopœi hunc ſibi puluerem parãt. Capit cinnamomi drach. duas. zingiberis, cornu cerui uſti, ſpodij, pœoniæ, corallorum rubrorũ, lupinorum, dictamni, coriandrorum præparatorum,

ſing.

sing.drach.unam.seminum caulium, santonici, sing.unc.unam. Terantur omnia tenuissimè in

*Cap. 30. l. 4.* puluerem. Est efficax remedium Philonij ad

*Pul. Philonij ad uermes.* uermes, quod habet seminis santonici, anisi, ana script.quatuor.pulpæ colocynthidos script. dimidium.salis Indi grana tria:trita tenuissimè

*Pul. Isaaci.* semel excipiuntur. Aliud Isaaci ad lumbricos, habet turbith, costi amari, ana drach. quatuor. abrotani, lupini, absinthij, ana drach. duas. nigellæ, enulæ, anisi, ana drach.unam. Terantur omnia probè, & lacte excipiantur. Celebre etiã est ad eosdem affectus Montagnanæ medicamentũ ex remediorum penu, & Serapionis ex Tract.3.quæ hîc sciens & lubens omitto.

## *Pul. Gal. hæmorrhagiam supprimens.*

Thuris pars una, aloes partis unius semissi miscetur. Vtendi tempore tantum huius pulueris oui candido subigitur, quantum mellis crassitudinem reddat. E' mollissimis pilis leporis uermiculi aut penicilli fingũtur, illinuntur pharmaco: & apertis uasis, tum etiam ulceri liberaliter inseruntur.

*Lib. 5. Meth.* Hoc medicamentum Gal. plurimum probat ad cerebri membranarum hæmorrhagiã, eoq; solenniter utimur ad uenarum uulnera, & liberale sanguinis profluuium', quod cõtingit uulneratis uenis iugularibus. Citra uinculũ enim sanguinem potentissimè sistit. Est ubi medicamentum euariet, Galenus namq; duplum thu-

ris

ris quandoque admiſcebat: aliàs uerò utriuſq; pares portiones: quandoq; etiam aloen thus ſuperabat, eiusq; loco mannam ſubſtituebat. Vt autē erat natura & partis ratio, aloen aut thus augebat: hoc mollioribus corporibus, illam durioribus attribuens. Galenus eo medicamento imbutos penicillos ulceri adhibet. Aetius laná eo pharmaco inſuccatá uulneri admouet. Guido Cauliacus leporis pilos incîdit, & cæteris admiſcet. Alij præter pilos miſcent bolum Armeniam, ſanguinem draconis, maſtichen, terrá ſigillatam, ſuccum plantaginis, aut herbæ ſanguinalis addunt, & ſtuppis excipiunt: itaq; uulneri obligant. Medicamentorum quæ ἰσχαιμα dicuntur, ſanguinemq; profluentē ſiſtunt, ut non eſt leuis neceſsitas, ita & magna habenda Medicis ratio. Auicennę puluis multis celebratus, habet boli Armeniæ, ſang. draconis, thuris, aloes partes æquales. Trita omnia in pollinem, ulceri adhibentur. Rhaſij medicamentum ex Albucaſe capit calcis uiuæ (cuius pręcipuus eſt ad ſiſtendum ſanguinē effectus) ſang. draconis, gypſi, aloes, thuris, uitreoli, ſing. æquas portiones. Trita omnia tenuiſsimè, oui liquore aut araneorum tela excipiuntur, dum coeant, & uulneri admouentur. Hoc in medicamētorum genere ſunt pulueres adſtringentes chirurgis uſitati. Vnus quem Rubrum uocāt, ex ſang. draconis, & ſeſquialtera ratione, uel dupla thuris. Alij calcem, bolum Armeniam & ſantalos com miſcent.

*Pul. Auicēnæ ſang. ſiſtens.*

*Aliud Rhāſij.*

*Pulueres adſtringentes.*

miſcẽt. Sunt qui hoc genere conficiát. Symphyti maioris, boli Armeniæ, ana unc. unam. picis Grȩcæ unc. tres. maſtiches, olibani, ana ſemunciam. ſang. draconis, medicati funeris (uulgò mummiam dicunt) ana drach. duas. Trita omnia uulneri aſpergunt: quæ quòd non leuiter ſiccent & aſtringant, glutinantium numerum ineunt. Sunt & alij pulueres ſanguinem ſiſtentes & adſtringentes, Italis celebratiſsimi: quorum hæc eſt formula. Boli Armeniæ, terræ ſigillatæ, nucum cypariſsi, ſeminum portulacæ, myrtillorum, acaciæ, ſing. ſemuncia. ſeminum plantaginis, gypſi, ſing. unc. duæ. thuris albi, ſanguinis draconis, ſing. drach. duȩ. maſtiches, tragacanthi, gummi Arabici, ſymphyti maioris, ſing. drach. quinque. Trita omnia in pollinem probè commiſceantur. Addunt alij chartam uſtam, leporis pilos, & fuliginem hypnitem. Eo utimur ad omne ſanguinis effluuium ex uulnere tum interno, tum externo. Exceptum enim medicamentum & ſumptum iuuat, hæmoptoicis & ſanguinem uomitione effundentibus ſalubre, dyſenterijs immiſſum ſuccurrit, uulneri cruento ex oui liquore imponitur. Alius non longè inferior, capit maſtiches, thuris, nucum cypariſsi, antimonij, malicorij, balauſtiorum, cupularum glandium, ſingulorum drach. duas. Tere omnia in tenuiſsimum pollinem. Præter ſupradicta, ſedis procidentiæ, & recto inteſtino demiſſo, præſentiſsimo

remedio ſuccurit. Actuarij medicamentum ad haemorrhagiam, habet aridæ uini fæcis crematæ unc. tres. mannæ, thuris, myſios, ana drachmas duas. miſce, fiat puluis. uſus eſt admotu in exterioribus tantùm. Dioſcoridis Tharſenſis medicamentum Ario exhibitum, ſanguini ſupprimendo dedicatum, & multis celebratum, capit chalcitidis drachmas octo. mannæ drach. ſexdecim, contunduntur, cribrantur, & mixta in pyxide ærea reponũtur. Vbi uſus poſtulat, gypſi crudi triti par modus adhibetur: etſi aliter paulò Alexandrino deſcribitur. Aliud ueteribus non ignobile. Chalcitidis drachmas ſexdecim, alijs octo. mãnæ drachmas duodecim. terebinthinæ frictæ, & aceto extinctæ tantundem. trita omnia inſperguntur locis unde ſanguis profluit: quanquam ſuccis, liquoribus, & gummium generibus cogi poſſunt. Heraclidæ: malicorij aridi uncias tres, aluminis uncias quatuor, chalcitidis uncia una, teruntur omnia, in linamento tortili naribus induntur, & locis alijs unde emanat ſanguis. Alexandrini efficaciſsimum: aluminis, gallarum, thuris, ana drachmas tres. gypſi, maſtiches, ana drachmas duas. lithargyri, cornu cerui aduſti, marmoris, ana drachmam unam. Terantur omnia ſubtiliſsimè, & cribrentur. Aliud eiuſdem: Symphyti, ſanguinariæ, hippuris, ana drachmas duas. aluminis ſciſsilis drachmas tres, miſce, in pollinem terantur. Eiuſdem,

*Act. med. ad hæmorrh.*

*Dioſc. Tharſenſis med.*

*Heraclidæ med.*

ſanguinis draconis, boli Armeniæ, balauſtio-rum, ana drachmá unam. myrti, interioris glá-dis, ana drach. duas. thuris, maſtiches, ana ſcri ptula quatuor. Tere probè in puluerem. Quo in medicamentorũ genere paulò liberius ſpa-ciari libuit, ut & uulnerarij Medici in præcipiti & urgente uicio ſibi noſtram operam non de-eſſe intelligerent: quibus liberalis huiuſmodi medicamentorum ſupellex ex ſeptimo & ter-tio Comp. phar. part. ſuppeditatur.

## *Puluis Cephalicus Auicennæ.*

℞ Sarcocollæ,
Thuris,
Ireos,
Sang. draconis,
Myrrhæ,
Ariſtolochiæ longæ, ana partes æquales.
Fiat puluis tenuiſsimus.

Cephalicum iſtud nobiliſsimum & uſur-patiſsimũ in cranij oſſe nudato & abraſo, quod in caluaria ſæpe fit, ad uocatá Diploem, quádo arida ad ſyſarcoſin inſpergenda ſunt. Pinguia enim, quæ Emmota uocant, quia inuncta lina-mentis adhibentur, nudatis oſsibus nocēt. Eo utitur Auicennas in cranij fractura, ulcere re-purgato, & meningum denudatione, indeque uſurparunt Chirurgi: etſi erui farinam & radi-cem opopanacis addit Auic. in cerebri affecti-bus. Cephalica & Catagmatica alia plurima ex lib.

*Lib. 4. Fen 5. cap. De fra-ctura cranij.*

lib.2.4. & 5.Comp. ph. gen.& 3.Meth. in usum traducere licet. Sunt alij pulueres Cephalici officinis triti, sed ementito uero cephalicorũ nomine, capiti roborando desiccãdoq́; , ne fluxio submissas partes irriget, tantùm idonei. Quale est Montagnanę medicamẽtum superfluos capitis humores, ne in pectus ruant desiccãs. Capit folij, granorum paradisi, ligni aloes, storacis calamitæ, caryophyllorum, ana drach. dimidiã. corallorum script. unum. maceros sesquidrachmam. Terantur omnia probè in tenuissimum pollinem, qui uespere capillis inspergatur, & bregmati ad suturam coronalem. Aliud eiusdẽ in spiritalium partium affectibus, capit ladani ficcioris drach. unam. storacis calamitæ, ligni aloes, ana drach. dimidiã. rosarum drach. duas, caphuræ sesquidrachmam. spodij, santalorum alborum, ana drach. duas & dimidiam. Terantur omnia tenuissimè, & syncipiti inspergãtur. Aliud eiusdem capit corallorum rubrorũ, spodij, rosarum, ana drach. dimidiam. folij scriptulum dimidium. ligni aloes script. unum. maceros script. quatuor. Tritis omnibꝰ ad eosdẽ effectus utitor. Itali, præcipueq́; Ferrarienses hoc puluere cephalico crèbrò utuntur, quem Temperatum uocant. Capit sandaracæ, rosarum rubrarum, nucum cyparissi, myrtillorum, corticum thuris, mastiches, caryophyllorum, sing. semunciam. Terantur omnia in tenuissimum pollinem. Est alius quoque suprascripto tem-

*Pul. Mõtag.*

peratior, habet rosarum rubrarum, balaustiorum, mastiches, sing. drachmas duas. maceros, thuris, myrtillorum, ana drachmam unam. nucum cyparissi, stœchados, ana sesquidrachmā. Misceantur omnia, & terantur subtilissimè. Vtuntur alij pulueribus cephalicis calidis: alij frigidis, ut & temperatos alios quoq; conficiunt, quibus lubens supersedeo: ut & cephalicos Alexandrini pulueres caua explentes, & carnem generantes lubens omitto.

## *Puluis Sarcoticus.*

℞ Mastiches,
Sarcocollæ,
Sanguinis draconis,
Boli Armeniæ,
Corticum thuris,
Myrrhæ,
Lithargyri,
Aloes, ana pares portiones.
Terantur omnia subtilissimè in pollinem.

Hoc sæpe ad ulcerum caua implenda, carnē gignendam, & profundas uulnerum lacunas exæquandas utuntur Veneti & Romani medici. *Puluis Rhasij sarcoticus.* Puluis Rhasij ad eosdem effectus nobis usitatissimus ex olibani, aloes, sarcocollæ, sanguinis draconis, radicis ireos, sing. partibus æqualibus. *Pulu. Alex.* Puluis Alexandrini sarcoticus optimus, capit thuris, cadmiæ, farinæ eruinæ, cerussæ, pompholigis, amyli, mannæ, lithargyri, sing.

fing. fcriptula tria. plumbi ufti, terræ chiæ, fing. drachmas duas. Probè tritis utitor. Eodem modo cum maftiche, farina orobi, fœnigræci, cicerum, lupinorum, thure, & alijs farcoticos pulueres effingimus, quos pro farcoticorum lege fubtilifsimè terimus, crebroque quod fecerni cribro non potuit, in pila reponimus, ne afperitate ulcus lædant.

## *Puluis Rypticus, hoc eft deterforius.*

Alumen rupis uftum ulceribus omniũ partium fordidis, putridis, cuniculofis, fiftulofis & maleficis confert, fordes deterget, putrilaginem uindicat, ferpensque uirus eluit, & probè diffluentem humiditatem exiccat, fi ulcera antè foueantur, uel lauentur aqua, lixiuio uel uino, quo puluis ipfe maceratus fuerit, & excolando remotus. Idem efficacius præftat chirurgis folenne. Aluminis uehemẽter triti drachmæ duæ. falis drachma una. mellis unciæ tres. mixta omnia fimul cremantur olla: uftis, tritisque ireos drachmæ tres tritæ mifcentur. Vitreolo ufto ad eafdem fordidorum & malignorum ulcerum querelas utimur. Hoc uritur, diuque ex aceto tritum circumagitur: deinde ficcatur: ficcum è uino fubigitur, rurfus ficcatur. Puluis citra morfum ficcat, & putredines uindicat. Ad quæ uicia metallica acria eodem modo macerantur, ut ficcent, nec ita mordeant.

## *Puluis Epuloticus recentiorum.*

℞ Balaustiorum,
Sang. draconis,
Cadmiæ argenti,
Aeris usti loti, ana partes æquales.
Fiat puluis subtilissimus.

Duris corporibus, contumacibus uicijs & nimium humidis utilis est.

## *Puluis ad præcipitatos, uulgò ad casum.*

℞ Rhabarbari optimi drach. duas.
Medicati funeris, hoc est mummiæ,
Rubiæ, ana drach. unam.
Terantur omnia subtilissimè in pollinem.

Excipitur uino adstringente, & in usum propinatur præcipitatis, ruptis, contusis, fractis. Sumptus ex Mesueo in Simpl. etsi prępara- *Cap. De rhab.* cum mummiæ & rubiæ modum facit. Nos ex *Cap. De rubia.* Auicenna subdupla rhabarbaro cætera fecimus: etsi æqualia esse possunt, non secus ac rubiam & rhabarbarum ęqualiter admiscet in he- *Lib. 3 Fen 14. tract. 3. cap. 12.* patis affectu calido. Vinum adstringens etiam arte curatur, cui incoxerint quæ stringẽdi uim habent, rosæ, balaustia, cytini, malicoriũ, myrti cacumina & rubi, rhois culinarij semina, cæteraque id genus. Hoc uino intincta lintea, & expressa, calida laboranti circumuoluta, omnem ex ictu & præcipitio offensionem mirum est quàm percurent: estque celebre Hispanis, nec contemnendum remedium. Hos pulueres ad præcipi-

præcipitium alij uſurpant, laccæ, myrrhæ, ana drach. duas. fœnigræci, caſtorij, ana drach. unã & dimidiam. boli Armeniæ drach. tres. miſce, fiat puluis, da cum uino. Alius capit mummię, caſtorij, ana drach. duas. tormẽtillæ, ſaluiæ, cinnamomi, ana drach. tres. caphuræ ſcript. unum. oſsis è corde cerui ſcript. duo. ſacchari roſacei unc. unam: miſce, fiat puluis, propinetur cum oxymelite.

## *Puluis pituitam purgans.*

℞ Turbith drach. unam.
Hermodactylorum drach. dimidiam.
Zingiberis ſcript. unum.
Sacchari ſemunciam.
Miſce, tere, & fiat puluis.

Vtuntur eo quidam in articulorum querelis, coxarijs, & intolerabilibus podagræ uicijs. Pituitam enim ex corporis penetralibus, atque ex articulorum cauis potenter elicit, ieiuno ex pulli iuſculo aut idoneo liquore ſumptus. Alius eſt puluis medicaminis turbith Auicennæ efficacior, alius quoque diaturbith Meſuei: cuius, quia ſuperius facta eſt mẽtio, hîc pluribꝰ de eo agendũ non duximus. Rhaſius uerò ad Almanſorem nono, turpeti albi drach. uiginti facit, ſacchari triginta, zingiberis decem. quem Placentinus de Medicinis cap. 6. ſequutus eſt. *Cap. 71.*

## *Puluis limaturæ chalybis.*

Limaturæ chalybis aceto aliquoties mace-

 ratæ,

ratæ, exiccatæ, & in pollinem tritæ drachma una & dimidia, cum ſacchari roſati uncijs duabus. ieiuno ſumptus redundantē ſtomachi humiditatem mollitudinemq; nimiam deſiccat: auiditatemq; cibi facit, & proſtratá appetentiā excitat, facultatem cōcoctricem confirmat: putrem uentriculi, hepatis & lienis, nutritoriarumq; partium colluuiem abſumit, obſtructiones leuat, ideoq; ictero utriq; & ſubnaſcenti aquæ inter cutem, cachecticis & cacochymis utilis. Chalybis autem limatura ſæpe ignita aceto extinguitur & teritur, quibuſdam hoc modo purgatur. Ea aqua clariſsima affuſa fricatur manibus, dum aqua tota ſordeſcat: qua affuſa, aceto humectatur, idque pluries & diebus pluribus, exiccata deinde teritur. Quibuſdam lacte caprillo condulcatur & maceratur, alijs lactis ſero, aut oleo amygdalino, ut aſperitas decedat. Stomachi uicijs huiuſmodi cùm innumera ab autoribus deſcripta medicamenta ſuccurrant: faciunt tamen præcipuè puluis aromatum Meſuei, frigidum uentriculum iuuans, concoctionem procurans, & flatus diſsipans. Eiuſdem quoque, puluis ligni aloes, & puluis diarhodon. Sunt quoq; Tragemata ſtomachica plurima: quorum uſus pro re nata à quouis prudente medico facilè indicitur.

*Puluis pro epithemate cordis.*

℞ Florum bugloſsi,

Boraginis,

Boraginis,
Melissæ, ana manip. dimidium.
Santalorum omnium,
Rosarum rubrarum, ana drach. duas.
Doronici,
Been albi & rubri,
Succini,
Ossis è corde cerui, ana script. quatuor.
Corticum citri,
Seminis oxalidis,
Ligni aloes,
Caryophyllorum, ana drach. unam & dimi-
Croci script. dimidium. (diam.
Vnionum drach. dimidiam.
Moschi, gr. tria.
Caphuræ gr. sex.
Fragmentorum lapillorum omnium drach.
Corallij utriusque. (unam.
Spodij, ana drach. dimidiam.
Trita omnia probè ad usum reseruentur.

Eo utimur epithemate ad cordis affectus, uibratum, syncopen, & concisas prope uitalitatis uires. Præcipitibus uicijs quæ frigida intemperie spiritus opprimunt, saluber. Nobilissimum enim uiscus sopitum, & ueluti tenebris aut caligine occæcatum excitant. Melancholicis, splenicis, tristibus, & ueluti animam desperantibus succurrit. Cuius loco quidam hunc puluerem adhibent. Capit santali rubri unc, unam. corticum citri, santali albi, rosarum,

corallii

corallij utriusque, succini, spodij, ana semunciam. ossis è corde cerui, croci, ana drach. uná. pulueris lęticię Gal. pulueris elect. de gemmis, pulueris elect. diamargariton, ana script. quatuor. caphuræ script. unum. Tritis omnibus, & mixtis utitor. Ad cordis intemperiem calidam, indeq́ue præcipitem uirium lapsum, istum puluerem epithemate adhibemus. Recipit rosarũ rubrarum, florum nympheę, boraginis, buglossi, uiolarũ, coriandrorum, sing. semunciam. santalorum omnium, rasuræ eboris, corallij utriusque, ana drach. duas. labruscæ, seminis oxalidis, sing. drach. unam. ossis è corde cerui script. duo. unionum script. quatuor. caphuræ drach. dimidiam. croci script. dimidium. Tritis omnibus utitor. Solennis quoq; ad eosdem affectus alius puluis Cordialis dictus, omnibus celebratus. Habet corallij utriusque, sigilli lemnij ueri, aut terræ sigillatæ, ana semunciam. rasuræ eboris, cornu cerui, ana drach. duas. unionum, siue margaritarum drach. unam. coriandri præparati, spodij, rosarum, ana script. duo. seminis oxalidis, fragmentorum preciosorum, ossis è corde cerui, ana drach. dimidiam. sacchari unc. tres. folia auri & argenti quinq; & uiginti, per se trita probè serua. Alius Nic. Florentini celebris, capit lapillorum preciosorum, sapphyri, hyacinthi, rubini, smaragdi, granatę, ana drach. dimidiam. corallij utriusque, ossis è corde cerui, spodij, limaturæ auri & argenti, succini, ana drach.

*Lib. 4. in syncope.*

drach. duas. croci, ligni aloes, ſing. drach. unam. cinnamomi optimi drach. tres. cryſtalli, ambaris, ana drach. dimidiá. Tritis omnibus & permixtis utitor. Ad hepatis epithema puluis iſte uſurpatur, qui capit roſarum, ſantali albi & rubri, abſinthij, ſchœnuanthos, ſpodij, ſpicæ Indicæ, ana ſemunciam. Contrita in puluerem miſce, & repone.

## *Puluis contra peſtem.*

℞ Radicum heptaphylli (Tormentillá uocát)
Dictamni,
Tunici,
Scabioſæ,
Radicum bugloſsi,
Seminis citri,
Oxalidis, ana drach. quatuor.
Coriandri præparati,
Seminis portulacæ,
Raſuræ eboris, ana drach. duas.
Corallij utriuſque, ana ſeſquidrachmam.
Roſarum rubrarum drach. unam.
Terræ ſigillatæ ueræ ſemunciam.
Boli Armeniæ ueræ unc. duas.
Terantur omnia in pollinem.

Peſtilenti cœlo & ſtatu, eo puluere ut plurimùm utimur, et ad huiuſmodi ſæuientis aeris contagionem reconditis quiſque remedijs ſe ferè committit. Alius eſt ex penu remediorum Montagnanę. Habet ſeminis citri, oxalidis, ana drach.

drach. duas. radicis dictamni, gentianæ, tormentillæ, ana drach. duas & dimidiam. boli Armeniæ unc. unam. cinnamomi electi semunciam. margaritarum, sapphyrorum, ossis è corde cerui, ana drach. unam. omnium santalorum, seminis ocymi, ana sesquidrachmam. fiat puluis, qui sumatur ex aqua scabiosæ aut oxalidis. Ad idem celebratus puluis electuarij de bolo, capit omnium santalorum, galangæ, ligni aloes, cinnamomi, coralli rubri, rosarum rubrarum, seminis melonum, ana drach. dimidiam. radicum tunici & tormentillæ, ana drachmas tres. rasuræ eboris, cornu cerui, ana drachmam dimidiam. nucem moschatam unam. maceros, cubebarum, ana drachmam unam. anisi, marathri, zingiberis, ana gr. quindecim. seminis oxalidis, citri, iuniperi, bombacis, caryophyllorum, ana drachmam dimidiam. boli Armeniæ drachmas duas. fiat puluis, cuius drachmæ duæ ieiuno ex uino optimo & odoro sumantur.

## *Puluis Alexipharmacus.*

℞ Boli Armeniæ cum aceto præparatæ semunciam.
Rosarum rubrarum drach. unam.
Seminis oxalidis,
Seminis citri mundati,
Cornu cerui usti,
Seminis rutæ

Doronici

Doronici Romani,
Succini,
Seminis cardui benedicti, ana script. quatuor.
Corallij utriusque,
Ligni aloes,
Serici crudi,
Santalorum omnium,
Vnionum integrorum,
Ossis è corde cerui, ana drach. unam.
Smaragdorum script. duo.
Pulueris diamargariti frigidi,
Radicis tormentillæ,
Dictamni,
Tunici,
Scabiosæ,
Coriandri præparati,
Lemnij sigilli, ana drach. duas.
Caphuræ,
Ambaris, ana script. duo.
Croci gr. quindecim.
Moschi script. unum.
Tritis omnibus in puluerem, utitor.

Puluis est Alexipharmachus (Bezeardicum uulgò uocant) uenenis, alijsque medicamentis sua noxa deleterijs, & uiscera appetentibus aduersus. Vitales enim spiritus & cordis robur deiectum confirmat, quod est magnum ad reliquam uitam pondus. Ex uino per se sumitur odoro & grato, aut cum syrupo de citro aut ribes mixtura adornatur.

Puluis

*Puluis sternutatorius.*

℞ Piperis,
Ellebori albi,
Struthij,
Euphorbij,
Castorij,
Succi cyclaminis sicci, ana drach. unam.
Trita omnia probè in pollinem tenuissimũ reponantur. Naribus insufflatur, aut attrahitur.
Egregiè sternutamenta mouet. Sunt qui alium puluerem parent, ex melanthij seminis, saxifragiæ, piperis utriusque, sing. script. duobus. maioranę, saluię, betonicę, sing. drach. una. euphorbij script. uno. ellebori albi script. dimidio. nucis moschatæ drach. tribus. agarici script. duobus. Trita omnia accuratissimè simul commisceantur.

*Puluis sternutamentum compescens.*

℞ Myrrhæ,
Melanthij,
Thymi,
Ocymi,
Thuris, ana drach. duas.
Tere subtilissimè, misce, linteo inuolue, & naris odoratu admoue.

*Puluis ad partum, Serapionis.*

℞ Castorij drach. unam.
Zedoaris,

Doronici,

Doronici,
Seminis apij, ana drach. duas.
Sacchari unc. tres.
Tritorum omnium drach. una exhibeatur cum decocto anisi & masticḥes.

Sumptus ex Serapione lib. 5. partus dolores & tormina lenit, discussa præcipuè materia crassa, & flatibus dissipatis, qui magnam adferunt molestiam. Alius Isaaci superiori affinis, prægnantium labores leuans. Capit zedoaris, doronici, seminis apij, ana drachmas duas. castorij drach. unam. ameos drach. tres. Trita omnia sacchari uncijs duabus & dimidia excipiuntur. Alius eiusdem habet cumini, carui, apij, ana drachmas tres. ameos, thuris, menthæ, sesami, ana sesquidrachmam. zedoaris, acori, ana drach. duas. granorum mali punici drachmam unam. Mixta omnia & trita in pollinem ex uino Cretico aut odore exhibentur. Vsitatus est nobis puluis liberato partus dolore ad partus purgamentorum, & inuolucri fœtus (Secundas dicimus) explicationem, indeque torminosos dolores. Capit cinnamomi, zingiberis, ameos, anisi, seseleos, cumini, singulorum drachmas duas. matricariæ, arthemisiæ, sabinæ, capillorum Veneris, singulorum drachmam unam. myrrhæ, bdellij, sing. script. unum. Trita omnia sacchari æquali portione excipiuntur. Propinatur drach. una cum uino Cretico, aut decocto radicum fœniculi &

*Cap. 34.*

*Lib. 8. cap. 20.*

apij. Scio practicis omnibus ad hunc usum cortticem casiæ fistularis plurimùm commendari: sed non uideo quod in re exucca, sicca, terrea, & propè adstringente huius morbi leuamen quærant, existimoque casiam ligneam ueram aromaticam efficacius præscribi posse.

## Puluis Ducis.

℞ Sacchari optimi lib. unam.
Cinnamomi unc. unam.
Trita omnia misce.

Puluis est ex aromatū genere, quo utimur ad intemperiem uentriculi frigidam, indeque ortam imbecillitatem, & coctionis moram. Nicolaus alium habet puluerem ducis. Capit cinnamomi drach. duas. zingiberis, galágæ, caryophyllorum, nucis moschatæ, cardamomi, cubebarum, piperis longi, ana script. unum. sacchari albi unc. sex. Trita omnia in tenuissimum pollinem misce. Alij etiā hoc modo conficiunt. Cinnamomi unc. unam. zingiberis drach. uná. croci script. dimidium. sacchari unc. tres. Aromata parum per se trita, in puluerem rediguntur: deinde additur saccharum. Aridis huiusmodi medicamentis, etsi quidam alia plurima adscribunt, quia tamen officinis nostris rara sunt, inani opera defungi noluimus. Pulueres ocularios, ad genitalis urinæ profluuium (Gonorrhœam uocant) ad pudendorum exanthemata, ad fœminarum abundantiam tum morandam,

*Puluis ducis Nic.*

dam, tum etiam accersendá, mira uarietate ex autorum monimentis, quia depromi possunt, non addimus. Neq; uerò Myropolarum fucos attingimus, ut nec odoratas delicias, quales sunt pulueres uiolati, odori, & cyprij, & suffituum materia plurima. Seplasias ipsas quantum est in re medica tractamus, nec ideo condimentorum aut intinctuum aromaticam supellectilem, ut nec gulæ illecebras afferimus. Quo in genere puluis minutarum specierum, puluis albus, & puluis eximius, Finis uulgò dicitur, accenseri debent.

# DE OLEIS,

## SECTIO DECIMA.



Ertius & ultimus instat nostri operis labor, qui penè admouẽdo ↄrum nomine, integrum Medicinæ corpus informat. Hæc pars, quia manu medicinam facit, & illinctibus, malagmatis, unguẽtis, emplastris, ceratis, & ferè pinguiũ materia cõstat, in externis præsidijs sanciri debet, & chirurgiæ munijs propè dedicari. Quibus adornãdis oleũ, cùm corpus uelut materiam substernat, cæterisq; tum formam, tum uerò uinculum prærogatiuo quodã iure prębeat, huius uelut simplicioris corporis prima debet esse tractatio. Olei genera plurima

Galeno euariant: aut enim recens eſt aut ue-
tuſtum, aut ſimplex aut compoſitũ. Eſt ubi fru-
ctus unde exprimitur, naturam ſequitur, in-
deq́ue maturum aut immaturum dicitur: quá-
doque etiam artificio uarietatem acquirit, dum
primum apparatum ſeruat, aut inductam arte
alterationem capit. Quæ omnia doctrinæ gra-
tia ſimplicis olei & compoſiti nomine com-
prehendimus, ampliata paulùm nominis na-
*Oleum.* tura. Oleum maximè propriè ſuccus eſt pin-
guis ex oliuis prælo expreſſus, oleumq́ue ab-
ſolutè aut commune dicitur. Hoc pro uario ge-
nere uariam habet naturam. Ex oleis immatu-
ris omphacinum & omotribes, hoc eſt acer-
bum & crudum dictum, frigidæ & ſtringentis
potentiæ. Ex maturis oleis elaboratum, me-
diam quodammodo naturam tenuandi & le-
niendi ui præditam obtinet. Vtrunq; uerò uel
recens uel antiquatum, ſalſum uel inſulſum, lo-
tum uel illotum, uiribus & facultate, non ge-
nere ambigit. Olei etiá nomine cenſemus ſuc-
cum pinguem, unguinoſum & oleaginum, qui
ſeminibus aut fructibus prælo domitis effluit.
Eſt etiá olei genus unguinoſum corpus, quod
ui ignis ſollicitata flabris rerum natura, & man
gonizato elementorum ſeceſſu, chymiſtarum
inuentu, uelut primarum naturarum ludibrio
elicitur. Hæc omnia ſimplicis olei cenſura inſi-
gniri debent. Compoſitorũ uerò ordinem faci-
mus ex ſimpliciũ materia, floribus, ſeminibus,
fructibus,

fructibus, ſurculis, germinibus in oleo cõmuni & ſimplici inſolatis, maceratis & incoctis. Quæ quia minimùm ſunt cõpoſita, ad antiquorum doctrinã relata, ſimplicia eſſe olea quidã anxiè nimis contendũt. Verùm quia compoſitorum oleorum ex antiquis ratio adeò deſueta & obſcura eſt, ut ferè ſolum nomen remaneat: nos claritatis gratia maximè obuiam naturam ſequimur, ijsque complexionis nomenclaturam damus, antiquorũ monimentis quoad licebit, in tranſcurſu iuſta facientes, in eorumq; latas compoſitiones, ſi quando occurrat, excurſuri. Nominum ratio ut plana eſſe debet, ita in naturæ explicatione, dum doctrinæ locus eſt, nullum faceſſat negocium oportet. Satis mihi cõſcius ſum, Galenum oleum roſaceum, quòd abſque odoramentis apparatum eſſet, ſimplicis olei nomine donaſſe. Illud uerò cui aliquid eorum eſſet inditum, unguentum roſaceum uocaſſe. At idem diffuſa nominis ratione Nardinum oleum, laurinum, maſtichinum & melinum unguentis accenſet. Adeò in momentanea rerum diſsimilitudine, tractationis obſcuritas leuiter inducenda eſt: orationis uerò perſpicuitas in docendi genere plurimùm laudanda. Compoſitum oleorum genus, & conſtructionis uarietate, quæ ſua ferè cuique eſt, & multitudine atque frequentia eſt celeberrimum, à nobisque crebrò uſurpandum. Quo in explicando, ſi qua antiquorum mixtura oc-

*Lib.2.Simpl. cap.27.*

currat, compositionis ornatu instructior, tam ineptè ingrati futuri non sumus, ut illi gradus in orchestra, aut uerò plausus in proscenio denegemus. Sed profectò oleorum prela quodammodo ordinem præuertunt: priusque de pinguibus succis agendum, qui expressione & tritura effluunt.

## *Oleum amygdal. dulcium.*

Amygdalæ dulces cortice lignoso & membranoso purgatæ, plurimùm tritæ in offas coguntur, & horis quinque loco calido continentur: uel in diplomate hora una coquuntur, aut sub arena calente, & cinere sacculo inuolutæ, & pannis aliquandiu fouentur. Rursus teruntur, & sacculo conclusæ torculari exprimuntur. Amygdalæ quoque tritæ, calido loco & aere in uase pinsuntur & subiguntur, non secus ac maza ipsa, pauca calida subinde affusa. Torcular uerò quo oleum exprimes, sit ex assere infernè cauato, & decliui colum uersus & emissarium: supernè autem pro cauitatis subiectæ magnitudine, & forma educto, protenso & gibboso, ut undique cauitate expleta, æqualiter amygdalæ exprimantur. Sic Mesueus.

Olei amygdalarum dulcium eliciendi, cùm plurimi sint modi: unus tamen hodie usitatissimus est & facillimus, nullas ferè horarum inducias requirens, & in rem præsentem, ad usus

usus expetitos recens non rancidum aut olidum, quale est ferè antiquatum & uietum, depromens. Amygdalæ dulces integræ, pila lapidea tusæ, & in offas collectæ, sacculo canabino nouo, aut stamine uulgari calfacto inuoluuntur, complanato utrinque assere etiam calfacto muniuntur, prælo librario quadrato & plano comprimuntur, aere calidissimo prope ignem luculentum: aut si æstas est, loco aprico & subdiali, expressum oleum in subiectum catinum demittitur. Id sæpius repetitur, dum quæsitam olei copiam exhaurias. Sacculum qui amygdalas contineat, ex materia canabina noua, firmitate tenaci & dura esse debet, quæ uim præli facilè sustineat, pressoque corpore, materiam arctius amplectatur, raritate decenti oleagini exitum præbeat, torositateq; conuenienti nihil concrediti succi deperdat aut ebibat. Quam in rem staminea nostra materia laudari potest. Amygdalæ si depellandæ sunt, cultro rectius quàm aquæ calidæ maceratione, aut sartaginis ustrina opus expleueris: quòd hic modus pręter depastam igne oleosam substantiam, etiam adustionem resipiat: ille uerò aquosiore humiditate admixta, largius oleum uiciet, & ingratius reddat. Non aspernēdus est Mesuei modus, qui amygdalas pertritas diplomate & uase uitreo in calidam demerso calefacit. Bláda enim caloris uaporatio tenuatá succi unguinosi substátiam

 tabefacit,

tabefacit, colliquat, eamq; humiditatem fluxilem magis reddit, accelerat promptius & exprimit. Sacculo deinde clausæ pressuram experiuntur, eo quo dictum est modo. Alij arena, cineribus, milio & furfuribus ignem cõcipiunt, & submersas amygdalarum offas obruunt, ut blandum calorem, cuius ui oleum copiosius elicitur, inducant. Verùm illa ut terrea sunt & solida, calore sicco & urente portionem frugi magis consumunt quàm euocent. Quidã mola trusatili amygdalas ipsas adinstar aliorum seminum subigunt: ignobile tamen est oleum, & uirosum aliquid redolens, quale solet ex uetustis amygdalis cieri, & officinis prostat ad laterum & locorum affectorum dolores leniendos. Dioscorides amygdalarum dulcium aut amararum, repurgatarum & siccatarum semodio, pistillo ligneo leuiter in offas tuso, aquæ feruentis sextarium adijcit, ut succum liquidiorem & expressioni paratiorem reddat. Quo humore exhausto, uehementius quàm antea tunditur, mox tabellis premitur, & quod digitis hæsit, concha excipitur. Contuso iterum heminam aquæ aspergit: qua exhausta, idem opus prosequitur. Ex singulis modijs, singulas heminas exprimit. Sed oleum istud, quia aquæ permixtum imbecillius & ignauius redditur. Præstaret si liberalius oleum requiras, amygdalis tritis oleum commune quàm aquam permisceri ex Pauli instituto. Is etenim amygdalarum

*Lib.1.cap.39.*

rum uncijs duabus olei dulcis ſextarium Italicum addit, & in uaſe duplici percoquit: quanquã idem ipſe amygdalas tritas & puras, aqua irrorat ad ſucci expreſsionem. Meſuei torcular (quo etiã ferreo quoſdam uti ſcio) nõ omnino improbandum, dum ne nos præli noſtri quadrati & plani pœniteat. Huius olei uires ex Meſueo, quia firmiſsimis rationum momẽtis exequitur præceptor Syluius, eas nos leui brachio attingemus. Eo utimur ad gutturis aſperitatem, bronchiarum, ſpiritalium partium, ac etiã cæterarum externarum leniendam, duritiem omnem ac ſiccitatem articulorum corrigit, cutem erugat, ſcabra & aſpera polit, tenſa emollit, renitentia digerit & complanat, phthiſicis & conſumptis utile. Atrophis enim & cibum non ſentientibus alimentum humidum, & lentore mediocri diuturnum præſtat. Defectum quoq; corpus reficit & impinguat. Calore eſt temperatum, humidoque ſecundum ordinem attingit, quo nomine intemperiem omnem ſedat. Semẽ genitale temperato & dulci alimẽto promouet. Vteri, ueſicæ & urinæ ardores mitigat. Colicos & nephriticos cruciatus præſenti remedio abolet, uncia una cum uini aromatitis ſemuncia epotum. Partuum labores torminoſos diſcutit, lenit, tandemq; ſedat. Quare illinctionum ferè ſola eſt materia, quæ fœtus laborioſos educunt. Nephriticis & lotij acrimonia laborantibus, in meatum urinarium per tubu-

lum immittitur liquidum & tepidum, ut lenitione & moderata ſubſtantia, intemperiem enatam profliget. Iſtud uerò primo loco poſitum eſt, quòd ſit uelut typus & formula cæterorum omnium oleorum.

## *Oleum ex amygd. amaris Meſ.*

Extrahitur eo modo quo oleum ex amygdalis dulcibus præcedens. Obſtructa aperit, flatus reſoluit & diſsipat, aurium tinnitus, ſibila & auditum obtuſum emendat, aſpredines cutis lenit, neruorum duritiē emollit, & dolorem mulcet, panum faciei delet.

Oleum iſtud ordine primo calidũ, humido ſicco temperatũ & amarum, peculiari nulla ex ſe facultate pręditum, amarorũ potentiá habet, calfaciendi, attenuandi, incidendi, digerendi, idq; potēter: quibus dotibus uires Meſueo decantatas exequitur. Tenuádo quidē, calfaciendo & tergendo, digerēdoq; aurium tinnitus & flatus ex craſſa & frigida materia ortos diſsipat, auditũq; frigore obtuſum reſtaurat, obſtructa expedit, cutis maculas & aſpredines exterit. Neruorũ affectus frigidos, duros & dolētes calore tenuāte & digerēte ſanat. Amarore lumbricos necat, frigidis uteri malis ijſdē effectis prodeſt. Vuluarũ dolores, ſtrangulatus, cōuerſiones, locorũ inflammationes ſuppoſitũ ſanat: doloribus capitis inſtillatũ medetur: auriũ grauitatem, ſonitus, ſtridores, ſibilos diſcutit: uri-

næ anguſtijs pubi illitum, calculoſis, renum uicijs, ſtranguriosis in fiſtulam urinariam immiſſum medetur: ſuſpirioſis, lienoſis, iecinoroſis, tabidis ſubuenit: næuos & faciei maculas (ephelidas dicimus, Meſueus panos uocat) tollit, cutem erugat, reliquáq; eius emaculat labem, cum melle, lilij radice, ex cyprio cerato aut roſaceo: oculorum abolet hebetudines, manátia capitis ulcera furfuresq; ex uino deterget. Dioſcoridi, Actuario & Plinio Metopion dicitur, quanquam longè alia eſt Metopij Paulo, Dioſcoridi & Alexādrino confectio, quæ oleum amygdalinum capit: itemque Plinio lib. 13. cap. 1. Actuarius Dioſcoridis apparatum ſequutus eſt, hocq; modo conficit. Amygdalarum amararum chœnices quatuor purgatas & exiccatas piſtillo ligneo in mortario leuiter tantiſper cōtundito, dum maſſa fiat: eique aquæ feruentis heminas duas affundito, per ſemihoram, dum imbibantur, dimittito: poſthęc ualidius iterum tundito, manibus complicatis exprimito, tortiuum cremorem excipito, & quod pingue digitis adhęſit in cornicula diffundito, aut cōcha deradito, rurſusq; in id quod expreſſeris aquæ heminá infundito, & ſpacio ut eam cōbibat interiecto, opus redintegrato. Quatuor chœnices heminam conficiunt. Huius olei laudes his uerbis exequitur Plinius. Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, uaros cum melle tollit è facie. *Lib. 13. cap. 4.*

Prodeſt

Prodeſt & auribus cum roſaceo & melle & mali punici germine decoctum, uermiculosque in his necat, & grauitatem auditus diſcutit, ſonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores & oculorũ. Medetur furunculis, & à ſole uſtis cum cera. Vlcera manantia & furfures cum uino expurgat, condylomata cum meliloto. Per ſe uerò capiti illitum ſomnum allicit. Huius etiam probatus eſt effectus ad aſperos perniones & lumbricos deturbandos, ſi quatuor uncijs propinatum per aluum deſcendat.

## *Oleum ex nucibus regijs Meſ.*

Fit ut oleum amygdalinũ, flatus craſſos diſſipat, tumores diſcutit, neruis attritis uel punctis, præſertim cum calce lota confert, ſcabiem exterit.

Caryinon dicitur, efficacius è nucibus rancidis: & in hoc genere efficaciſsimum, quod in lucernarum ellychnijs concaluit, quo gangrænas, ægilopas, carbunculos quidam perſanant. Oleum ex nuce iuglande, calefacit, ſiccat, digerit, tenuat, & ualde eſt per halitum euaporatorium, præſertim ſi ex nucibus uetuſtis & rancidis exprimatur. Quibus facultatibus neruorum puncturas & uulnera ſanat: quę medicamenta modicè excalefacientia, tenuãtia, & citra morſum deſiccantia, tum quæ calore tepido & tenuandi ui trahendi potentiam habeant, poſtulant: ut ſcribit Galenus libro 3.
Comp.

Comp.phar.gen.& libro 6. Meth. Cuius generis cum ſit oleum iſtud, ad ea mirificè eſt efficax, inueteratum præcipuè, ut magis ſiccet,& tenuiorum ſit partium: quale ſemper requirit Sabinum,non crudum aut omotribes, nec Hiſpanum,nec adſtringens Galenus. Potentiam auget calx probè lota, & medicamentum neruis idoneum commendat: ſic enim ſiccantius & magis digerens efficitur, quod non omiſit Galenus libro ſexto Meth. Lauanda calx uiua aqua ſæpius aut mari,ut proficiat magis, idq́ue per æſtatem ſub Caniculæ æſtu. Calore uerò tenuante, incidente & reſoluente inteſtinorum torminibus accommodum in dies experimur, ſi cum uino Cretico infundatur. Potenter enim flatus diſſoluit per halitum, quia digerit & ſiccat ſcabiem, & cutis maculas deterget: quoq́ue uetuſtius eſt, eo efficacius adhibetur, ſi oleum ad calcem elotam ſit ſexcuplum cum ſalis momento. Idem etiam inueteratum gangrænis, carbunculis, ægylopis, & neurotrotis, hoc eſt neruorum uulneribus, ex Galeni conſilio adhibent. Quod ſi recens ſit, adſtringentis qualitatis nonnihil habet, & ſemicoctę humiditatis aliquid retinet, quæ in uirentibus fructibus eſt plurima. Eo quidam ad internã aluum molliendã guſtu ſuauiſsimo utũtur. Veteratũ ex ſiccis, aut unguinoſioribus nucibus, internis nõ niſi cum moleſtia adhiberi poteſt: ſtomacho inutile, cõcoctu difficile, dolo-

*Lib.3.Comp. phar.gen.*

*Lib.7. Simp.*

rem

rem capitis inferés, tussiétibus inimicũ: & uomituris ieiunis gulá, fauces & asperá arteriam exasperás & inflammás. Dioscorides & Actuarius ei balanini uires attribuunt. Plinius alopecijs utile scribit, & tarditati aurium infusum. Item capitis doloribus illitũ. Cæterùm iners & graui sapore Caryinũ à capitis grauedine appellatum. Etenim arborum ipsarũ, foliorumq; uires in cerebrum penetrãt, hocq; minore momento, sed in cibis nuclei faciunt. Idem uitium sentiũt ad huius olei lucerná lucubrãtes. Tinesmo solo aptum est, trahit enim pituitam. Quod experiuntur, qui asserculo ex eadẽ nuce ligneo hoc oleo inuncto & concalfacto insident, eoq; modo anum confirmát. Ad latos lumbricos & aurium sibilos, quibusdam non est inefficax.

Lib.23. cap.4.

## *Oleum ex auellanis nucibus Mes.*

Fit ut pręcedentia. Dolores neruorum & arthriticos sedat. Nuces auellanę minores, quę & Ponticæ & Prænestinæ, & antea Abellinæ patrio nomine dicebantur, plus habent essentiæ terrestris & frigidæ, quàm regiæ: itaque etiam gustanti austerior, tum cortex, tum planta, tum fructus apparet. Nonnihil tamen caloris obtinet oleum quo resoluit, & anodinũ est: siccaq; sua facultate humoris arthritici portionẽ absumit. Ad articulorum querelas utiliter bibi, scribit Manardus. Alij ad uenenum & morsus serpentum ualere contendunt. Vsu penè nullum.

Gal.lib.7. Simpl.

Oleum

## Oleum de persicis Mes.

Oleum ex nucleis persicorũ obstructa aperit, auriũ & sedis ab hæmorrhoidibus dolores ac tumores sanat, lũbricos necat: fit ut prędicta. Nuclei persicorũ esu aut potu ex uino sumpti, quia facultatẽ omnibus cõmunem habent, calfaciũt, incîdũt, tenuãt, resoluunt, digerũt, quod & oleo ex ipsis expresso etiã cõuenit. Quo nomine uiſcerum obstructiones, aliarumq; partium promptiſsimè expediunt. Aurium tumores, indeq; natos dolores ex materia crassa, frigida, lenta, & flatibus resoluit, laxatisq; spiraculis uacuat. Ani hęmorrhoides ab eadẽ causa, fęculento pręcipuè sanguinis purgamẽto excitatas sanat, & blãdo calore rarefacto loco materiam digerit, uacuat, & dolorẽ sedat. Sedis rimis mederi autor est Rhasius, & cephalalgiæ quam prædictæ causæ excitarint. Lumbricos & uermes admotum aut sumptum necat, ut amara omnia. Iniectum & epotum in renum affectib9 ualere asserit Manardus. Oleũ ex chrysomelis, quæ mala aurea, Armeniaca & præcocia dicimus, quòd sint ex Persicorũ familia, earundem penè est uirium: ani, aurium & hæmorrhoidum dolorem sedat, discusso & resoluto humore, tumorem faciente, & querelæ causa. Tumores etiam cæterarum partium & uulnerum præcipuè insignium deplet. Linguam etiam prępeditam ex nimia humorum ubertate,

*In Antid.*

*Lib. 4. Simp.*

quòd

quòd incîdat, extenuet, detergeat, expedire uidetur Mesueo. Vtrunque usu rarum. Quia uerò hoc in genere dulces sunt & amari nuclei, potentius ad omnia quod ex amaris paratur.

## *Oleum balaninum Mes.*

Fit, ut amygdalinum. Terget, expurgat, obstructa liberat: auri iniectum, tinnitui, surditati cõfert. strumas, hepatis & lienis scirrhum mollit & digerit: affectibus frigidis neruorum & iuncturarum, spasmo, arthritidi medetur: alphos, lentigines, uaros, maculas, cicatrices nigras, & reliqua fœda cutis uicia corrigit. aluum potu soluit, sed stomacho aduersatur.

Balaninum oleum fit ex glandibus querneis Paulo, cæteris ex glande unguentaria: cuius succus, quia promptè odores omnes induit, myropolis ad unguenta materiam facit. Hodie sæpe ex balani nucleis exprimitur, licet & per ebullitionem, aut nouo cõflaticiæ artis inuento elici posit. Dioscoridi maculas repurgat, lentigines, uaros, & cicatricib. decorẽ affert. Aluum soluit, stomacho aduersatur, contra aurium dolorem, sonos & tinnitus auxilio est cum anserino adipe instillatum. Eo quidam ad emolliendam aluum infuso utũtur. Meminit huius Nic.
*Lib. 13. cap. 4.* Alexandrinus. Plinio balaninum oleum repurgat uaros, furunculos, lentigines.

## *Oleum ricininum Mes.*

Ex ricini seminibus repurgatis per trusati-

les molas oleum exprimitur, qui modus ex Aegypto defluxit. Vbi accuratè molitum semē est, in sportulas conijcitur: deinde torculo cremor oleosus exprimitur. Dioscorides aridos, maturos ricinos, & contegentibus orbiculis exutos, uuarum more instratos insolat, dum flaccescát, & corticem decutiát. Carnem deinde colligit, coniectam in pilam diligenter tundit: postea in lebetem stanno illitum, qui aquam habeat, demittit, subiectoq; igni feruefacit. Vbi insitum prorsus humorem reddiderunt, sublato ab igni uase innatás, oleum concha aut corniculis excipit & recōdit. Actuarius aquæ uinum addit. Oleum Cicinum Sabini inueterati naturá habet Galeno. Prodest psoris, capitis ulceribus manantibus, præclusis & inuersis muliebribus locis, sedis inflámationibus. Cicatricibus fœdis decoré addit, aurium doloribus efficax, emplastris additū: potu aluum ciet, quæ aquis grauatur, & uentris animalia pellit. Oleū Cicinū Plinio bibitur ad purgationes uētris cum pari caldæ mensura. Priuatim dicitur purgare pręcordia. Prodest & articulorum morbis, duritijs omnibus, uuluis, auribus, ambustis. Cum cinere muricum sedis inflammationibus, item psoræ. Colorem cutis commendat, capillumq; fertili natura euocat. Mesueus hos effectus ei tribuit, ut flatus crassos dissipet, pituitá crassam & lentā tenuet & incîdat. Ideoq; dolentē ab his uentriculū, intestina & colū suppositū iuuat, hydropi

*Lib. 1. Comp. phar. part.*

*Lib. 23. cap. 4.*

etiam utile est. Alexandrinus ad alphos, lentigines, panos faciei & maculas à sole relictas assiduè inunctum ualere scribit, & ex aqua calida colligit, uiribus raphanino simile facit, illoq; in huius penuria utendum consulit, quamuis Oribasius raphaninum calidius faciat: ricininum uerò cætera simile, & tenuandi & discutiendi ui præditum oleo uetusto ex oliua confecto omnino simile. Galenus quoq; lib. 2. Comp. ph. part. ricininum oleum communi esse calidius asserit, eiusq; loco ueteri utendum esse. Paulus ex semine ricini (quod Croton dicitur) contuso & læuigato ad instar raphanini traducto ex Aegypto more parat. Auicennas olei ricinini
Lib. 5. (quod uulgus de Kerna uocat) operosam compositionem habet, ad neruorum resolutionem, mollitudinem & conuulsionem, hepatis etiam & lienis scirrhum & cruciatus colicos. Addit etiam oleum ricininum simplex.

## *Oleum carthami.*

Oleum è cnico fit ex cnici seminibus purgatis, ut amygdalinū. Obstructa liberat, tergetq;: ideoq; morbo regio uentriculo dolenti & colo cōfert. Thoracē & pulmones expurgat, uocēq; clariorē facit. Cnicoleū Dioscoridi dicitur, eiq; uires olei ex croco Gnidio attribuit, hoc est aluum potu purgandi. Vsu propemodū nullum.

## *Oleum de nuce Indica.*

Oleum de nuce Indica neruorū dolori confert,

fert, thoracem & pulmones lenit, clariorem uocem facit, impinguat, & genitale semen auget. Græcis ignotum: hodie ferè usupatur ad conceptus procurationem, & seminis incrementum. Quam in rem placentulas ex nucis Indicę carne Medici etiam liberaliter indicunt.

## *Oleum de cerasis.*

Articularijs morbis confert, terget & expurgat, calculũ è renibus & uesica expellit, panos faciei, lẽtigines & cętera cutis fœdę uicia delet.

Ex nucleis cerasorum expressum oleum eas habet uires, quas cætera quæ ex seminibus aut nucleis amaris exprimuntur: quale ex amygdalis amaris, persicis & chrysomelis. Istud tamen mirabiles habere effectus in renum doloribus & calculo scribunt. Efficacius est quod ex nucleis cerasi syluestris paratur.

## *Oleum ex granis mali citrij & medici.*

Oleum ex semine citri aut arancij dolori arthritico & succedenti tumori confert, calculum uesicæ & renum detrudit. Idem in pestilenti cœlo est alexiterium optimum, & lumbricos necat, potum aut illitum.

## *Oleum ex pistacijs aut strobylis.*

Hepatis & renum dolores potenter lenit, impinguat, & sperma auget, epotum stomacho nocere scribit Mesueus, quod Manardo suspectum est: tota enim sua substantia stomacho

est amicum & gratũ. Rhasio tussim & thoracis dolorẽ mitigat, & intemperiem frigidã emẽdat.

## *Oleum laurinum Mes.*

Lauri baccæ maturæ & recentes in pila tritę ex aqua in lebete coquuntur: pòst torculari plano non cauo exprimuntur in uas subiectum, in quo aquæ supernatans oleum colligitur. Affusa calente aqua iterum teruntur, & exprimuntur torculari cõcauo. Colligitur oleũ, & reponitur.

Fit hoc modo laurinum. Assulas lauri unà cum baccis tusis uino tenui & odoro noctem integrã macerabis, lento igne coques: excipies cõcha quod redditur oleosum, ac postremò ambaris momento & moschi condies. Preciosum oleum & suaue, quod conuenienter attrahit & discutit. Dioscoridi lauri baccę maturæ in aqua coquuntur, cremor unguinosus ex cortice resudãs concha deraditur. Alij ex omphacino oleo lauri baccas coquunt. Sunt qui omphacinũ oleum cypero, iunco odorato & calamo incoctis spissant, lauri tenerrima folia in id conijciunt & cogunt. Alij etiam baccas, dum oleum odorem contraxerit: alij storacem & myrtum quoq; addunt. Actuarius ex olei maturi libris septem & semisse, baccarũ lauri maturarum sesquilibra commixtis & molitis oleum excernit. Quidã etiam baccas per sese molliũt, & ita oleũ exprimũt, quod est merum & sincerum. Alexãdrinus simplex ex lauri fructibus parat: cõpositum

tum uerò ex quinq; ſextarijs maturarum oliuarum, in quos recentium baccarum lauri & pinguium ſextarium unum inijcit, ſicq; terit & exprimit. Paulus maturarum oliuarum ſextario, baccarum lauri duos adijcit. Eſt ubi utriuſque æqualis portio additur. Vis ei eſt excalfactoria uehemens, molliens, tenuans, aperiens, diſcutiens, exiccans. Intemperaturam omnem partium frigidam ſolam, aut cum pituita & flatibus ſanat. Cuius potentiam in coli dolore infuſo in dies experimur. Cerebri, neruorum, articulorum, uentriculi, inteſtinorum, hepatis, lienis, renum, uteri affectus frigidos, & dolorem his ſuccedentem abolet. Rigori febrili, ſpinæ dorſi illitum prodeſt, paralyſi, neruorum uicijs, algoribus, ſpaſticis, iſchiadicis, ſuggillatis, capitis doloribus, inueteratis diſtillationibus, auribus in calyce punici calfactum illinitur, renum morbis frigore contractis ſuccurrit, laſsitudines diſcutit, uenarum ſpiracula aperit, immixtum ſincerumúe partibus corporis uehementer refrigeratis benefacit, & admodum exiccat: ideoq; ſcabie infeſtatis, & aſperis impetiginibus laborãtibus inunctum, in balneo medetur: fugiendũ uerò in ſcabie aut impetigine inflammationem minante, calidis & bilioſis naturis. frigidis namq;, humidis & pituitoſis eſt accõmodatum, articulorum perfrictioni & coxarijs. Vermes & pediculos enecat. Capitis furfures, ophiaſin, alopeciam de-

let. Vſus eius eſt in balneo, ut ſcilicet ieiuno illinatur. Dein abſtergere oportet ouo, melle & fœnigræci farina. Capiti calido nō eſt admouēdum. Simplex utilius cenſetur, & quo recētius quoq; uiridius colore, amariſsimū & acre. Potū nauſeam parit. Ex Gallia Narbonenſi utribus aduehitur, unguento ſimilius quàm oleo.

## *Oleum lentiſcinum.*

Similis eſt lentiſcini olei ratio Dioſcoridi. Paulo conficitur ex lentiſci fructu per ſe aut cū oliuis mixto, quē modum ſequitur Alexandrinus. Vtile eſt ſincerū & immixtum ori defluxione laboranti & gingiuis inflammatis, calidum in balneo & extrà affuſum. Quippe reprimit, & robur addit, cum eo quod non exaſperat. Sic in gingiuis inflammatione tentatis, caliditate temperatum, lentiſcinum ore retineri uult Galenus lib. 5. Comp. phar. part. Qua in re recens inueterato præponitur. Compoſitum magis mitigat, cum hoc quod robur tuetur. Hinc in iecoris & ſtomachi aſperſionibus, fomentisúe uſurpatur. E' lentiſco factum utiliſsimum acopo eſt. Idemque proficeret æquè ut roſaceum, ni durius paulo intelligeretur. Vtuntur eo contra nimios ſudores, papulasque ſudorum. Scabiem iumentorum efficaciſsimè ſanat. Meſueus partes neruoſas & articulos laxandi, muſculos roborandi uim tribuit, maſtichino magis conuenientem. Nec ſecus Te- *Terebinthinum oleum.*
rebinthi-

rebinthinũ fieri ſolet ex terebinthi uiridibus baccis, quod uulnera glutinat, ſpaſmo, tetano, duritiei neruorum confert, ideoq; emplaſtris multis permiſcetur. Dioſcorides refrigerare & ſtringere ſcribit, cum tamē reuera calidum ſit, & modicè adſtringens.

## *Oleum ſeſaminum.*

Fit Paulo ex contuſis uel læuigatis ſeſamis, expreſsisque per fiſcellas, in cochleis oleo ipſo ceu in aqua calida ſegregato, uaſisque uitreis repoſito. Meſueus ſeſami ſemen prius repurgatum aqua parum ſalſa irrigat, manibus fricat, iterum irrigat dum madefiat: ſiccatur, modicè aſſatur, ſacculo aſpero multum diuq; confricando decorticatur, molitur in farinam, oleũq; inde exprimitur, ut ex amygdalis. Ex eodem ſemine nō excorticato, ſed aſſato & molito in farinā oleum quoq; extrahitur. Veteribus frequēs & ualde celebratũ, Aegypto uſitatum, in Italia Columellę & Palladij ætate uberrimũ. Hodie ex Alexādria Aegypti Venetias cōportatur ſincerũ, quod odore & ſapore facilè deprehenditur. Adulteratur oleo nucũ & papaueris. Semen, quia agros emaciat, in Italia ſeri deſijt. Huius loco oleum amygdalarum dulcium ſubſtituitur. Clarum eſt, candidum, guſtu in cibis & dulcedine delicatiſsimum. Vires habet impinguandi, ſemen genitale augendi, aſpredines & duritias leniēdi, guttur aſperũ emollit,

&c clariorem uocem reddit. Aurium dolores sanat, & ulcera quæ serpunt, quæq; cacoethe uocant. Facultas eius ab oleo dulci non multum recedit, ideoq; multorum aliorũ oleorum corpus est & materia: caliditatẽ uerò mediocrem habet. Omnino est expers adstrictionis, facilè coquitur, uentremque subducit. Foris illitum ob crassitudinem emplasticum est. Ad inducendum bonum odorem oleis compositis, oleo communi magis est idoneum, quòd non facilè putrescat. Pectori, tussi & pleuritidi confert. Puerorũ tussim sedat huius olei cochlear cum saccharo cãdefacto paulatim transglutitũ.

## *Oleum è semine lini.*

Fit ut oleum sesaminum, sed lini semen corticem nõ deponit. Mola trusatili ab olearijs exprimitur ad usum lucernarum: in quo etiam caput tentat. Viribus proximũ chamæmelino & anethino, anodynon, conuulsionem percurás, neruorum, musculorũ, articulorum & ceruicũ duritias mitigans, ani affectibus magnificè cõferens, sedis abscessus, hemorrhoidum dolores propriè sedás. Ani quoq; fissuras & rimas lenit. Manardus pleuriticis linctui aut potui exhibitum non sine utilitate scribit: quemadmodũ è lini semine ad phthisin utilissima fiunt ecligmata. Eo uti quosdam pro Ricinino, scribit Alexãdrinus. Reliqua huius generis olea, quæ per seminum expressionẽ fiunt, etsi usu rara sunt, pa-

rari

rari tamen possunt seminibus decorticatis, tritis, & tortiuo prælo compressis, aut cum oleo incoctis: quale ex semine cucurbitæ, cucumeris, melonis, citruli, Mesueo commendatum ad uiscerum phlegmonas, & urinæ ardori parabat Manardus. Hyoscyaminũ oleum Discoridi exprimitur ex semine albo hyoscyami, recẽte, sicco, calida aqua asperso, insolato, trito. Ad auriũ dolores efficax, in pessis ad emolliendum utilius, neruis inutile. Potum cerebri motus facit. Papauerini eadem est ratio ad insomniam, & febrium ardorem mitigandum, sed composito quod postea describendum est, cedit. E semine lactucæ earundẽ est uiriũ, eodemq; fit modo. *Hyoscyaminum oleum.*

## *Oleum rosatum Mes.*

Folia rosarum rubrarum recentiũ trita quantitate sufficienti, oleo ex oliuis uel sesamino recenti & aqua fontana aliquoties loto, macera in uase uitreo obturato diebus septem: insola, coque tribus horis in uase duplici. Expressis folijs, & abiectis, noua immitte, insola iterum diebus septem: coque ut prius, tertiò idem fiat. Deinde aquam infusionis rosarum, quantum quartam olei partem æquet permisce, operculа, insola dies quadraginta, pòst excola, iterum diu insola.

Compositum & tertium oleorum genus attingitur, quod fieri per impressionem dicitur. Medicamentorum enim simplicium, foliorum,

fructuum, florum & seminũ, quæ in oleo præcoxerint, aut diutius maduerint uirtus imbibitur, haud secus quàm cerea materia, aut sequax sigilli formam induit. Hoc genus μυρῶδες Paulo dicitur: quod quia non admodum compositam formam habet: quandoque etiam simplicis genere censetur. In horum numero Rhodinum & celebritate & uero usu primas tenet. Rosa namque oleo maceratur, idque à Troianis temporibus, Homero teste. In humanis uerò commodis, atq; ea quæ manu tractatur medicina, tanta huic accedit autoritas, quãta haud scio an alteri nemini. Hoc quia duobus modis parari uolunt, unum completum ex oleo communi, aut sesamino, & rosis maturis dicitur. Alterum in oleo omphacino & rosis adstrictis, rude & incompletũ uocant: cuius magnus est in medendi arte profectus. Vtrique communis est ex Mesueo apparatus, quanquã sua cuiq; facultas. Post uarios antiquorum apparatus, nobis Mesuei formula digna uisa est quæ in nostras manus deueniret. Vnguenti rosacei (eam enim appellationem habet, quod spissamenta recipit, Græci στύμματα dicunt, ut & simplex Rhodinum dicitur, quod his caret) tres habet compositiones Dioscorides: quarum secundam in usum magis transtulit posteritas, qua rosæ detractis unguibus, oleo macerantur in sole hoc modo: Rosarum selibra in olei sextario diebus octo madescit, & ad tertiam perfusionem quadraginta

*Oleum ros. cõpletum & incompletum.*

*Gal. libro 2. Simp. cap. 27. Gal. 2. Comp. phar. gen. & Plin. cap. 1. lib. 13.*

draginta

draginta diebus insolatur, & sic oleum reconditur. Paulus rosarum recentium detractis unguibus refrigeratarum die & nocte una uncias tres in olei omphacini sextariũ immittit, urna diligenter constricta, ne perspirent, insolat sub dio diebus quadraginta, atque sic reponit, non in pauimento, sed assere. Aliqui uerò uice insolatus, urnam in puteum diebus quadraginta demittunt, ut ex frigiditate odoris gratia, & uirium efficacitas conseruetur. Alij ipsam sub terra defodiunt. Actuarius rosarum rubrarum detractis unguibus, & nocte dieque marcescentium quadrantem, in olei ex acerbis oliuis expressi sesquilibra operculato uase diebus quadraginta insolat. Alexandrinus Paulum omnino sequutus est, etsi illi quidam hanc compositionẽ Mesueo consentientem tribuũt. Rosarum rubrarum recentium exunguatarum lib. una in pila diutissimè trita, olei omphacini libris tribus excipiatur, uitreo uase recõdatur, & octo dies insoletur. Nono die oleum excoletur, expressis & eiectis rosis, recentes aliæ tritæ immittantur, iterumque octo diebus uas in apricum ueniat. Circa nonum diem iterum coletur oleum, & rosæ permutentur: tandemq; uas diligẽter obstructum, quadraginta diebus insoletur, & tẽperato loco reponatur. Optimũ sanè est rosaceum Galeno, quod exactum simul & simplex, req; uera rosaceum erit ex solis folijs cõfectum. Mediam ad opus materiam *Lib. 2. Simpl.*

& na-

& naturæ temperiem Galenus deligit, quale est oleum ubi salis expers, purumque ad unguem fuerit. Maximè uerò ad rem pertinebit, si & ipsum oleum tenuium sit prorsus partium, cuiusmodi Sabinum est. Irreprehensibile quod ex oleo fit omphacino & crudo, quodque citra salem sit confectum, ut & ualde commendabile & simplex rosaceum præfertur, quod sine aromatis & spissamentis confectũ, eo nomine semper intelligi uult Gal. Vere aut ineunte æstate parandũ, post annũ uetus ac inutile. Oribasius lib. ad Eunapium 4. Gal. doctrinam sequutus, rosaceum sine ullo uasculo parari uult, rosis solùm in oleum omphacinum & omotribes coniectis. Atqui sine sale conficiendũ, quandoquidem sal calefaciẽs minus idoneũ rosaceum reddit. In ea igitur medicamentorũ parandorũ turba, antiquorum industria, & præcipuè Gal. doctrina in animi notione tãquam in uestigio reponenda est, parandumq; rosaceũ maximè simplex ex sola & frequenti rosarum maceratione, quod proximè omitti uoluit prima sua descriptione Mesueus, quem ferè omnes sequimur.

*Li. 10. Meth. cap. 9. lib. 2. Comp. phar. gen. cap. 2. & lib. 2. Comp. phar. part.*

*Rosaceũ Nic.*

Nicolai rosaceum (quem plurimi imitantur) capit rosarum tritarum sesquilibram. coquitur diu in olei loti libris duabus uase duplici, tela alba exprimitur, & torculari. Hodie rosarũ recentiũ nõ exunguatarũ calyces integros & adstrictos, oleo omphacino aut loto, dies aut etiã menses aliquot in sole macerãt uase uitreo aut

filiceo. Poſtea hyeme aut utendi tẽpore pauco ſucco roſarũ aut uino adiecto coquunt in uaſe duplici, ne urendo graueolentiã acquirat: ſicq; reponũt. Alij roſas integris folijs, quãdoq; exũguatis, quãdoq; etiã forcipibus minutim inciſis, eſt ubi tuſis, oleo impoſitas igni coquũt, colant, ſeruãt quadraginta dies, inſolãt in uaſe uitreo operculato. Oleum ad opus omphacinũ ſi deſit, recenti oleo & uuæ acerbæ ſucco unà coctis, dũ ſuccus exhalauerit, fingito, & ad ignẽ ſaligno ramo, rudicula batina quernaúe, aſsiduè cõmoueto. Alioqui ſi oleę uel oleaſtri copia eſt, tenellos inde ſurculos perãputato, oleo dulci immergito, incoquitoq;. Oleũ uerò nec ſit ſale cõdîtum, nec rancidũ: cuius uiciũ in integri penuria lotione deletur, ſi aqua eleuatur uel ſimplice, uel roſacea, dũ uires exuat. Tres reliquos parãdi Meſuei modos taciti præterire debem⁹, in re prężſertim parabili, & facilè affectata maiorum ſolertia. Rhodinũ Galenus ex primo eſſe refrigerantium ordine teſtatur, eiuſq; eſſe naturæ quæ proxima uideatur temperiei mediæ. Vim habet repellentem, mitigatoriam, concoquentem, diſcuſſoriam, eaq; omnia mediocriter præſtat. Inflammationes extinguit, roborat, cogit, dẽſat: rheumatiſmos ſiſtit, & materiarum per corpus fluxũ cohibet, dyſenterias potu inſigniter iuuat. Quę omnia de oleo roſaceo rudi & incompleto intelligenda ueniunt: cuius tractatio in medicina multo eſt uberrima. Potu aluum

*Lib. 2. Simpl. & lib. 3. cap. 10. lib. 2. Cõp. phar. part.*

aluum ſoluit, uentriculũ æſtuantem reſtinguit, ulcera caua nutrit, ad uteri inflammationẽ pollet. Cũ melle ac ſalis exiguo infuſum inteſtina laceſsit ac irritat, in dolore dentiũ inter initia utiliter colluitur, ulcerib. in capite manátibus atq; feruidis eruptionib. illinitur. Iuuat caput calefactum & exiccatum, aut mora in ſole, aut à febribus, aut ab alia huiuſmodi cauſa. Humectat enim, mitigat, & ſomnum inducit. Potum cum aqua frigida aut calida, quib. mordicatur ſtomachus ex acri bile, aut lumbricis, aut aſcaridibus, magnam affert utilitatẽ. In lumbricis autem, prȩſertim in pueris melius facit commixtum ſapæ cum uini tertia parte. Eos enim celerrimè excutit. Submittitur etiam colo, & inteſtinis ex ijſdem cauſis affectis. Podagrȩ inflammationi & hæmorrhoidum primis querelis accommodatur. Quod completum dicitur roborat, reſoluit, lenit, & dolorũ iniurias ſedat. Paratur hodie rhodinũ à mulierculis minore quàm ſcriptorum cura, ex roſis in oleo omphacino madentib. & ſȩpius, hoc eſt, ſexies in dieb. quadraginta permutatis & inſolatis, demumq; in oleo relictis, ut odorem & uires immittant, non fruſtrato effectu. Parant etiam quidam odoratiſsimum putrefactis menſe uno roſis ſub fimo, uaſe bene operculato. Qua ratione ex maſtiche uulgari & roſis incarnatis aut moſchatis, aut damaſcenis, ſine ullius olei mixtura odoratiſsimum fieri poſſe non abnuo.

Oleum

## *Oleum chamæmelinum.*

Fit Mesueo ut oleum rosatum, sed ex oleo maturo aut sesamino.

Ex florum generibus uiolarum, chamæmeli, meliloti, liliorum, anethi, nymphea, leucoij lutei & oleo dulci parantur in usum, olea etiam in diplomate coquenda. Paulus chamęmelinũ parat ex floribus recentib. uigintiquatuor horis siccatis & tabefactis, reiectis cãdidis folijs. Horũ unc. duas sextario Italico imponit, uas tegit linteo simplici, ut transpiret (iniucũdum enim quendam odorem garo similẽ contrahit, si nõ transpiret) quadraginta diebus insolat, tandem bene obturato uase reponit. Actuar. chamæmeli florum siue cãdidis foliolis sextantem in olei libra, uitreo uase linteolo cooperto quadraginta dies insolat. Alexandrinus Paulum sequutus, tãdem colatum reponit, in domo tẽperata super tabulato. Calidum temperatè & primo ordine, humido sicco temperatũ, tenuium partium: proindeq; digerendi, laxandi & rarefaciẽdi uim obtinet. Phlegmonas mitigat, moderatè resoluit, fluxiones cohibet, ut sua modicè astringẽte, ideoq; colicis, articularijs, cęterorumq; dolorũ initijs quòd modicè digerat & repellat est salubre. Valẽter enim digerẽtia plus affluẽtis materię in partẽ alliciunt, quàm affluxę depleant. Calore suo temperato homini maximè familiare est, & ad olei uires propius accedẽs. *Lib. 2. comp. ph. p. lib. 12. meth. & 5. simpl. lib. 3. cõp. ph. gen.*

Qua-

*Lib.3.Simpl. cap.10.* Quapropter lassitudines, ut si quid aliud, cùm primis iuuat, doloresq; sedat & mitigat, tensa remittit & laxat, quæq; mediocriter dura sunt, emollit, & cõstipata rarefacit. Febres nõ admodum ardentes, & quæ citra uisceris alicuius inflammationẽ infęstant, discutit, dissoluitq;, prę sertim quæ ex humorib. acribus, biliosis & cute stipata proueniunt. Sed tum quidem percoctis humoribus adhibendũ, ut relaxatis cutis inanitatibus resoluta & tenuata febrilis materia facilius expiret. Quanquam & reliquas omnes febres iuuat, quæ melancholicæ sunt aut pituitosæ, aut ex uisceris alicuius inflammatione prognatæ. Hypochondriorum tensionibus utile & gratum. Per se illitum, aut cum uino bene diluto calido febribus diuturnis rarefactione prodest, & dolentibus quibuslibet partibus. Capitis dolorem ex ardore & insolatu mitigat, eoque post rosaceum utitur Galenus his *Lib.2.Comp. phar.part.* in corporibus, quibus uehemens frigus inducendum non est: quales sunt molles & albidæ fœminarum, eunuchorum & puerorum naturæ. In quibus calore temperato refrigerat quidem quantum satis est, non secus ac rosaceum *Lib 3.Simpl. cap.11.* mediæ naturæ temperiem seruans Galeno, caliditatis tepore exustos refrigerat: algentes uerò paulùm etiam calefacit, repugnãtibus calidi moderati affectibus, ut balneæ rigẽtes quidem excalfaciunt, ęstuantes uerò refrigerant. Vtendum eo in capite mediocriter densato & dolẽte à

te à febribus non admodum ardentibus. Meatus namq; laxat, uapores discutit, & acrimoniã temperat. In summa, in febribus nõ admodum calidis dolorem magis quàm rosaceum mitigat, neruosum genus omne roborat. Acopum est & anodynum, idq; non temerè supponimus initio colici cruciatus, ut quę sunt à flatibus distensa relaxentur & emolliãtur. Quod ex succis folijs in uase duplici coctis paratur, est imbecillius quàm ut promissa expleat. Oleum chamæmelinum compositum ex oleo sesamino, fœnogræco, & chamæmeli floribus, habet Auicennas libro quinto.

## *Oleum uiolatum.*

Paratur ut rosaceũ, præterquã quòd ex oleo omphacino fit, aut amygdalino, aut sesamino.

Flores uiolæ nigræ, uulgò Martiæ, in oleo omphacino madeant, & sæpius permutentur, insolentur, & tandem reponantur. Quòd si oleum omphacinũ, aut ex immaturis oliuis desit, amygdalinum aut sesaminum lotione in aqua frigida, aut uiolarũ destillata uim omphacini accipiet. Fit Paulo Iaton ex uiolis purpureis, croceis, uel leucio, si uiolarũ detractis unguibus unciæ tres in omphacini quinq; sextarios Italicos immittantur, uase accuratè adstricto ne quid exhalet, diebus decem insolentur, uiolis ter permutatis, & tandem immissis uiolis siccis. Actuarius uiolarum quadrantem olei *Iaton Pauli.*

K libris

libris duabus macerat. Alexandrinus uiolarum purpurearum & albarum uncias tres in dulcissimi olei sextarium Italicum conijcit, terq; permutat. Frigidum est, humidum, tenuium partium, leniẽs & modicè aperiens, ad feruẽtes inflammationes idoneum. Intemperiem calidam extinguit, ideoque phlegmonas omnes remittit: asperdinem arteriæ, pulmonis & thoracis lenit. Tabidis, consumptis, hecticis præsenti est remedio inuncto thorace. Vi enim refrigerãte & humectante febris hecticæ squalorem frangit, & partium scabriciem abolet, siccitatemq; remouet. Phreneticis insomnia laborantibus cum tritici farina & strychni succo subactum, fronti & temporibus impositum soporem inducit. Cyathis duobus cum totidem euphorbij scriptulis, lumbricos mirificè excludit: uolis manuum & plantis pedum illitum stomachi feruorem placat: cum succo portulacæ & aqua cucurbitæ admixtum, hepati & præcordijs adhibitum intolerabiles febrium ardẽtium æstus mitigat. Ad lassitudinem curandam odoris iucunditate ualet, animi turbulentiam ad tranquillitatem ac uoluptatem immutat, & somnum compositum facit. Crebrò supponitur ad intemperiem febrium permutandam, & ardorem mitigandum. Intemperaturæ partium, aut inflammationi soli, ubi tantùm alterantibus opus est, quidam adhibẽt, ut rosatum humorum affluxui cum intemperie. Renum & iecoris immoderatum

moderatum calorẽ ſedat cum aceto pauco, ſucco lactucæ, ſantalis albis & ceræ exiguo.

## *Oleum de keyri.*

Fit oleũ ex leucoio luteo, eo modo quo uiolatum, floribus uiolæ luteæ ſæpius maceratis, madefactis & permutatis in oleo dulci aut ſeſamino. Calidum eſt temperatè, tenuat, lenit, digerit. Suppoſitum dolores ex flatibus, materia frigida & pituitoſa mitigat, uentris torminibus modicè ſuccurrit, neruorum & iuncturarum dolores ſedat, thoraci & pectori, renibus & ueſicæ conuenit.

## *Oleum anethinum.*

Paratur ut cætera, anethi floribus oleo dulci maceratis & inſolatis diebus quadraginta. Paulus anethi uiridis comæ exiccatæ unciam, olei dulcis ſextario Italico macerat & inſolat. Actuarius anethi uiridis per diem & noctem marceſcentis unciam, in olei dulcis ſeſquilibra, operculato uaſe dies quadraginta inſolatu macerat. Alexandrinus comam anethi uiridis ſumit, prius quàm ſemen ſolidum fiat & acre. Inutile enim ad uſum fit propter floris iacturam, cæterà Paulum ſequitur. Galenus anethi uiridis & maturi comas relaxantium oleo aliquo macerat, & in diplomate tantiſper calfacit, dum mediocriter herbæ qualitatem imbiberit. Oleum uerò adhibet, antiquum præſertim, & in quo nulla ſit adſtrictio. *Li. 12. Meth. & lib. 4. Salub.*

Eo utitur ut digerente, quodq; succos nec crassos, nec lentos, cuti & carni inhærentes dissipare, & in aerem euocare possit. Anodynó est, tumores crudos coquens, resoluens & laxans, somnum concilians, rigorem febrilem spinæ & partibus neruosis accessionis initio illitum euincẽs, cephalalgiá mitigans. Vteri & locorum muliebrium duritias emollit, subter inditum menstruis imperat, & uuluarum casus ferè omnes componit, acopis familiare, lassitudines discutit, dolores articularios subleuat, uenarum spiracula laxat, calfacit & emollit, typica frigora stomacho, renibus & dorso iuxta ignẽ illitum emendat, neruis gratum, ideoque conuulsionibus amicum. Calidius est chamæmelino. Admouetur utiliter fatigatis in hyeme: mollit enim & humectat. Bonum etiam ijs qui à pituita leuiter febricitant, omninoque à frigidis causis laborantibus. Vtile tendinibus præsertim & musculis. Infuso celebre ad alui duritias, & à flatibus tensiones relaxandas & leuandas. Temperie propinquum pus mouentibus & concoquentibus medicamẽtis, nisi quatenus illis paulò est tenuius & calidius, ob idq; digerens. Ex uiridi anetho parandum quod est humidius, minus calidum: ideoq; magis concoquens, sed minus digerens. Paulus etiam pro temporis ratione cùm insolatus desideratur, sicci anethi comam cum oleo in lebete decoquit: sed hoc olei genus imbecillius est eo quod

Lib. 6. Simp.

quod maceratione & apricatione fit. Præstat namque ex floribus parare quod facit Dioscorides olei libris octo cum drodrante florum anethi libras undecim, & bessem die una macerans, & ad uirium intensionem recentibus anethi floribus immissis opus repetens. Anethinum oleum Auicennæ ex oleo sesamino & anethi semine paratur, libro quinto ex Serapionis doctrina.

## *Oleum lirinon.*

Paratur oleum ex liliorum floribus albis, detracto eo quod croceum est, ut superiora. Paulus liliorum alborum uncias duas in olei dulcis sextarium Italicum conijcit, uas exactè stringit, ne quid euaporet, insolat, inde primis exemptis, proiectisque folijs, recentia per triduum subsequens induntur, atque sic insolatum reponitur. Actuarius & Alexandrinus eodem modo foliorum lilij, demptis unguibus ab imis partibus sextantem, olei dulcis libris tribus macerant, triduò insolant, prioribus abiectis, recentia folia immittunt, rursusque triduo exacto alia, terque id negocium repetunt. Hoc simplex est lirinon, quod etiam crininon, lilinum & susinum, translato quoque ad unguenta nomine dicitur: quod fit è lilio, sub dio, sole, luna prima macerato. Probat Plinius Phaselinum & Syrium, quod ex laudatissimo lilio in Antiochia & Laodicea Syriæ, mox in *Plin. lib. 15. cap. 7. Lib. 21. cap. 5.*

Susinum cõp. Phaselide paratur. Compositi susini magna est in scriptoribus celebritas. Pauli hæc est compositio: Olei sextarij tres, calami odorati libræ quinque, myrrhæ unciæ quinque, cardamomi libræ tres, lilij foliorum unguibus ablatis resiccatorum libra, cinnamomi unciæ tres, croci Cilicij unciæ quinque. Tota confectio tribus iniectionibus distinguitur. Primùm myrrha & calamus odoratus uino ad dies quinque macerata, ter die mouentur, inde oleo incoquuntur, dum uinum exhalarit: deinde cardamomum aqua maceratum ter die mouetur, similiterque rursus per horam unam oleo incoquitur. Quibus exemptis, tertiam liliorum partem oleo puro inserimus. & post triduum his iniectis, tertia alia pars imponitur: iterumque tribus diebus exactis, additur ultima pars tertia cum croco læuigata: & secundum tres alios dies cinnamomum contusum additur, & reponitur. Dioscorides aliam habet susini compositionem longè operosiorem. Est & sua posteritati compositio. Auicennas lib. quinto lirinō compositum parat ex casiæ ligneæ, carpobalsami & mastiches, sing. uncia. caryophyllorum & cinnamomi, sing. semuncia, croci drachma. Trita omnia in olei sesamini sesquilibrá, cum lilijs triginta, à quibus croceum exemptum sit, indantur: uase uitreo concludantur, insolentur, deinde in umbra reponantur. Quem Mesueus proximè sequutus, habet foliorum liliorũ unc.

octo

octo. mastiches, calami aromatici, costi, carpobalsami, ana unc. unam. caryophyllorum, cinnamomi, ana semũciam. croci drach. tres. Omnia præter, liliorum folia aqua sufficiẽti die integra macerat, semel aut bis feruefacit. Deinde iniectis olei dulcis uel sesamini lib. duabus, & additis lilij floribus, in uase uitreo insolat dies quadraginta: pòst colatum reponit. Est & alia Nicolai compositio à quibusdam Alexãdrino attributa, quæ capit olei pondo quinque. liliorum pondo, rosarum selibram, mastiches uncias duas, croci semunciam. Trita omnia in tenuissimum puluerem uitreo uase conduntur cum oleo, quod diebus nouem insolatum, decimo die lento igni coquitur, & colatũ usui reseruatur. Lirinum calfacit potẽtius quàm chamæmelinum aut anethinũ, resoluit, digerit, concoquit, dolores à frigore thoracis, uentriculi, coli, uteri, renũ, uesicæ & neruosarũ partium sedat, lenit, mitigat. Conuulsionibus factitato remedio presentissimũ auxilium. Cruciatus colicos inunctum aut suppositũ iuuat. Intinctum croco omnes inflãmationes discutit. Vtile est muliebribus malis, locorũ muliebriũ preclusiones & collectiones aperit, eorumq́; durities soluit, & morsus ab acrimonia excitatos obtundit, roburq́; utero addit, estq́; in uniuersum fœminarum mẽsibus maximè accõmodatum. Quibus uteri uicijs hodieq́; potum à Medicis instituitur, & grauidis ad facilẽ partum confert, ulcera

capitis manantia, furfures, uaros, feruidas eruptiones hieme contractas illitum ſanat, uibices, cicatricesque celerrimè ad colorem reducit, atque ad omnem inflammationem cum uitellis ouorum inunctum accommodatur, rarefacit: potum, deiectionem bilis per aluum molitur, urinam ciet, renibus utiliſsimum eſt, ſudoribusque euocandis, uuluæ emolliendæ, concoquendoque intus nauſeam parit, & ſtomacho, ut eſt olei natura, aduerſatur. Acopon eſt alijs admixtum ijs qui fatigati ſunt, & emollientibus adiectum medicamẽtis emollit, & in ſumma tepidum dolores mitigat. Quos omnes effectus propriè magis pręſtat ſuſinũ cõpoſitũ.

## *Oleum Irinum.*

Sic fit Meſueo: Radicum Ireos libram unam, florum eiuſdem libras duas. decocti radicum ireos quod ſatis eſt. olei dulcis uel ſeſamini quãtum ſufficit: in uaſe duplici coque, radices & florum folia noua immitte, prioribus expreſsis & abiectis, ut in oleo roſato.

Plurimũ probatur irinum Dioſcoridi, quod ſolam irim redolet, ideoque ſimplex potius parandum quàm ſpiſſamentum irinum ueterum, quod nulla facultate comparari, ſed ſolis uotis expeti poteſt, requirendum. Hodie quibuſdam hoc modo fit irinum non fruſtrando effectu. Olei lib. ſex uini pondo additur: oleum tamen prius aqua eluatur, qua effuſa uinum inditur,

ditur, aspergũtur maceros triti. unciæ quatuor. cardamomi, zedoaris, sing. unciæ duæ. Macerentur loco calido, obstructo uasis orificio per dies octo: deinde diplomate coquito, dum uini dimidium expirarit, oleum exprime, asperge radicis ireos tritæ libras duas: iterum macera diebus octo, expresso oleo recentis iridis contusæ par pondus inijcito, insola, exprime, tertiumque opus repete. Tandem oleum in diplomate cum asperso ultimò iridis puluere aliquandiu coquito, exprime & repone. Viribus efficax compositio ad ea omnia quæ specie præ se fert irinum. Paulus irini unguenti compositionem habet, quam ferè alij omnes sequuti sunt. Capit iridis, aspalathi, cyperi, sing. libras quinque. opopanacis uncias tres. anchusę unc. duas, olei sextarios triginta. aquæ sextarios quindecim. Adijciunt aliqui iunci rotundi floris uncias sex. casiæ unc. tres. xylobalsami unc. sex. nardi Celticæ tantundem. Cõtusa crassiusculè omnia pridie aqua macerantur, inde oleo diebus quinq; incoquuntur in lebete ad sex horas, dum humor oleo alienus exhalarit, reponitur unguentum. Actuarius uiticis baccas, piper & heleniũ addit, põderibus uariat, soloq; oleo macerat. Alexandrini codex Gręcus dimidiam Pauli compositionẽ adscribit, helenium addit, in aqua aliquãtulum diminutus uidetur, opopanacem uino macerat & liquat. Cui tamen ex codice Latino longè aliam mixturam tribuũt,

quæ capit olei sextarios decem. aquæ sextarios tres. radicum iridis libras tres, uncias tres. radicis lilij uncias quindecim. radicis cyperi uiridis unciaa sex. helenij uncias tres. anchusæ uncias duas. cinnamomi, asæ, spicæ, singulorum unciam unam. Contusa omnia macerantur oleo & aqua diebus quinque loco calido uel insolatu, obstructo uasis orificio: postea supra lentas prunas in duplici uase coquito, donec aqua expirarit: refrigerato, & ultimò exprimito, cumque aliquid subsederit, sensim excolato. Vim habet irinum oleum excalfactoriam & mollientem, roborat, tenuat, resoluit potenter, terget, coquit, maturat, & alta penetrat, uicijs omnibus frigidis confert, indeque neruorum querelas & dolores sedat, conuulsionibus efficax, contra aurium sonitus illitum etiam cum ruta & amaris omnibus prodest, quæ in thorace sunt & pulmone coquit, anhelatores & asthmaticos promoto sputo iuuat, tussim compescit, strumas dissipat, aliosque tumores duros hepatis & splenis, articulorumque dolores & duritias emendat, locorum muliebrium inflammationes, præclusiones sanat, durities emollit, fœminis uuluæ causarijs utile, partum elicit, hæmorrhoidas ueteres illitum siue colo iniectum recludit, facit ad intestinorum tormina & ilei cruciatus, naribus illitum diuturnis distillationibus medetur, earumque graueolentia ulcera (ozænas uocant) & pu-

& putredines aufert, aluum purgat cyathus epotus, urinam mouet, uomitionem adiuuat eò digitis illitis immißsis. Datur ijs qui cicutam, coriandrum, aut fungorum uenenum hauserunt, præsentißsimo alexipharmaco. In summa, uis eius excalefaciens, & minimè acris, ideoq; perfrictis partibus, alsiosisque utile.

## *Oleum sambucinum.*

Fit ut chamæmelinum crebra florum sambuci in oleo ueteri clarißsimo, dulci maceratione & insolatione lenit: abstergit, cutim expurgat, aurigini, obstructoque hepati confert, articulorum & neruorum doloribus utile: eos namque roborat. Quibus uicijs salubriter adhibitum annotat Manardus. Epotum aut suppositum, aluum irritat, serosaque excrementa per inferna educit. Fit quoque ex medio sambuci cortice similiter macerato oleum Italis ad ambusta mirificè usurpatum.

## *Oleum sambacinum.*

Fit ex floribus sambaci, quem Gelseminum, aut Ieseminum & Iasminum uocant, oleum admodum odoratum eadem ratione qua chamęmelinum aut uiolaceum, myropolarum potius quàm pharmacopœorum industria. Viribus est chamæmelino aut keyrino proximum, ijsque quæ calefactionem & relaxationem desiderant utile. Dioscorides Iasmini unguenti meminit (etsi quidam suppositum totum locum

locum exiſtimant) quod à Perſide traductum, ex floribus albis uiolæ & oleo ſeſamino parabatur, & uulgari Perſarũ lingua Iaſme nuncupabatur, quo utebantur inter epulandum odoris gratia. Illi enim ſæpe unguento madebant, & accerſita commendatione ingluuie natum uirus extinguebãt. Vtuntur etiam adhuc Itali poſt balinearum diſpenſationem ad totius corporis curam. Ingrata tamen in eo eſt nimia odoris bonitas, & quæ quibuſdam uix ferri poſſit. Sambacus uerò hodie ubique in Gallia ferè luxuriat: multis uiticulis pergulas & concamerationes ueſtiens, floribus uiolis ſimilibus, & odore admodum gratis, Iaſminum uocant.

Meminit olei de Iaſme Alexandrinus, Dioſcoridem ſecutus.

## *Oleum è papauere.*

Fit ut uiolatum ex floribus, ſed etiam ex capitibus, & folijs papaueris albi mitius & tutius: quod uerò ex nigro elicitur, ſtupefaciendo eſt efficacius. Ex utriuſq; etiam ſemine oleum exprimitur amygdalini aut balanini modo, ſed ſuperiore inuſitatius. Intẽperiem calidã ſanat, febrium ardores & inſomniam mitigat, fronti, auribus, naribus & temporib. illitum ſomnum humiditate & frigore cõciliat, & febriũ ſqualores præſentẽ peruigilij cauſam tollit, ſummouet, impinguat etiam & aſperã arteriam lenit, Renum dolorib, ex intẽperie calida medetur.

Oleum

## Oleum de meliloto.

Paratur ut chamæmelinum, eique & anethino uiribus est affine, nisi si quibus uera melilotus desideratur.

## Oleum de Nymphæa.

Vires habet uiolati, eodemque fit modo, refrigerat tamē magis, cephalalgiam ex febrium incendio, indeq; enatum delirium papauerino mixtum mitigat, insomniam abigit, urinæ ardori, intemperaturæ partium calidæ, renū, eorumque ulceri & uesicæ commodùm illitum, aut clystere suppositum. Veneris secundū quietem ludicra arcet, & tentiginem propellit genitali illitum. fit ex floribus nympheę candidis, nō luteis, diebus quadraginta in oleo omphacino insolatis. Alexandrinus olei de nymphæa compositionem habet multiplicem, & unguentis magis accommodatam.

## Oleum cydoniorum Mes.

Capit carnis cydoniorum acerborum, & immaturorum cum cortice & seminibus tritorum, & succi eorum, singulorum partes æquales. In oleo omphacino sufficienti diebus quindecim uase uitreo insola, dein horis quatuor in uase duplici decoquito. Carnē & succum muta, rursus insola & coque, ut dixi: bis aut ter repete, cola, repone. E' malis cotoneis & strutheis

fit oleum melinum, quod in unguenta transit, admixtis omphacio, cyprino, sesamino, balsamo, iunco, casia, abrotano. Ad id uerò probátur Plinio, quę in humidis nata non sunt: qualia ex Sicilia plurima ueniunt. Melini unguenti ambitiosam, ualdeq; operosam condituram habet Dioscorides. Paulus melinū parat ex cydoniorum, lanugine bene detersa, cum corticibus incisorū unc. tribus, in olei omphacini sextario Italico diebus quadraginta insolatis. Actuarius malorum cotoneorū, exempta medulla, in minutas partes dissectorū selibrá, olei omphacini sextario diebus quadraginta macerat & insolat. Quem apparatū sequutus est Alexádrinus. Abscissis namq; quæ iuxta pediculū & imum sunt festucis, & medulla prius cum internis granis abiecta, mala incidātur, cortice retento, in quo odoris & adstrictionis sedes est. Cydoniorū in exigua frustula dissectorum uncias tres in olei omphacini sextarium coijcit, soli diebus quadraginta exponit, posteaq; recōdit. Paratur eidem cotoneorū inopia ex alijs malis quæ cortice sunt acerbo & odorato. Melinum stringit, refrigerat: quamobré ad stomachi iocinorisq; imbecillitates est utile: uentrem totum inferiorem, & neruos laxiores cogendo roborat, uentriculiq; & intestinorū retentricem firmat, qualitate sua aromatica coctionem iuuat, & stomachum in uomitiones effusum in sese cōgit. Facit ad uentrem defluxionibus infestatum, lienteriæ,

Plin. lib. 13. cap. 1. & lib. 23. cap. 6.

teriæ, diarrhœæ, dyſenteriæ medetur, myrteo, maſtichino aut roſaceo admixtum: per ſe quoque infuſo ſuppoſitum, ubi præcipuè ſubacris bilis colum & craſsiora inteſtina uellicat. Spinæ illitũ, & thoraci, ſudores immodicos & diaphoreticos cohibet. Adſtringit quidem inſtar lentiſcini, ſtomacho tamen gratius, ad cuius uicia ualde eſt accommodatum: & roſaceo utilius, propter mala quæ uentriculo robur adijciunt, & uehementius propellunt acrium humorum colluuiem. Frigidis ſtomachi malis arcendum, quibus abſinthium oleo incoctum magis conuenit. Cydonia quidam cortice & ſemine purgant: qua diligentia uix opus eſt, niſi impura ſint aut ſemiputria. Succus malorum diplomate cum oleo coquendus, ne uſtrina oleum uiciet. Succus plurimus effluit, ſi ferramento exaſperato, & radicula exteras potius & eradas, quàm ſeces.

## *Oleum myrteum.*

Similis eſt myrtei olei ratio. Myrtorum recentes baccæ & ſuccus in oleum omphacinum demittitur, inſolatur, diplomate dũ expiret per coquitur, opusq; tertiò etiam repetitur. Myrtarum recentium inopia baccas ipſas aut folia hodie uino ueteri & odorato cõtuſa aſpergimus, & myrtarũ ſelibram in olei omphacini ſeſquilibrá conijcimus, inſolamus, & cum uini albi auſteri unc. quatuor ad uini cõſumptionẽ percoquimus.

quimus. Fit & per expreſsionem baccarum myrti recentium, & per decoctionem in aqua, oleum ſupernatans ligula excipiendũ. Myrtei triplex eſt ratio Dioſcoridi, ex folijs myrti nigræ & ſylueſtris parati. folia molliſsima tuſa premũtur, ſucco pares omphacini olei portiones adijciuntur, prunis incoquuntur, innatans oleum deraditur. folia etiam ipſa tenella oleo & aqua incoquuntur, quod innatat eximitur. Priuatim alij deiecta in oleũ folia in ſole macerant, alij prius tamen oleum odoramentis inſpiſſant. Actuarius tenellorum myrti foliorum unciam, conciſam in olei immaturi ſextarium demittit, macerat, inſolat & reponit. Alexand. foliorum myrti recentium uncias duas, in olei omphacini ſextarium Italicum, uini aſtringẽtis odorati ſextariam quartam partem adijcit. (in quo Aetium eſt imitatus) lentis prunis coquit dum folia ſiccẽtur, uinumq; abſumatur. Poſtea oleum purum colo tranſmiſſum, uitreo uaſculo reponitur, folijs myrti recentibus dum die & nocte tabuerint immiſsis ad unc. unam. Sic in uſum reconditur. Vulgati Nic. codices myrteum aliud parant. foliorum myrti tenellorum & recentium contuſorum libræ duę uini ſextario horis uiginti quatuor macerãtur. olei ſextarij quinq; infundũtur, & ad lentas prunas dum uinum exhalarit decoquuntur. Percolato croci & œnanthes, ſing. drach. decem. maſtiches, acaciæ, ſing. drach. 8. aſperguntur, iterũq; lento igne

igne ad iuſtam omnium permiſtionẽ deferue-
ſcunt, reconditum uſui reſeruatur. Plinio fit *Lib. 15. ca. 7.*
myrteum ex myrto nigra & latifolia, quæ me-
lior. Tunduntur baccæ aſperſæ calida aqua,
mox decoquuntur. Alij foliorũ mollisſima de-
coquunt in oleo, & exprimunt. Alij deiecta ea
in oleum prius ſole macerant. Agnoſcit Gal. *Lib. 2. com.*
myrteum ex myrti baccis, earumque ſucco & *ph. part.*
oleo paratum, mixtamq; ei facultatem tribuit,
denſantem & ſtringentem ex myrtis, emollien
tem uerò & digerẽtem ex olei natura. Ad opus
ipſum ſylueſtris myrtus pręfertur breuis & fru
ticoſa, quam quidã oxymyrſinem, alij chamæ-
myrſinem uocant, licet eadem ſit ratio in ſati-
ua myrto. Adſtringit, refrigerat, denſat, cogit *Lib. 2. comp.*
myrteum, melino efficacius & potẽtius ſiccat, *phar. gen.*
quo nomine ad cicatricem obducẽdam in me-
dicamenta uenit: cerebrum, neruos & uentri-
culum adſtrictione roborat, ſed melino & ma-
ſtichino imbecillius. Viſcerum enim phlegmo
nis inutile, cùm craſsiorum ſit partium quàm
ut altè deſcẽdere poſsit, quibus uitijs leuis ad-
ſtrictio eorũ pręcipuè medicamẽtorũ quæſint
tenuiũ partiũ accõmodari debet. Gingiuis me *Lib. 11. meth.*
detur, dẽtium dolori, dyſentericis, cœliacis, uul *cap. 18.*
uæ exulceratæ, ulceribus uetuſtis uel manan-
tibus, ex nimio affluxu humentibus, cum ſqua
ma æris & cera. Item eruptionibus, ambuſtio-
nibus. Attrita ſanat, quæ præcipuè hyeme con
tracta ſunt, & furfures & rhagadas, condylo-

mata, articulos luxatos, & odorē corporis grauem sudoribus repressis, & ad omnia quæ adstrictionem & inspissationem desiderant ceratis, & emplastris iniectum, compertum est efficax, & defluxionibus affluentibus suspendendis utiliter adhiberi. Hæmoptoicis & sanguinis ex pectore reiectationi confert, & pectori

*Lib. 5. meth.* myrteum cum rosaceo æstate illinit Gal. ad arcendam phlegmonem in ulcere pulmonis. Mulierum capillitium continet, eiusq; defluuium sistit. Quib. uitijs myrteum ladano adijcit Gal. libro 1. compos. phar. part.

## *Oleum mandragoræ.*

Fit Mesueo, ex succi pomorū mandragoræ maturorū, & olei sesamini partib. ęqualib. in uase duplici coctis ad succi cōpositionē. Succi tantūdem suffice, coque ut prius: idem tertiò fac, & reconde. Hodie huius succi loco quem Gal.

*Lib. 1. comp. phar. gen.* ex Creta petendum censebat, radicem mandragoræ decoctum sufficimus. Nic. Alexandrinus

*Oleū mand. Alex.* aliter parat. Olei cōmunis libras duas. succi mali punici acidi, succi mandragoræ radicis, sing. unc. quatuor. succi hyoscyami unc. duas. succi papaueris hortensis nigri uncias tres. succi foliorum uiolæ, succi canchryos, sing. unc. unam. opij boni, styracis calamitis, sing. semunciā. Omnia simul cum oleo mixta reponito in uase uitreo, & sub ęstu caniculari insolato diebus decem: dein coquito in uase duplici, ut solum oleum

um remaneat, refrigerato & colato adde ſtyracem & opium, reconde ad uſum. Qua in confectione paululum uariant Nicolai uulgati codices. Succum nanque mali punici prætermittunt, & loco canchryos cicutam ponunt, rectè quidem, ſic enim apud Alex. legi malim. Valet hoc oleum ad omnem inflammationem extinguendam, ſomnum conciliandum, capitis dolores ſedandos, phreniticis, febricitantibus, & uigilantibus conueniens, fronti, temporibus & naribus illitum.

## *Oleum rutaceum.*

Fit Meſueo ex foliorũ rutę recentium, & eorum ſucco portionib. æqualibus in oleum dulce & uetus cõiectis, & inſolatis diebus 15. deinde duplici uaſe coctis, iterũ & tertiò permutatis folijs, & ſuccis demum colatis & repoſitis.

Paratur hodie rutaceum ex folijs rutæ recentibus oleo ueteri maceratis, & æſtate tota inſolatis: qua exacta coquitur, exprimitur, reponitur. Simile ratione fit oleum menthæ, abſinthij. Actuario rutaceum capit comarum rutæ, & foliorum die nocteque unà tabeſcentium unciam. olei libram. anethini modo diebus quadraginta ſoli explicatur. Nic. compoſitio capit olei uncias ſeptuaginta, foliorum rutæ unc. triginta tres. ſampſychi, cumini, ana unc. ſex cum ſemiſse. Herbæ & cuminum conſuſa diebus quinque oleo macerentur, in uaſe

duplici percoquantur, colētur & usui reponantur. Calfacit, tenuat, digerit. Illitum & clystere iniectum, colicum cruciatum sedat: cui anethinum & chamæmelinum uirium imbecillitate cessere. laterum, renum, uesicæ, uteri dolores ex frigida causa iuuat. Item neruorum labores, mollitudinem, eorumque exolutionem spinæ inunctum componit, cōuulsionibus medetur, renum, uesicæ, & uteri frigidis malis succurrit, inflatus dissipat, idque efficacius si ex ruta sicca tertiò aut quartò madente opus compleueris, quæ ueteribus multis nominibus semper fuit commendatissima. In uirente namq; multū crudi & aquei succi inest. Est oleū rutaceum Cardano, cuius inunctio aduersus uenena omnia prodest, eodemq; fit modo quo caryophyllatum & spicatum apud pigmentarios. Est aliud ex seminibus rutę, ex Lullo descriptum, admirabilis efficaciæ.

*Lib. 2. de Subtil.*

## *Oleum nardinum, Mes.*

Capit spicæ nardi unc. tres. uini & aquæ ana unc. duas & dimidiam. olei sesamini selibram. Coque in uase duplici, lēto igne horis circiter quatuor frequenter agitando.

Hoc est usu frequentissimum. Reliqua Nardini genera Mesueo descripta, unguētum potius quàm oleū resipiunt, ad ea quæ promittunt satis efficacia, nisi nos magna medicamentorum pars raritate propè singulari ad apparatū deficeret.

deficeret. Nardini apparatus sumptuosam apud antiquos habuit celebritatem. Eius ratio Diosc. euariat. est nanque simplex, non sine odoramentis tamen, compositum alterum spissamentis & odoramentis auctū. Actuarius Nardini olei compositionem ambitiosam habet. Alexandrinus tres eiusdem cōfectiones ex Aetio ferè depromptas non minus operosas describit. Est & in uulgatis Nicolai codicibus Nardini confectio sumptuosa quidem & efficax, apparatu apposito. Probat Galenus in uentriculi imbecillitate Nardinum, quod amomū liberalius ceperit. Calfacit, tenuat, digerit, modicè adstringit. Quocirca ijs auxiliatur qui adstrictione caloreque indigent, nempè stomachicis, cœliacis, destillationi & thoracis uitio obnoxijs: uentriculum firmat, & concoctionē procurat. Vi enim calfaciente & adstringente tenui, tum uerò siccando & robur inserendo, in corpora quę circa uentriculum continentur altè penetrare potest. Quo nomine in fluore alui à cruditate nidorulenta & uentriculi imbecillitate adhibet Galenus, sed Nardinum curiosè paratum expetit. Eodem etiam usus est in uentriculo frigido & sicco lib. 7. meth. Adstrictione sua nobile est in uiscerum phlegmonis, quale adhibet Galenus in iecoris inflammatione, & pectori illinit, hyeme pręsertim, in ulcere pulmonum. Ei uerò plurimùm probatur quod Laodiceæ in Asia fiebat, & in multis oppidis iam

*Lib. 6. salub.*

*Lib. 8. meth.*

*Lib. 13. meth.*
*Lib. 5. meth.*
*Lib. 6. salub. & 11. meth.*

ſuo ſæculo confici cœperat, Neapolitano damnato quòd tantùm unguenti nardini nomen retineret. Cerebri & neruorum frigidos affectus ſanat, aurium dolorem mitigat, quibus etiam fluxione iam affectis ad diſsipandũ quod reſederat, & robur particulæ addendum utitur Galenus libro 6. ſalubrium. Tremulis, paralyticis ſummum eſt remedium. Locorum muliebrium præfocationes, occluſiones, & tumores diſcutit ſuppoſitũ, aut etiam immiſſum. Veſicæ dolori renumq; calculis opitulatur. Hodie ſeſamini olei loco dulce uſurpamus, & in Nardini apparatu ſpicam aqua & uino prius infundimus, deinde coctura utriuſq; conſumptionẽ requirimus. Nardinũ ualde etiam cõpoſitum, ut cæteri, deſcribit Auicen. lib. 5. Plinio fit Nardinũ è nardo Gallica, ſucco in oleo macerato & expreſſo. Sunt qui etiam lauẽdulam dictam huic oleo macerent, & ex illius floribus oleum deſtillent, cuius plures modos habes apud Euonymum. Nardino iſto ſolenni utũtur in curationibus ſuis medicis, uiri aliquot percelebres, idque non inefficaciter. Habet ſpicæ odoriferæ uncias tres. florum lauendulæ unc. unam & ſemiſsim. caryophyllorũ ſemunciam. maſtiches drach. tres. uini deſtillati unc. quinque. ſtyracis ſemunciá. uini cretici libras duas. aquæ lauendulæ uncias quatuor. olei omphacini lib. unam & dimidiam. Omnia uaſe uitreo repoſita, & bene tecta macerentur, duplici

*Lib. 15. ca. 7.*

uaſe

uaſe per horas ſex diligentiſsimè coquantur. Colatum reponatur.

## *Oleum maſtichinum Meſ.*

Fit ex olei roſati libra una. maſtiches unc. tribus. uini unc. octo. Omnia coquuntur, dum uinum expirarit.

Duæ ſunt maſtichini olei deſcriptiones apud Meſueum, quarũ quæ ſecunda eſt in uſum uenit. Prima uerò ex Auicenna & Serapione deſumpta eſt. Fit hodie maſtichinum ex oleo uulgari, cùm omphacinum, aut roſatum, aut ſaltem lotum ad opus maximè deſideretur. In uaſe duplici percoqui debet, conſumptoq; propemodum uino maſtiche pertrita paulatim infriatur, continenter mouendo donec e-rit liquata & permiſta. Maſtichinum Paulo duplex eſt, ſimpliciſsimum unum quod chiæ maſtiches unciam unam capit omphacini olei ſextario Italico immiſſam, excoctamq; in cacabo. Nonnulli uerò abſinthij & ſtoracis, ſing. unciam addunt. Alterum compoſitum quidem, & unguento quàm oleo magis affine. Quem per omnia ſequitur Actuarius, ſimplex maſtichinum ex maſtiches uncia olei immaturi ſeſquilibræ in duplici uaſe incocta. Compoſitum quidem etſi quadam parte defectum eſt, nonnihil tamen Pauli deſcriptioni reſpondet. Alexandrinus ſimplex maſtichinum Pauli ſequitur, & aliud longè aliter deſcribit.

Compositi duas habet formulas, quarum altera numeri 38. à Paulo ponderibus & flore iunci odorati pro lētiſci flore deficit. Altera uerò ſibi propria eſt, & familiaris. Nicolai quoque uulgati codices ſuam habent huius olei compoſitionem, ab his omnibus maximè diſsidētem. Simplex maximè, ideoq́ue efficaciſsimum oleum ex maſtiche tuſa, & calefacta, torculari extorquetur Dioſcoridis præſcripto, quod cōtra omnia uuluæ mala eſt efficax, mediocriter calfacit, adſtringit & emollit. Ventriculi coctricē & retentricem roborat: illitū in liēteria, eidémque intemperie frigida & ſicca laboranti adhibet Galenus libro meth. 7. Ad cœliacorum, ſtomachicorum & dyſentericorum cruciatus utile, tumores duros lenit, cerebrum, neruos, iuncturas corroborat, dolorum rudimentis accommodatum, phlegmonis oris, gingiuarum, linguæ & totius oris tunicæ adhibitum cum lentiſcino duplici uaſe, calefactum tanquam anodynum medetur. Minus multò calet, ſiccat, obſtructa aperit, quàm nardinum: nec minus tamen adſtringendo roborat, quo nomine in cerata partibus leui adſtrictione confirmandis accommodata uenit, faciem etiam emaculat, & coloris gratiam cōmendat faciei illitum, præſtantiſsimū quod in Chia inſula componitur. Oleum aliud maſtichinum fit Meſueo, ex oleo roſato & uino antiquo acopō, ad partium laſsitudinem, & imbecillitatem.

*Cap. 12. in fine Canonū.*

Oleum

## *Oleum ſtyracinum Meſ.*

Styracis unciæ tres: uel ſi ualentius uis, quatuor, in olei ſeſamini libra una coquantur, ut maſtichinum. Colatum reponatur.

Sumptum ex Serapione & Auicenna: qui ſextario olei, maſtiches uncias tres apponunt. Alexandrinus olei optimi ſextario, ſtyracis pinguis uncias duas addit, in uaſe duplici coquit. Vulgati Nicolai codices ſtyracinum præ ſe ferunt, quod capit uini odoriferi libras duas. olei nardini libram unam. nardi gallicæ, ariſtolochiæ longæ, ana drach. tres. aloës, maſtiches, nucis indicæ, ſing. drach. duas. ſtyracis, meliloti, abſinthij, ſing. drach. unam. Contuſa omnia uino, per triduum infuſa, ad tertias decoque: & nardino oleo ſuperinfuſo, iterum in diplomate igni reponantur, dum uinum euaneſcat. refrigeratum cola, & conde. Meminit Dioſcorides ſtyracini, quod in Syria conficiebatur. Calfacit uehementer, & emollit, idq́; anethino efficacius. Ob id confert dolentibus à frigore renibus, ueſicæ, utero, muſculis, tendonibus, iuncturis, eorumq́ue duricies inſigniter emollit. Ad neruorum iniurias & uulnera fotu accommodatum, in Chirurgorum opus uenit. Ad ſcabiem efficax ſcribit Manardus, addita præſertim ellebori albi octaua portione.

## *Oleum costinum Mes.*

Costi amari unciæ duæ. casiæ ueræ, aut eius loco cinnamomi uncia una. summitatum sampsuchi uncias octo. uino odoro sufficienti biduò infundantur. deinde cum olei sesamini libris tribus coquantur horis sex, ut nardinum.

Costinum oleum solis Arabibus cognitum, uehementer calfacit, ideoq; neruorum ex frigore iniurias propellit, paralysi confert neruos roborando: uentriculum, musculos, tendones & ligamenta cõfirmat, obstructa aperit, hepatis præcipuè, febrilem rigorem spinæ illitum mitigat, capillos etiam tenacius affigit: & mucoso humore caniciem accelerante consumpto, eam moratur. Humanæ uitæ contra atrocissimas neruosi generis querelas præsentissimum remedium, si ex uera costi radice parari possit. Auicennas lib. 5. duas habet costini formulas, quæ Serapioni describuntur, in suo remediorum penu. Primam, quæ simplicissima est, ferè usurpauit Mesueus. Habet costi amari drach. decem. casiæ drach. sex. foliorum sampsychi sext. decẽ. Crassiusculè trita omnia per noctem, uino macerentur: deinde affusa olei sesamini sesquilibra, uase duplici percoquantur, dũ uinum deficiat. In quo parcior olei copia efficacius oleum facit. Longiore enim coctura aromatum uires expirant, ut non dubium sit deplen-

deplendam esse olei copiam Mesueo. Istam quoq; formulam sequuntur uulgati Nic. codices, prçterquàm quòd sampsychũ non addunt, & olei lib. duas & dimidiam capiunt. Efficacior est Auicennæ cōposita formula, sed unguento quàm oleo propior. Rhasio oleũ costinum capit costi unc. unam. piperis, pyrethri, euphorbij, sing. unciç tertiam partem. castorei semunciam. Dissoluuntur omnia oleo ricinino aut lirino, & in duplici uase feruescunt. Idē ascripsit Mesueus in paralysi. Cui ferè affine est compositum illud, & efficacius quod Nicolao attribuunt. Quidam pro folijs almarmacor Auicennç, marrubium legunt, alij sampsychum: quod significasse uidetur Mesueus. Hoc oleum propinat Auicennas.

*In paralysi, 9. ad Alm.*

## *Oleum cyprinum.*

Fit Mesueo ex florum cypri unc. quatuor. coctis in olei ueteris unc. decem. florum penuria folia cum modico uino bis mutata, prçdicto oleo incoqui possunt.

Cyprinum oleum de alkana dicitur Arabibus, nobis ligustrinũ, quòd ex ligustri floribus fiat. calfacit & moderatè adstringit, emolliendi uim habet, uuluæ & neruorum affectibus subuenit, in malagmata & cerata frequens uenit: pleuriticis succurrit, conuenitque ijs quibus ceruix in scapulas conuellitur, opisthotonicos uocant. Angina laborantibus & inguinum inflam-

*Lib. 2. comp. ph. part.*

inflammationibus illitum præstantissimum, item in acopa adijcitur, capillos à canitie uindicat. Cyprini olei duplicem habet descriptionem Paulus, quod ueriùs unguentum dici debet, quale est Dioscoridis. Alexandrini quatuor cyprini formulę operosę sunt, & sumptuosæ, qualis est quæ ab Actuario scribitur.

## *Oleum sampsychinum.*

Fit ut myrteum Mesueo, calfacit & roborat neruosum genus omne. Paratur ad emplastri de meliloto compositionem efficacissimum, si sampsuchi comis ter aut quater permutatis, in uase duplici percoquatur. Alij hoc modo parant: Foliorum samsuchi scopas manuales quatuor. serpilli duas. foliorum myrti unam. abrotoni, sisymbrij, sing. dimidiam. casiæ ligneę ueræ unc. duas. Contusa omnia in omphacini olei modum demittunt, qui madentibus emineat: obstructo uase insolant, & post dies octo exprimunt. Denuò noua alia simili mensura, & æquali tempore macerata premuntur, idque tertiò repetitur. Ita enim ualentius & odoratius fit, qui modus ex Diosc. sumptus est, & Actuario à quibusdam tribuitur. Acopum est, & lassitudinibus utile: frigidis cerebri & neruorum uitijs prodest, ui sua acri excalfaciente & extenuante. Ob id spinæ in balneo inunctum paralysim iuuat, & spasmum cynicum naribus immissum aut ore contentum, sternutamentumq;

tumque leuiter ciet. In opisthotonicorum & uulsorum cataplasmata utilissimè additur: auribus immissum, tinnitum à flatu dissipat. Aduersus uuluę occlusiones conuersionesque est efficax: menses, secundas & partus extrahit, uteri strangulatum recreat, scorpionum morsibus medetur. Sampsychinum oleum hyeme & regione frigida ac tempestate simili, idoneum est medicamentum ad digerēdum, Galeno lib. 4. salub. Amaracini olei magna quędam & pręciosa confectio Alexandrino scribitur, Amaracini unguenti ueteribus celebratam commendatioem referens, quæ ex Paulo libro 7. desumpta uidetur.

## *Oleum sicyonium, aut cucumerinū.*

Oleū sesaminum cum succi cucumeris agrestis maturi pari portione coquitur, ad succi consumptionem, uel succi radicum cucumeris agrestis, & aliarum radicum tritarum, sing. libra dimidia. cum olei sesamini libra una coquitur, ad succi exhalationem.

Paulo simplex sicyonium fit ex radicum cucumeris agrestis uncijs duabus. in olei sextarium Italicum coniectis, & in lebete coctis. Alexandrinus radicum unciam unam, sextario olei admiscet. Duplex aliud sicyoniū fit Paulo compositum ualde, & unguento proximum, quod imitatus uidetur Alexandrinus, dimidiatis ponderibus, & nonnihil diminuta confectione

ctione secunda, licet aliud quoque Sicyonium idem describat ab his longè diuersum. Actuarij Sicyonium sic fit: Floris rorismarini, pyrethri, euphorbij, agarici, castorij, nitri, singulorum quadrans. radicis cucumeris syluestris libræ duæ. olei & uini modus qui satis sit. Sicyonium Dioscoridi longè aliud est inter alba olea descriptum, nulla cucumeris agrestis facta mentione: Sicyonij accepto nomine, quòd in Sicyonia Peloponnesi regione laudatissimum fieret, nobis à cucumere agresti nomenclaturam usurpantibus. Calfacit, discutit & emollit, epilepsiam, hemicraniam, & alios cerebri affectus frigidos naribus immissum leuat, strumas & surditatem discutit, panum & cicatrices delet. Potẽter digerit Galeno, & efficaciter euaporat, dum cucumeris agrestis radix qualitatem & uires in oleo aliquo facultatis similis dimiserit. Meminit eiusdem passim in libris de Comp. phar. gen. & part. quæ potissima causa fuit cur hîc adscriberemus.

*Sicyonium Act.*

*Lib. 2. Comp. phar. part. libro 12. Meth. & lib. 4. Salub.*

## *Oleum ex piperibus Mes.*

Capit trium piperum, ana uncias tres (alijs drach. tres) myrobalanorum, cepularum, belliricarum, emblicarum, Indarum, sing. drach. quinq;. radicum apij, fœniculi, ana drach. tres & dimidiam. sagapeni, opopanacis, ammoniaci, ana drach. duas & dimidiam. turbith boni albi drach. duas. zingiberis drach. tres. surculorum hyssopi

hyſſopi recentium, foliorum rutæ uirentium, ana manipulum unum. Contuſa omnia craſſiuſculè, coquantur in aquæ libris quatuor & uiginti ad tertias: coletur cum olei ricinini heminis duabus: percoquatur deinde, dum aqua expiret. Addunt alij ireos drachmas ſex. caſiæ drach. duas. aniſi, cardamomi, ana drach. unam & dimidiam, calami aromatici drachmas duas & dimidiam. ſpicæ nardi drachmam unam. expreſsionis hyſſopi aut thymi (tribuli terreſtris alij) ſextarios tres. Loco olei ricinini oleum irinum, uel leucoij lutei, uel amygdalarum amararũ, uel omnium ſimul æquales portiones hemina dimidia.

Sumpta eſt huius olei formula ex Auicenna libro quinto. Eodem enim propè modo mutatis tantùm ponderibus oleum alchechengi, uicioſè tamẽ, cùm oleũ Alchelengi ex Serapione dicendum ſit, deſcribitur. Magnas habet calefaciendi uires, & inter olea calida iuſtam quandam prærogatiuæ dignationem. Quod quia ab Italis Inſubribus pręcipuè uſurpatur, apponendum duximus. Propinatum ualidum fuerit ad internorum perfrictionem, ſed parciſsimè ſumẽdum. Cerebri & neruorum frigidas noxias propellit, quia calfacit, tenuat, terget, diſcutit, foras educit, obſtructa potenter liberat, calculũq; eo nomine diſsipat. Ad paralyſin, ſpaſmũ, tremorẽ, epilepſiá, uteri, coli, renum, ueſicæ affectus frigidos utiliſsimè adhibetur. Coxarijs

& ar-

& arthriticis medetur. Menses euocat, & uentriculum imbecillum non temerè confirmat.

## Oleum ex euphorbio.

Fit ut mastichinum. Euphorbij triti, aut si recens & molle est minutim cõfecti unc. dimidia in olei leucoij lutei & uini odori, sing. uncias quinq; immittatur, & ad uini consumptionem semper mouendo coquatur.

Prima hæc Mesuei descriptio ex Rhasio sumpta est, altera uerò composita & efficacior ex Auicenna libro 5. Euphorbium oleo cum modico ceræ admiscet Gal. ad ceratum ex euphorbio parandum, sed ipsius quantitas pro ætate & partis natura uariat. Olei libra una. euphorbij recentis, ualidi, quodque est calore cinericio, gustu admodũ acri, molli corpore, quodque oleo facilè liquescit, idemq; celeriter combibit, semuncia immitti potest. Vetus quod est subpallidum, subflauũ, squalidũ, quodq; oleum uix cõcipit, neq; linguam urit, augeri debet, & ad drach. sex in olei pondo conijci. Minuendũ quidem medicamentum ubi sensus est acrior, ut in auribus, aut cerato & oleo largiore diluendum. In hebete natura & affectu cõtumaci, ut alopecia quantitas amplianda. Recens quidem acrius est, bimum trimumq; paulatim remittitur, quarto senescit anno, quinto & sexto exanimatur, itaq; pro ætate uarias medicamento uires adijcit. Causticum est, & ualentius oleum,

*Lib. 2. comp. ph. part. & lib. 3. comp. ph. gen.*

oleum quod ex euphorbio molli & recēti candentibus laminis extunditur, frigidos cerebri affectus & inueteratos iuuat. Hemicranicis, cephalalgicis, lethargicis adhibetur, & naribus immittitur ad discutiendum uitium. Epispasticis medicamentis utiliter commiscetur, & præstantissimum attrahendo est remedium in frigidis uitijs, est enim tenuium partium. In alopecijs & capillorum defluuijs uitium dissipat, attrahitque quod ad capillitium serendum sit utile. In coxarijs inueteratis & profundis articulorum querelis ex alto euocandis, laudatū ueteribus & posteris remedium. Calidius est & siccantius oleo de piperibus, ideoq; non nisi uehementer frigidis uitijs admouēdum. In aurium tinnitu, sibilo & hebetiore sensu ex frigido contracto, oleum istud tepidum adhibet Galenus. Rhasius sambacino oleo euphorbium miscet, ad congelatos illitu utitur.

*Lib. 2. comp. ph. part. Libro 9. ad Almans. in cōgelatione.*

## *Oleum uulpinum Mes.*

Vulpes integra tantùm exenterata coquitur in aquæ fluuialis & marinæ aut salsæ, sing. sextario uno. (alijs melius, duobus.) olei antiqui clari sextarijs duobus & dimidio. Coque ad aquę cōsumptionem, & uulpis carnium dissolutionem, exprime & repone. Additur inter coquendū à quibusdam anethi & hyssopi, sing. manip. unus. Est etiā efficacius, ubi præter hęc origamū, iuniperus, libanotis, saluia, betonica,

lauri folia, ſampſuchus, ſtœchas, melilotus in-
*Lib.11.ſimpl.* coxerint. Galenus & Paulus uulpem partim
*Lib.7.* uiuam, partim mortuam integram in oleum inijciebát, quod & hodie quidã factitantes, exenteratã uulpem ſemianimẽ oleo incoquunt. Potentiſsimæ eſt in digerendo & diſcutiẽdo facultatis, non aliter quàm oleum in quo hyæna præcoxerit. Quo nomine ad neruoſi generis iniurias frigidas, & articularios affectus præcipuè ualet. Eorum enim rudimenta & initia depellit, inueteratos uerò ſedat & lenit: quod eſt proprium huiuſmodi omnibus medicamentis, quæ contentos alto corporis humores in ſuperficiem euocant. Dolores namque abigunt, quorum cauſa eſt humor in corporis penetralibus contentus, qui eſſentiæ craſsitie, aut refrigeratione, aut uehementi acrimonia querelas facit, quales etiam nonnunquam ſpiritus flatuoſus exitum non habẽs inducit. In arthriticorum uerò præſidijs hoc oleo ſic utẽdum, ut toti in alueolos oleo madentes & plenos demittantur, deniq; immorẽtur. Efficitur nanque ut non modò qui circa articulos ſunt tumores euaneſcant & deſedeant, uerùm etiam ut uniuerſum corpus euacuetur, quod eſt in huiuſmodi affectibus præſentiſsimum remedium. Vulpes autem bene habita & uegeta, non ſtrigoſa, qualis per uindemias uuis nutrita & impinguata capitur, ætatis mediæ, non iuuencula aut recens nata eſto.

esto. Prouectior namq; quia calore est acriori, humores quoque calidiores nacta est, ob idque excrementa omnia acria, & partium omnium naturam ualidè digerentem. Quomodo & ad opus est efficacior, ut nec urinam nec alui fæces contempserim. Quod uident, qui uiuas & integras oleo exanimant. Nec uerò nouo inuentu damnandum est oleum, quod animalium medicamentosorum elixatione uires acquisiuit: cum Galenus asellos, qui sub aquario uase nascuntur (millepedas uocant) oleo incoxerit, ad cephalalgiam ex frigidis & crassis humoribus contractam. Sed id hodie crebrius factitat posteritas magno successu, ad oleorum arthriticorum apparatum. Conueniente oleo & uino erinaceus coquitur dum putrescat, putrilago capta rariore linteo, in ollam quæ reliquum oleum habet magno conatu extringitur, & oleo mixta articularibus uitijs seruatur. Idem è uulpe, lutra, meli, cygnorum pullis, testudine, ranis, cato ueteri & emasculato fieri potest. Quæ animalia digerente materia si uis infarcias, & ita coquas. Possunt etiam eodem modo farta, & in ueru fixa exassari. Ex eodem oleo fit unguentum uulpinum neruorum resolutioni, & mollitudini apprimè accommodatum, quod à quibusdam non temerè usurpatur.

*Lib.2. com. ph.part.*

*Olea arthritica.*

## *Oleum ſcorpionum Meſ.*

Scorpiones uiginti aut paulo plures, aut etiam parciores, olei amygdalarum amararum libris duabus, ſub æſtum caniculæ menſe uno inſolentur in uaſe uitreo probè obſtructo.

Hoc ſimplex eſt, quo frequentius utimur. Aliud eſt compoſitum, & efficacius, diuerſarúmque uiriũ. Prius enim ob ſcorpiones frigidum eſt, hoc ob aromata calidum & eſſentię tenuitate aperit, incidit, tenuat, terget, penetrat, & ſcorpionum uim prætereа acquirit. Capit ariſtolochiæ rotundę, gentianæ, cyperi, corticum radicum capparum, ſing. unc. unam. in olei amygdalarum amararum ſextario uno, dieb. uiginti æſtuante Canicula inſolentur uaſe uitreo, accuratè operculato. Deinde ſcorpiones decẽ aut quindecim in uas inijce, obtura, inſola iterum menſe uno, & reconde. Quibuſdam Pharmacopœis huius olei hæc eſt miſtura. Olei amygdalarum amararum libra una. ſeminum hypericonis, florum eiuſdem, florum giargæ, ſing. uncia una. uincetoxici, florum calendulæ, biſtortæ, ſing. ſemuncia. ammeos, ſeſeleos, terrę ſigillatę, boli armeniæ, ſing. drach. una: Miſta omnia in oleum demittantur, & diebus quadraginta ſoli exponantur: torculari deinde egregiè comprimantur, & in reliquum oleum ſcorpiones centum conijciantur, & triginta diebus ardenti Caniculæ exponatur, & in uſus condatur.

Fit

Fit hodie quoq; ex medicamentis simplicibus, contra uenena laudatis, oleum mirificarum uiriũ ad uenenata omnia & pestilentiæ iniurias. Additur aristolochia, gentiana, pulegium, baccæ lauri, calamintha, cupressus, ruta, trifolium, ocymi semen, quę oleo madefacta uim suã immittant. Vesicæ & renũ calculum dissipat, lumbis, pubi, perinæo, in solij egressu illitum, & in porum urinarium immissum. Venenis, præcipueque à scorpio ictis, & pestilentiæ adeò resistit, ut eius solo usu quendam cum famulitio à pestilẽtię contagione seruatũ scribat Manard. Parãt alij ex uiperis & scorpionib. oleum, quo ad sumpta uenena usi multos integritati restitutos profitentur, non secus ac si pontica ter uicti gustent medicamina regis, quale contra omnia uenena efficacissimum, præcipueq; contra napellũ describit Mathiolus Com. 6. in Dioscoridẽ. Oleo de scorpionib. inunctos quosdam, à quotidiana febri mox liberatos, scripsit Varignana.

## *Oleum ouorum Nic.*

Vitellos ouorum elixorum frige igni lento prunarum in sartagine ferrea, semper mouendo rudicula ferrea, donec probè assentur, calidissimos linteo forti oleo amygdalarum dulcium madefacto exprime.

Tres huius olei formulas describit Mesueus. quarum quę est facillima, eam facilè oẽs conse-

quuntur. Vitelli ouorũ elixando durati triginta aut circiter manib. friati in ſartagine plumbata manibus friguntur igni mediocri dum rubeſcant, & oleum ab his profluat. Eſt ubi chymiſtico inuentu ignis ſollicitatione extringi poſsit oleum pręſtantiſsimum, nec uſqueadeò ut cætera fœtidum. Satius eſt uitellos crudos frigere, cochleari aſsiduò mouere, donec aſſati, cochleari aut prælo preſsi uaſe inclinato oleum effundant, quod conditum longo interuallo cutis etiam iniurijs reſiſtit, recens tamen ad omnia eſt efficacius. Vitelli ouorum uiginti horis duab. unc. quatuor exprimunt. fœtorem deponit moſchi aut ambaris momẽto addito. Exprimendi huius olei modus ex Auicenna & Rhaſio ſumptus uidetur. Cutis fœditatem mirè aufert, cicatricibus decorem addit, ijs pręcipuè quæ in ambuſtis relictæ ſunt, aurium, dentium, ſedis doloribus eiusq; reliquis affectibus ex Rhaſio conuenit. Pilos auget Serapioni: impetiginem, ſerpiginem & alia cutis uitia eluit, lentigines & fœdas oris maculas detergendi & reſoluendi ui delet, rhagadijs utile, fiſſuras manuum, pedũ & ani ſanat, dolores ulcerum, articulorum & omnium locorum neruoſorum ſedat: prodeſt quoq; ad aurium dolores & ulcera. Ambuſtis utile, & in membranis cerebri partes contuſas, à ſanis mirum in modum ſeparat.

Oleum

## *Oleum è iunipero.*

Iuniperus pinguis, ſuccoſus, non ſqualidus, non obductus ſitu aut carioſus in fragmenta diuiditur, ut inde hac arte exprimatur oleum, qua ex aliorum lignorum aſſulis ac ramētis omnique materia in qua ſit pingue aliquid & unguinoſum. Duas figulares ollas ſatis amplas, quæ interiore uentre plumbo uel uitro inductę ſint, ita comparabis, ut utręq; ore reſpondeant, & planis labris nō prominentibus neq; rotundis exactè committi poſsint. Atq; cōueniet alterius uaſis margines intro proijci, easq́; rectas, nō decliues, non elatas. His ergo marginibus craticula ænea, uel reticulum incumbat. Erit hoc ad eſcarij lancis imaginē conformatum, & conuexo gibbo deorſum ſpectabit, caua parte uertetur ſurſum, extremo ambitu rotundo, rectis uaſis labris, quę intro ꝓminent inſidebit. Aſſulę lignorū ita ſtruentur, ut craticulę marginibus extrema parte nixæ quaſi parallelos ſingant, ac rurſus aliæ tranſuerſo, alię in decuſſem ſuperdabuntur, & ita attolletur materię moles. Alterum uas quod eſt reliquum, ore & labris ſubiecti uaſis marginibus aptabitur, utrumq; argilla uel chymicorum luto compingetur. Ita compoſitis fictilibus reticulo & aſſulis, totum uas inferius terra defodi debet, ut extrema facie ſolo adæquetur. Alioqui ædificium aliquod luto, calce, gypſo & tegulis extruendum,

in ambitu iusto pede latum, area æquabili, in cuius meditullio quasi labellum sit quod deorsum hiet, in quod uas totũ inferius deponi possit. Atque tam cauum sit, quantum uidelicet altitudo uasis est. In area ædificij, mollis ignis è puro carbone paulatim succenditur, unde superior olla quæ tota extra fornacem eminet, concalescat, & ex eo materia quæ intus latet. Exudabit liquor pinguis, qui per craticulę meatus in uas subiectum diffluet, isque sedulò colligendus, & usui seruandus est. At ignem paulatim augere necesse est, qui ubi senescere uideatur, noua iniecta pruna foueri debet. Eadem arte oleum decerpitur ex pineis nucleis ad erugandam cutem, ex ligno Indico aut sancto, ad luis Hispanicæ scabiem, tumores & ulcera. Idemque fit ex lignis alijs, præsertim pinguibus & succosis, fructibus, baccis, seminibus, quo modo per descensum olea extrahi chymistæ dicunt. Fit & iuniperinũ preciosius, quod de laurino diximus. Assulæ iuniperi unà cum baccis tusis uino tenui & odoro noctem integrã macerantur, lento igne coquuntur. ligula deraditur, quod manat oleosum, & postremò ambaris momento & moschi conditur. Valet ad impetiginem, serpiginem, cancrũ, & maligna crurum ulcera. Cutis quoque fœditates eluit. Vtuntur quidam cœlo pestilenti efficaci amuleto, narib. & temporibus eo iniunctis. Grauiter adustionem redolet, & ualde est ingratũ, nisi eo quem

præ-

præſcripſi modo gratię commendationē addideris. cui uitio minimè eſt obnoxiū, quod per ſublimationem chymiſticum apparatur.

## *Oleum Hypericinum.*

Summitatum hyperici iamiam marceſcentis unciæ tres, triduo infundantur in uino odorato: pòſt coque in uaſe duplici, egregiè obſtructo: exprime, hypericum nouum ſimiliter macera, coque, exprime. idem etiam tertiò repete. poſtea adde terebynthinæ uncias tres. olei antiqui uncias ſex. croci ſcriptulum unum. coque in diplomate ad uini conſumptionem, deinde exprime, & ſedimento purgatum oleum reconde. Alij hyperici flores iam maturos oleo macerant & inſolant, eoq̃ue modo parant quo anethinum aut chamęmelinum. Quidam olei antiqui, uini cretici, florum hyperici, ſing. pondo, ad uini expirationē decoquunt, exprimunt, idemq̃ue opus repetūt, torculari ſtringunt. Expreſsi partibus duodecim terebinthinæ claræ partes quatuor, croci momentum in uaſe duplici coquunt per horas ſex. linteo diligenter percolant, & in uas uitreum accuratè obſtructum reponunt, triginta diebus inſolant. Qui modus Italis eſt celeberrimus. Calfacit & ſiccat hoc oleum, eſſentiæq̃ue eſt tenuis. unde ad omnes dolores frigido contractos adhibetur, & eſt anodynon. Iſchiadicis utiliter admouetur & uaricibus. Contra denti-

um dolorē podogrā chiragrā & articulorum querelas prodest. Neruorum puncturis & uulnerib. est efficax, & illitu aut fotu conuulsiones prohibet. facultas eius modicè detergens & exiccans, quo nomine in ambustis cicatrices

*Lib. 6. simpl.* ducit & uulnera glutinat. Galenus Androsæmi aut Ascyri folia ( quæ sunt hyperici genera ) austero uino incocta, uulnera etiam grandia glutinare scribit. Ascribitur Iacobo Manlio, mixtæque est naturæ: roborat nanque, digerit, stringit & tenuat.

*Oleum Hypericinum. Ioan. à Vigo.* Describitur oleum hypericinum Ioanni à Vigo, longè quidem medicamentosius & operosius. Habet olei omphacini uncias sex. olei mastichini unciam unam.. olei rosati completi uncias duas. olei terebinthinæ drach. sex. terebinthinæ purissimæ uncias duas. masticheS thuris ana drach. duas. myrrhæ, aloës hepaticæ, ana drachmas tres. gummi'helenij, colophoniç, ana drachmas duas & dimidiam. millefolij uncias duas. radicum tormentillæ, dictamni, cardui benedicti, ana drachmā unam. crocij drach. dimidiam. succi hypericonis, centaurij, plantaginis, caudæ equinæ, ana unciam unam. rubiæ tinctorum drachmas quatuor. lumbricorum terrestrium, uino lotorum, uncias duas. foliorum fraxini, & radicum eius, ana manip. dimidium. uini odoriferi lib. duas. ferueant omnia cum uino, & succis ad liquorum consumptionem. colatum adpito semine hyperici cum floribus,

& mo-

& momento rorismarini in uitreo uase insola, floribus bis in hebdomade permutatis, & ueteribus abiectis, opus iterum atque iterum repete, tandemque repone. Oleum de perforata uocat libro 3. capite 15. etsi paulisper uariat. neruorum uulneribus mira quadam efficacia admouet.

## *Oleum menthæ.*

Menthæ, eiusq; succi partes æquales, in olei omphacini libras tres demittantur, uase uitrato reponátur, & per quindecim dies soli exponantur, deinde in uase duplici quatuor horis bulliant, exprimantur & colentur. Idem tertiò repetatur, & percolatum usui reponatur. Alij sola menthæ folia oleo madefaciunt, sæpius permutant, & quadraginta diebus insolant, deinde usui reponunt, ut plurimùm uẽtriculo imbecillo & refrigerato adhibetur, eum namque calfacit, roborat, nauseam firmat, uomitionem sistit, appetentiam excitat, concoctionem prouocat. Mentha uiridis oleo incocta repellit Galeno, sicca digerit & roborat. Eligenda uerò mentha quæ crispa, & satiua dicitur, odore gratissimo. *Lib. 2. comp ph. part.*

## *Oleum de absinthio.*

Fit ut oleum de mentha, ex absinthij cymis, & eius succo, in oleo decoctis, permutatis & insolatis. Parant alij compositum, & effica-

efficacius hoc modo. Vini Cretici pōdo cum succi absinthij selibra decoquitur, dum uinum expiret. Succus in olei bene loti lib. duas demittitur. Adduntur menthæ, hyssopi, pulegij, origani, singulorum drach. tres. galangæ, cinnamomi, caryophyllorū, mastiches, nucis moschatæ, zingiberis, sing. drach. una. Quindecim diebus soli exponuntur, percolantur, & usui reponuntur. Calfacit, & refrigerata roborat, prȩsertim uentriculum, cibi auiditatem excitat, obstructa leuat, lumbricos enecat. Viscerum phlegmonis propter facultatē adstringentem & detersoriam conuenit, Quas uires, quia Pontico absinthio adhibet Gal. eo semper uti imperat odoratiore, suauiore & efficaciore. Nostrum quia parum adstringit, ut eam illi facultatem inducant, absinthij dimidiū pondus rosarum permixtione æquant. frigidis uentriculi affectibus mirificè conducit, flatusq́; ibi conceptos dissipat.

*Lib. 11. meth.*

## *Oleum lumbricorum terrestrium.*

Fit ex lumbricis terrestribus, diligēter uino albo lotis, oleo, & pauco uini rubri incoctis, ad uini consumptionem. Colatur & exprimitur leuiter oleum, & reponitur.

Alij lumbricos in oleo sub terrā defossos demittunt, dum putrilagine concepta corpus unum effecerint. Ad opus alij lirinon, alij costinum oleum requirunt, sunt qui ueteri cōtenti sunt,

ſunt. Oleum uulpinum oleo maturo admiſcet Montagnana. Tritos lumbricos, alij oleo permiſcent in unguenti formam, nec uerò inutiliter. frequens eſt in neruorum uitijs non ſecus ac terræ inteſtina contrita, neruisq; diuiſis impoſita, protinus mirum in modum prodeſſe, atque hæc ipſa cum mulſo pota urinæ mouendæ medicamen eſſe idoneum ſcribit Galenus. Oleum eſt anodynon cuius fotu nerui recreantur, quod quotidie in neruorũ uulneribus, conuulſionibus, eorundemq; reſolutionibus exprimur, etſi quibuſdam id nõ parum ſuſpectum uidetur. Celſus quoq; in aurium inflammatione oleum in quo lumbrici cocti ſint, præſcribit libro ſexto.

*Capite 6. in Antid.*

*Lib. 11. ſimpl.*

*Cap. 7.*

## *Oleum capparum.*

Corticum radicum capparum unc. una. ſcolopendrij, tamaricis, agni caſti, iridis, abſinthij, ſing. ſemuncia: cum olei communis libris duabus, & aceti albi uncijs quatuor. lento igne in diplomate coquantur, ad aceti conſumptionem. Colatum reponatur, & uſui reſeruetur. Alij uinum addunt, aceti loco & tamaricis corticibus, & floribus compoſitionẽ augent. Sunt qui compoſitius oleum parant addito cypero, cyclamine, galanga & ruta. Simpliciſsimum eſt quod ex ſolo oleo & radice capparum paratur. Radix tuſa in oleum conijcitur cum aceti momento: menſe integro inſolatur, deinde

inde percoquitur, ut acetum expiret, colatur & reponitur. Lienis tumores duros & ſcirrhoſos iuuat, eiusq́ue obſtructionibus ualde eſt familiare. Nam quale medicamentum iecori eſt abſinthium, tale eſt lieni capparum cortex. Quo nomine ſcirrho laborantibus ex aceto mulſo adhibetur. Quale medicamentum commendat Galenus ex radicibus capparum, ſcolopendrij, & myricæ radicibus, tum etiam germinibus, cum aceto mulſo in lienis obſtructionibus. Cuius etiam tumoribus cataplaſma ex oxymelite, abſinthio & capparibus utiliter ex Galeno apponitur.

*Lib.13.meth.* *Lib.2. ad Glauc.* *Lib.11.meth.*

## *Oleum de caſtoreo.*

Fit ex caſtorei, ſtyracis, galbani, euphorbij, caſiæ, croci, opopanacis, carpobalſami, ſpicæ nardi, coſti, ſing. drach. duabus. cyperi, ſchœnuianthos, piperis longi & nigri, ſabinæ, pyrethri, ſing. drach. duabus & dimidia. olei libris tribus. uini albi odoriferi libris duabus. Galbanum & opopanacem ſeorſum diſſolue: reliqua omnia contuſa, cum oleo & uino, in diplomate coque, dum uinum euaporet. Galbanum & opopanacem colatum, & diſſolutum oleo affunde, iterum coque, & repone ſæpius agitando, ut quod in fundo deſederit oleo permiſceatur. Sumptum dicitur ex Iacobo Manlio. Eſt aliud ſimplex Nicolai, quod capit caſtorei unc. unam, coctam in olei libra una

ad consumptionem tertiæ castorij reponitur, addito castorij puluere. Ad meliorē cocturam adijciunt alij uinum ad unc. duas, ne urendo nigrescat, & celerius castorium expiret. Extringitur quibusdam arte chymistica oleum ex solo castorio nobilissimum. Alij castorium solum liquant, ijsdem effectibus. Valet ad omnes neruorum & cerebri offensas frigidas, tetanum, conuulsionem, tremorem, paralysin. sanat rigores acerrimos, & frigora febrium sedat, spinæ dorsi illitum.

## *Oleum de terebinthina.*

Chymistarum arte & destillatione oleum è terebinthina aut laricina facilè elicitur. Primò tamen oleum tenue & limpidum aquæ admixtum exit, secundò fuluum, tertiò fuscum & crassum. Vtrunque tamen per se reponendum. fit & terebinthinum oleum è terebinthinæ libra una. laterum antiquorum (uel, ut Albucasis, recentium, quia plus olei combibunt) masticheś, styracis. sing. uncia. Lateres igniti extinguuntur oleo, & infriati cæteris commiscentur in capsula uitrea. Tres liquores effluunt, quorum tertius est optimus, Frequenter usurpatur ad neruorum affectus frigidos, cæterisque omnibus noxijs internis ex frigido contractis opitulatur: anhelatores, asthmaticos, & puris in thorace collectiões mirificè iuuat duabus drachmis mane sumptum.

Colicis

Colicis cruciatibus utile, flatusque internos potenter dissipat, cicatricibus gratiam addit, earumque maculas exterit. Calculum educit, & arenas promouet, dysuriæ & renum offensis ualde accommodatum. Alios plures eliciendi olei ex terebinthina modos habes apud Euonymum.

## *Oleum sulphuris.*

Sulphuris flaui, terebinthinę, sing. unc. tres, olei rosati libra una coquunt igne lẽto, cum uini odori uncijs duabus ad uini consumptionem. Alijs hoc modo paratur: Sulphur in œnostagmate feruescit dum enatet lentor quidam (oleum adpellant) lentorẽ molliore lana uel attrito linteolo rapere oportet, alioquin excipiendus est conchula, aliquoties commutanda aqua dum satis olei collectum sit. Alijs trito sulphuri per aquam uitæ incensam ignea consumitur substantia, quod reliquum est destillatur, ut oleum philosophorum. Quod genus olei nobilissimum, & ad assumendum tutissimum, quo quidam uelut arcano ad comitialem morbum intro sumpto utuntur. Hoc oleũ Romæ plurib. fit modis per sublimationem & descensum. Sulphur purum, ignẽ non expertum, præcipuè uiuũ & cinerei coloris, inter urendũ fumum crassum emittit, excipiendum campana uitrea uel silicea. In qua ex uapore crasso oleum cõcretum destillat in uas planum, capax, in cu-

in cuius medio sulphur uasculo conditum uritur. Modum sic descripsit Mathiolus: Vitreum uas tintinnabuli non absimile, illitum figulari luto, à terra unius cubiti mensura, æneo uel ferreo filo suspendes, sub quo metretã uitreã maioris circunferentiæ, in cuius medio inuersus fuerit cyathus, statues. Porrò cyathi fundus ferream bracteam digitorum quatuor latitudinis ex igne candentem sustineat, ex qua sulphur accendatur. Hoc dum comburitur, recentius superaddatur. Inde fiet, ut ex fumo ascendente suspensum uas breui tẽporis interuallo guttatim in inferiorem paropsidem destillet oleum, quod diligenter collectum uitrea conseruabis ampulla. Tenuium est ualde partium, & inter attrahentia medicamenta præstantissimum, quo demersum corpore hydrargyron foras elici uoluerunt, statim illito à balneis. Scabiem, lepras, & cutis fœditates sanat, ut sulphur illitum & potum, uehemẽtius tamen. Morbo Catholico adhibetur efficaciter. fistulis utile, & oris maligna ulcera primo aut secundo contactu percurat. Ad huius olei apparatum sulphuris rorem dulcissimum qui ex sulphuris globis desudat (florem uocant) aut sulphur ignem expertum assumi uelim. *Lib. de morbo Catholico.*

## *Oleum tartari.*

Tartarum calcinatum, hoc est ollæ impositum, & ustum in fornace cum lateribus, tegulis

aut fictilibus, uel per se dum excandescat, colo Hippocratico immissum, & loco frigido aut marmori concreditum, in uas subiectum oleum destillat. Quidam tartarum contritum in cucurbita uitrea luto obducta, aut fictili imposito alembico uitreo destillant. Effluit autem prius aqua, deinde oleum, quod seorsum excipies, igne paulatim aucto dum fluere desinat. Nicolans tartarum ex uino generoso tritum, linteo inuolutum, aceto albo optimo macerat, sub cineribus calidis coquit, dum nigrescat: iterum terit, in uase inclinato, seruat diebus octo, loco frigido, donec in oleum resoluatur: alioqui inde extringitur, quemadmodum oleum ex ouis. Tartarum fæcarium dolij laterib. adhęrens, album potius quàm rubrum, tritum aceto maceratur Petro Argillatæ: pòst inuoluitur panno lineo, & stuppis aqua humectatis, sub cineribus ponitur, deinde tribus diebus scutella decliui destillat humorem quendam subruffum, quem acerrimam aquam potius quàm oleum dixerimus. Valet ad faciem tergendam & erugandam cutim, scabiem, & impetigines sanat. Empirici quidam Tartari spiritum siue quintam essētiam aduersus abscessus internos, & morbum regium commēdant. Vtuntur quidam ad ulcera capitis manantia, ad quæ pręcipuè utiliter adhibetur, quod nitrum capit, cuius apparatus plura habes genera apud Euonymum.

Oleum

## *Oleum nucum moschatarum.*

Nucum moschatarum ferè quinq; per noctẽ in uino crassiusculè tritæ, macerantur uase uitreo, ut uinum emineat. Postridiè sacculo lineo includuntur, priùs tamen in sartagine temperatè calfactæ obligantur, & filis passim obductis constringuntur ne simul coeant, exprimuntur torculari ligneo, paruo, cũ lacu exiguo ut deorsum uergat. Exprimitur autem ferè octaua pars nucum. licebit quoque denuò eandem materiam calfactam, ut prius, exprimere: sed perpaucum & ignauius oleum extringitur. Hoc oleũ statim expressum, solidiusculum est, & quasi per grumos separatum, qui omnes è uino diligenter colligendi sunt, & uino ab eis colato per linteum in unam massam redigendi, digitis comprimendo ipsam lanam in quam expressa est materia, ut uinum omne diligentissimè separetur. Substantia quidem, & color ceræ similis apparet. Quidam nuces ipsas uino non macerant, sed per se contusas calfactasque exprimunt. Alij uerò in parua frusta dissectas, triduò uino Cretico macerant, siccant in umbra biduò, inde in sartagine asperso rhodostagmate moderatè calefaciunt, & torculari exprimunt. Addunt etiam quidam maceratis uino Cretico nucib. oleum, omniaq; prelo extringunt. Sunt etiã qui oleum è nuce myrepsica, incude & candẽti ferro pressa eliciant.

Ori uétriculi inunctum mirè eum corroborat, deglutitum calfacit mediocriter, & anhelitum cómendat. Illitum Veneris tenginem excitat. Est alius educendi olei ex aromatibus modus Chymistis maximè proprius, quo oleum ex caryophyllis, nuce moschata, croco, macere, nó leui profectu, nec illaudata arte eliciunt.

## *Oleum Philosophorum, aut de lateribus, Mes.*

Arte sic fit. Lateres ex terra rubēte multum antiquatos, in frusta comminutos, carbonibus non fumantibus accende donec igniti rubeant: tunc concha oleo rorismarini, uel antiquo claro plena extingue, & quoad eius fieri potest oleo imbue, sicca per se in casulis, pòst minutissimè tere, & uasi per sublimationē destillandum trade, luto Chymistarum capitello committe, carbonibus in fornace accensis coque, donec oleum destillet: in phialam uitream, naso imo capitelli argilla, uel pilo agglutinatam, quod exactè obstructum reconde & serua. quanto enim antiquius, tanto ualentius fuerit.

Describitur à Bulcasi & Rhasio. Bulcasis lateres nouos qui aquam nódum senserint præfert, quia oleum melius imbibunt, & eos in frustá unciæ unius (drachmæ Rhasius) ignita in oleum antiquissimum immergere iubet, extincta oleo extrahit, simul omnia crassiusculè trita, in

ta, in unum aut plura uaſa deſtillatoria quæ uentres nominant ponit, quæ probè lutata ita componit, ut uaſis pars tertia maneat uacua. Ignem primò leuiorem imperat, ſed qui uaſis fundum attingat, quem paulatim augeri oportet. In primis tamen animaduertendum enixè, ne ignis contactu oleum dum deſtillatur attingat. Huius nanque uicinia facillimè accenditur, ægreq́ue extinguitur. Noua laterum fruſta ut prius apparata iterum admouenda ſunt, donec ſatis olei collectum ſit, quod in uaſe ſtricti orificij diligentiſsimè obſtructum cera aut terra, accuratè ſeruandum. Etenim propter eſſentiæ tenuitatem promptè exhalat. Primò decerpitur aqua, deinde oleum rubens per ſe colligendum. Paratur etiam hoc oleum alijs quibuſdam admixtis. Lateres rubros uetuſtiſſimos, aut recentes quidem, ſed ab aqua intactos in fruſtula confringito, eaq́ue ignita oleo oliuarum aut laurino extinguito: iterum candefacta oleo ut prius, extinguenda dum nigreſcant. fruſta ipſa alembico imponito cum oleo, in quo prius extincta fuere, ſi quid ſit reliqui: ſin minus, recens affundendum. Addes caſtorei, ſpicæ nardi, uel eius loco rutæ utriuſq; partem unam, coſti partes duas. Trita miſce cum laterib. in cucurbita, quam in fimo equino diebus circiter uiginti defodito. Deinde deſtilla aucto paulatim igne. fœtidum eſt hoc oleum, ſed tenuium admodum partium, ut mo-

mẽto latiſsimè ſpargatur: ſi manui affundatur, eam citò penetret: affectibus frigidis balſamino utilius, multò tenuius & calidius. Eſſentiæ tenuitate in altum penetrat, digerit, materiam omnem excremẽtoſam conſumit. Aurium tinnitui à flatu craſſo, ijsq́ue uerminantibus medetur. Paralyſi, ſpaſmo cynico, iſchiadi, gonagræ, podagræ, cæterisq́ue articulorum affectibus prodeſt potum aut inunctum. Ex hoc & ſale ammoniaco paratur emplaſtrum, ſplenicos tumores breui diſſoluens. Comitiales humi proſtratos naribus ſubditum ſubitò excitat, cerebrum calfacit, memoriam cõfirmat, dolorem dentium ſedat, iniectum utero menſes prouocat, fœtum uiuum aut mortuum educit, ora uenarum aperit, & ſanguinem coagulatum diſſoluit, pulmones purgat ab humorib. craſsis & uiſcidis. Guttę eius aliquot cum ſyrupo roſarum potę anhelos iuuãt. Oculorum ſuffuſiones delet. ferrum eo madens, igni admotum, illicò ignem concipit, uermes interficit, uenenis frigidis potenter reſiſtit, ſcorpionis morſum & noxas ab opio aut hyoſcyamo propellit, calculos ueſicæ pellit, addito decocto diuretico. Retia piſcatorum eo illita, magnam piſcium capturam faciunt. Oleum benedictum dicitur, oleum ſapientiæ, & perfecti magiſterij, quibuſdam diuinum & ſanctum: alijs uerò petrolæum: cuius genus aliud eſt naturale, Naphtha dictum, quod hodie partim ex Italia, partim

tim uerò ex Cattorū regione conuehi uolunt.

## *Oleum muſcelinum.*

Capit olei communis lib.ſex.lilij,folij,ſpicę, coſti,maſtiches,ana unc.unam & dimidiam.ſtyracis calamitæ,croci,myrrhæ,caſiæ ligneæ,xylobalſami,ana drachmas ſex. caryophyllorum, carpobalſami, bdęllij, ana unciam dimidiam. nucis Indicæ drachmas duas. moſchi drachmam unam. uini odorati uncias ſex. Trita omnia coque in uaſe duplici ad uini conſumptionem.

Frigidis affectibus eſt prętantiſsimum,uentriculo præcipuè debili:roborat,calfacit,reſoluit. Dolorem lateris illitu ſanat.Strâguriośis, colicis & neruorum omnibus propè uitijs confert. Epithematibus & emplaſtris,quæ uentriculo adhibentur,immiſcetur. Pomis odoratis cogendis eſt aptiſsimum ,& unguento Aregon conficiendo. Muſcellinum oleum officinis dicitur,à muſcho: cùm potius moſchatū aut moſchelæum dici debeat. etſi moſchum tacuit Manlius,à quo tamen denominari ſatis cōſtat. μυσέλαιον Alexandrino dicitur in Tryphera magna,& unguento Aregon. Vini loco quidam aquam adijciunt, alij muccilaginem, indefinitè tamen. Alij etiam lilium addendum non exiſtimant, hancq́ue deſcriptionem Nicolao Alexandrino tribuunt. In huius locum Balaninum oleum mendoſè quidam ſupponunt,

cum etiam moſcellinum de Been dici falsȯ existiment.

## *Oleum balſami, Petri de Ebano Aponenſis.*

Myrrhæ electæ, aloës hepaticæ, ſpicæ nardi, ſang. draconis, thuris mūmię, opopanacis, bdellij, carpobalſami, cinnamomi, ſarcocollæ, croci, maſtiches, gūmi Arabici, ſtyracis liq̄di, ſing. unc. 2. ladani electi ſiue caſtorij unc. duæ & dimidia. moſchi ſeſquidrach. terebinthinæ pondus omniū tritis miſcetur, alembico deſtillatur ut roſarum ſtillaticius liquor, & reponitur.

Balſamum artificiale, ueri balſami penuriam ſubſtituit: uiribus enim propemodum ad ſingulares balſami uirtutes accedit, atq; id potiſsimum quod ab Aponenſi deſcriptum, ab omnibus ferè Chirurgis uulgò uſurpatur. Tenuium nanq; eſt partium, calfacit, exiccat, terget & glutinat, quæ munia uulnerarijs medicis expetuntur in curādis uulneribus. Terebinthinam reſinam namq; propè habent omnia, ut & alias reſinas, pineam, maſtichen, & gummiū genera. Hoc quia odorato deſunt ſudantia ligno balſama, miſcebat Aponenſis theriacæ, mithridatio, diacurcumæ, & aureæ Alexandrinæ, eoq́ue ueri balſami defectum reſtituebat. Neruorum uitijs, paralyſi, cæterisq́; noxijs frigidis ſpinæ dorſi illitum confert. Quòd ſi idem tepefactum inunxeris ante febrium acceſsionem, rigores

mirè

mirè ſubleuat. Cordis tremorē,palpitationem & ſyncopen ſanat. Hecticos & emaciatos impinguat,addito rhodoſtagmate occipiti & renibus illitum. Vteri præfocationes & ſtrangulatus iuuat. Comitialibus confert,plurimisq; alijs affectibus.Triſtes,melancholicos,animum deſpondentes reficit.Cadauerum putredinem uindicat,mirificosque alios plurimos effectus præ ſe fert, quos ex Chymiſticæ artis ſecretiorib. Hierogrammateis petendos exiſtimo,ut & plurimas alias balſami artificiales formulas. Eſt balſaminum efficacißimum contra dolores & flatus uteri, uentris & coli. Habet thuris candidißimi,maſtiches,ana unc.duas.ligni aloes unc.unam.caryophyllorum,galangæ,cinnamomi,zaduris,nucis myrepſicę,cubebarum ana unc.unam,myrrhę, aloës, ladani,ſarcocollę,caſtorei,ana ſemunciam.baccarum lauri,ſeſquunciam.ireos , ariſtolochiæ rotundæ, dictamni, ſymphyti maioris,ana ſeſquunciam.gummi, quod elemi uocant, unc. ſex. terebinthinæ pondus omnium. concorporata omnia reſoluuntur igne, in alembico Chymicorum arte. Primùm extillat aqua, deinde oleum, poſtremò pinguis melligo, quæ balſamum artificiale dicitur.Cōtra omnia uitia & cauſas neruorum ualere dicitur.

Eſt & balſamum Montagnanæ,& Placentini multiplex,cæterorumq; qui hac in re operá ſuam poſteris probarunt,quorū deſcriptiones

ex Euonymo peti possunt. In huius uicem oleum ex caryophyllis usurpant quidam, alij ex myrrha syncerissima quod elicitur oleum, magis probant.

## *Oleum ad puerorum tormina.*

Olei anethini, & chamæmelini, sing. semun. olei rutacei, myrrhæ, stactes, sing. unc. tres. pulueris cumini unc. duæ. Semel ferueſiant omnia, colentur & seruentur. Est aliud quod contra dolores & flatus uteri, uentris, coli, singulariter facit. Olei anethini pondo. seminis agni casti, seminis rutæ, sing. drach. tres. cinnamomi unc. sex. Conquassata oleo immergũtur, & diebus quadraginta insolantur sub Caniculæ ardoribus, alioqui loco tepido ad focum diutius continentur, dum uim materiæ oleum combiberit. Atq; ista ferè est descripta oleorum supellex, qua Pharmacopolium nostrum instrui uolumus: nisi & oleum chalcanthi aut uitreoli, antimonij, plumbi, cerussæ, calcis, auripigmenti, huc adferri uolumus. Quæ quia secretioris doctrinę adytis & mysterijs inuoluũtur, ex Chymisticæ artis præceptoribus, quorum hodie uberrimus est prouentus, & ijs qui in ea usucapionem habent, petenda censeo, ne in eorum arcem irrumpere uidear, aut ueterem suam possesionem à me depastam conquerantur.

# DE VNGVENTIS,

## SECTIO VNDECIMA.



Nguentorum materia luxus propè apud antiquos superuacui, plurimū à nobis defecit Illa, quia odorata, & crassitudine magis delectabant, quæ spissa dicebantur, maximam habebant commendationem: nunc utendi modum illtis partib. necessarium faciunt, dum emplastrorum, ceratorum & cataplasmatum pondus, aut etiam olei irritam fluxibilitatem partis habilitas respuit. Quo in genere maiorum malagmata, illitiones, & quę peculiari quodam iure Acopa dicta sunt, accensenda ueniunt, restricta aliquantulum prioris doctrinæ ubertate. Quod enim unguinoso suo corpore partibus illitum, & cereo quodam lentore crassitudinem adeptum inhæret, nobis Vnguentum dicitur. Neque uerò odoramentorum fragrantia, aut spissamentorum mixtura rem ipsam circunscribimus: sed nominis notationem latè patêre uolumus, ut non semel laurinum & melinum unguentum Galeno dictum scimus. Quin & cerato affine, cera, aut etiam resina admixta, ut loco melius hæreat, unguentum esse uoluit libro quarto Salubrium. Nos quoq; linimenta unguentorum ueluti gradus facimus, ceræ defectu

oleo

oleo & adipibus liquabilitatem augentes, fluxili eorum naturæ animum adijcientes, denegata ea quæ unguentis debetur firmitudine. In unguentorum materiam hodie ueniunt, lachrymæ, gummi, adipes, muccagines, butyrũ, olea & pulueres, quibus ceræ ſubſtantia formã addit. Nec ea eſt amplius unguentorum luxuries, ut utique patrocinia quærat, dum dempta delibutionis illecebra gratiam nõ amplius aucupentur, nec iam in caſtra penetrent, aut fœdo mollitiei iure ſub caſsidem exotica unguenta ueniant. Vt rectè quidem in M. Tullij monimentis ſcriptum ſit: meliora eſſe unguẽta, quæ terram quàm quæ crocum ſapiant. Atq; ex eorum genere quæ neceſſaria uſus effecit, enumerabuntur quæ Seplaſijs noſtris potius quàm Myropolijs, etſi aſpernabili gratia, non ingrata tamen commendatione proſtant.

*Lib.3. de Or.*

## *Ung. roſatum Meſ.*

Axunxia probè lota nouies aqua calente, & toties frigida teritur, cum pari portione roſarum rubrarum recentium, quæ poſtea macerentur diebus ſeptem, liquentur deinde igni lento, & colentur. Rurſus tantundem roſarum recentium cum ea tunditur, quæ diebus etiam ſeptem marceſcant: liqua ut prius, & cola. Tunc affunde ſucci roſarum dimidium, olei amygdalarum dulcium partem ſextam. Co-

quantur

quantur igni lento ad ſucci conſumptionem, & reponantur. Fit ualentius, præſertim ad inſomniæ leuamen, ſi inter coquendum opij momentum ſtillaticio roſarum liquore ſoluti adijcias. Vſu eſt frequentiſsimum, ſine opio: & præſtantiſsimum ad phlegmonas, ignem ſacrum, ulcera ſerpentia, & cephalalgiam calidam. Ventriculi quoque & iecoris intemperiem calidam mitigat. Renum ardoribus, & hæmorrhoidum inflammationi ſalubre. Inſomniam potentiſsimè leuat, idque præſentius admixto utendi tempore opio, & compoſiti dimidio, incocto, in rhodoſtagmate prius ſoluto. Quòd ſi amygdalini olei loco omphacinum aut roſaceũ permiſcetur, ad prædicta omnia fiet ualentius. Colari poteſt liquatum uaſe duplici melius, quàm igne ſolutum. Gratam habet odoris commendationem, ſi rectè paretur, accerſito adipibus nobili odoramentorũ mangonio, ea arte qua odorandos adipes iubet Dioſc. Quo & iure ex uiolarum, & ex nymphea floribus, alijsq; id genus aut calidis aut frigidis uel etiam odoris unguenta parari poſſe nemo ibit inficias.

## *Unguentum aregon Nic.*

℞ Roriſmarini,
Sampſuchi,
Radicis Iari,
Serpilli,

Rutæ,

Rutæ,
Rad. cucumeris asinini, ana unc. quatuor & dimidiam.
Foliorum lauri,
Saluiæ,
Sabinæ,
Radicum bryoniæ, ana unc. tres.
Pulicariæ maioris & minoris, ana uncias quatuor.
Laureolæ unc. nouem.
Foliorum cucumeris asinini,
Nepetæ, ana unc. sex.
Mastiches,
Olibani, ana drach. septem.
Pyrethri,
Euphorbij,
Zingiberis,
Piperis, ana drach. unam.
Adipis ursini,
Olei laurini, ana unc. tres.
Olei moschelini unciam dimidiam.
Petrolæi unc. unam.
Butyri unc. quatuor.
Olei communis lib. quinque.
Ceræ lib. unam, unc. tres.

Herbæ cum radicibus tempestiuè collectæ, contusæ, septem diebus oleo macerentur, coquantur & colentur. Colatum rursus igni admoueatur: & cum ferbuerit, laurinũ oleum addatur, butyrum, adeps ursinus, & cera: quæ

quá liquefacta, petroleum & moschelinum oleum adiungito, postea masstichen, olibanum, zingiber, piper, pyrethrũ & euphorbium: igni sublatum recondatur.

Hæc est usitara huius unguenti formula, ex uulgaribus Nicolai codicibus collecta: quæ tamen non temerè suspecta est. Aliter namque describit Alexandrinus, tacito tamen nomine: quod est à barbaris uitiatum. Aragon enim, pro Aregon ubique in Pharmacopolijs usurpatur. Sic namque iuuans sonat, ut & adiutorium Saladinus interpretatur. Alexandrini uerior descriptio accipit rorismarini, sampsuchi, iridis, serpilli, rutæ, radicis maluæ syluestris, singulorum unc. duas & drach. duas. foliorum lauri, saluiæ, sabinæ, singulorũ sesquunciam, laureolæ uncias quatuor & dimidiam. calaminthæ uncias tres. mastiches, thuris, singulorum drachmas tres. pyrethri, euphorbij, singulorum semunciam. zingiberis, piperis communis, singulorum drachmas quatuor, script. duo. olei moschati drach. duas. petroleí (aut eius loco olei Sanctæ Barbaræ) semunciam. adipis ursini, olei laurini, sing. sesquunciam. butyri uncias duas. olei communis lib. duas & dimidiam. ceræ albæ, puræ, selibram & trientem. Herbæ cum radicibus uino die uno macerantur, altero eximuntur, & in mortario probè tunduntur, dein in oleum immittuntur, & illic dieb. septem permittuntur: *Sect. de ung. num. 48.*

postea

postea coquuntur & colantur, atq; ubi ebullire cœperint, oleum laurinum, butyrum, & adipes & ceram imponito: omnibusque liquatis oleum moschatum, & petrolæum inijcito. Dein addito thus, zingiber, piper, pyrethrun & euphorbiũ, probè trita, omniaq; simul bene subacta ab igne auferantur & recondantur. Numeratur inter quatuor unguẽta calida, ideoq; corporis uitijs frigidis prodest, conuulsioni, paralysi, tetano, & neruorum distentioni. Spinæ dolores, renum colicos cruciatus sedat, ad omnem stomachi & uentris dolorem ualet, & uterina mulierum mala, quartanas & morbum comitialem. Articularios morbos iuuat, & rigores febrium spinę illitum discutit. Eo frequenter ad scabiem ex lue Venerea utimur. Oleum Moscelinum si deest, rutaceo aut laurino quibusdam restauratur, non balanino, ut plerisque placet.

## *Ung. Agrippæ.*

℞ Radicum Bryoniæ lib. duas.
Radicum cucumeris asinini lib. unam.
Scillæ selibram,
Ireos unc. tres.
Radicum filicis,
Ebuli,
Tribulorũ aquaticorum, sing. unc. duas.
Ceræ albissimæ unc. quindecim.
Olei albissimi lib. quatuor.

Radices

Radices recẽtes incisę, & contusę macerẽtur in oleo per dies octo, deinde coquátur & exprimantur. Colato & expreſſo indatur cera, & fiat unguentum, ad artis præcepta.

Vſurpatur omnib. hoc Agrippæ unguẽtum, quod Alexand. Grypa uocat, & ab eo quod adduximus paulùm immutatum deſcribit. Cuius hæc eſt formula. Bryoniæ radicis libra una. radicis altheę ſylueſtris, ſcillæ, ſing. ſelibra. iridis ſeſquuncia. radicis filicis, ebuli, tribuli marini, ſingulorum uncia. Tuſa omnia imponantur in olei libras duas. ſubigantur, & diebus octo macerentur, dein inijciantur in lebetem, bulliant, ſubactaque iam probè colentur, ſiccaque abijciantur. liquidum in lebetem conijciatur cum ceræ puræ uncijs ſex, aut iuſta quantitate. ſic paratum reconde in uaſe. Alias eiuſdem deſcriptiones Nicolao Alexandrino Latini codices tribuunt: quanquam & in Græcis nonnihil mendi ſubeſt. Ad aquæ ſuffuſiones, partium tumores laxos, neruorum contractionem ualet. Nephriticis ſuccurrit, & uentri illitum ſtranguriam ſanat. Ad lienoſos quoque & uentrem dolentes eſt utile. Oleum lentiſcinum Nicolai codices expetunt, uitioſè tamen pro leuco: ideoque nos albiſsimum diximus, hoc eſt, commune & antiquum. neque aliud requirit Nicolaus Alexandrinus.

## *Ung. marciatum magnum Alex.*

℞ Ceræ albę lib. unam.
Olei communis lib. quatuor.
Rorismarini,
Foliorum lauri, sing. unc. quatuor.
Tamaricis unc. tres.
Rutę unc. quatuor.
Ebuli,
Sabinæ,
Balsamitæ,
Ocimi,
Saluiæ,
Polij,
Calaminthæ,
Artemisiæ,
Helenij,
Betonicæ,
Brancę ursinæ,
Spargulæ,
Herbæ uenti,
Pimpinellæ,
Agrimoniæ,
Absinthij,
Herbæ Sancti Petri, ab Italis uocatæ herbæ paralysis,
Costi herbę,
Foliorum sambuci,
Semperuiui minoris,
Herbæ millefolij,

Sempervivi maioris,
Chamedryos,
Quinque neruię.
Centaurij,
Fragarię
Quinq;folij,ſing.unc.duas, drach.duas.
Maluę ſylueſtris,
Radicis cumini,
Myrrhę,ſing.ſequunciam.
Fœnigręci drach.quinq; ſcript.duo.
Butyri drach.ſex.
Seminis urticę,
Violarum,
Papaueris albi,
Menthę,
Rubię,
Menthę agreſtis,
Lapathi,
Polytrichi,
Cardiobotani,
Matriſſyluę,
Herbę moſchatæ,
Florum chamæmeli,
Scolopendrij,
Criſpuli,
Herbæ caphuræ,
Styracis,
Medullæ oſsium cerui, ſing.drach.duas.
Axungiæ urſinæ,gallinæ & anſeris,
Maſtiches, ſing.ſemunciam.

Thuris drach.duas.

Olei nardini unc.unam.

Herbas tritas impone uino bono, & die uno macera, altero die è uino exime & contunde, & in aliud uinum conijcito, ibique diebus ſeptem ſinito, octauo deinceps cum uino decoque, donec eius dimidium abſumatur. Dein inijce oleum, & denuò decoquito, dum uinum totum conſumatur. Amotum ab igne colatur, atque rurſus in lebetem oleum inijciatur: cui poſtquam lento igne parum concalfactum fuerit, inijce ſtyracem, butyrum, & adipes, oleum nardinum, maſtichen, thus: poſtremoque omnium ceram, & omnibus lento igne diſſolutis, aufer tandem ab igne, & in uaſe recondito.

Hæc ungnenti formula ex Nic. Myrepſo deſumenda fuit, quòd uulgati Latini codices Nicolai rem ipſam miris tenebrarum inuolucris conuoluerint, fœdeque eam ipſam originem deformarint. Etſi probè mihi conſcius ſum, Alexandrini codices non prorſus abeſſe à mendo: ut tacitus prætercam temerariam, & penè barbaram ſimplicium enarrationem, in qua enucleanda plurimùm operæ collocarunt uiri huius tempeſtatis doctiſsimi, quibus magna multis nominibus debetur gratia. Et profectò ſua raritate, aut difficultate potius manus noſtras effugiſſet, niſi præcipuum ei locum in unguentis calidis Medici facerent.

Malagma-

Malagmatis Marciati meminit Paulus & Aetius. Duplicem etiam marciati compoſitionem habet Trallianus, ad ſtomachi intemperiem frigidam. Nicolaus Alexandrinus unguenti Marciati ad hydropicos & reſolutos tres alias habet formulas, numeris 3. 4. 5. quæ profectò facilius in uſum, quàm præſcripta reuocari poſsint. Nam non inutilem habent ad ea quæ promittunt efficacitatem, nec uerò tam confuſa barbarie refertæ ſunt. Alij Marciati parui deſcriptionem Alexandrino tribuunt non inutilem, & quam alterius loco lubenter ſuffici patiar. Habet foliorum lauri libras tres. rutæ libras duas & dimidiam. amaraci libras duas. roriſmarini ſeſquilibram. myrti ueræ lib. esbrij, balſamitæ, ocimi, ana uncias ſex. butyri uncias quinque. ſtyracis, medullæ ceruinæ, adipis urſini, adipis gallinacei, ſing. drach. quatuor. maſtiches unc. tres. thuris unc. duas & dimidiam. olei nardini unc. unam. olei communis lib. ſex. ceræ quod ſufficit. Esbrij loco quidam ſaluiam, quidam maioranæ cacumina decerpunt: nos uerò ebulũ intelligimus, ut & myrti loco myrrham ponimus, diſcutiendi, calfaciendi, emolliendi, & ſiccandi ui efficacem: quibus uiribus potius quàm myrti denſatione, & ſtringendi facultate indigemus. Valet Marciatũ ad frigida corporis mala, capitis refrigerationem, thoracis, ſtomachi, iecoris, lienis, alioſque dolores à frigore natos. Cõuulſioni utile eſt, neruorum

*Lib. 7. ca. 18.*
*Lib. 12. c. 44.*
*Lib. 7. ca. 14.*

*Marciatum paruum.*

resolutiones & coxarios iuuat, tumores & duricies emollit, lieni indurato pręcipuè cōducit atq; ad hydropicos & lienosos expertũ habet cōmmédationem, liuorem cutis emendat, neruorum & articulorum tumores frigidos discutit, eorumq; dolores sedat.

## *Ung. de althæa.*

℞ Radicis althææ lib. unam.
Seminis lini,
Fœnigræci, ana lib. dimidiam.
Scillæ unc. tres.

Radices & semina contusa, tribus diebus in aquæ libris tribus & dimidia macerentur, dein bulliant donec crassescat mucillago. Cuius expressæ, & per linteum colatę cape lib. unam. eiq; olei cōmunis lib. duas addito, & rursus decoque donec succus absumptus fuerit. Dein adijce ceræ lib. dimidiam. terebinthinæ, galbani, gũmi hederæ, aut eius succi, sing. unc. unam. Postremò impone colophoniæ bene tritæ, & resinæ albę puræ, sing. unc. tres. Concussa agitataq; probè, ut in lebete eliquētur, ab igne remoueto, & refrigerata in uase recondito.

Vulgati Nicolai codices, duplum pondus adijciunt. Sunt qui simplicius dialthæas parãt, relicta scilla, galbano, colophonia, & gummi hederæ. Vsu celeberrimum ad emolliendum, calfaciendum & humectandum. Pectoris dolorem ex frigido contractum delet, laterumq; dolo-

doloribus felicifsimè adhibetur per ſe, aut e-tiam cum butyro illitum. Viſcerum durities laxat, ſplenicis & hepaticis adhibetur, & ſto-machi inflationes diſcutit. Valet ad neruo-rum incontinentiam & duriciem, eosq́ue pre-ciſos glutinat, præcipueq́ue uulnera claudit, ſi ſambuci aut cyclaminis radix apponatur. Reſolutis neruis benefacit, & perfrictis par-tibus, in primis tamen ueſicæ ad ignem illi-tum, periodicasq́ue febres abolet. Emol-lit, lenit, coquit, incidit, digerit. Malagma dialthæas (cuius etiam meminit Galenus li-bro decimoquarto Methodi) parat Tral- *Lib.11. cap.1* lianus ad articulorum torporem delendum, ex frigidiorum rerum uſu contractum. Habet fœnigræci, ſeminis lini, althææ, ſingulorum unc. quatuor. Quibus maceratis & percoctis ſuccum craſsiſsimum extrahito, cuius expreſsi & percolati libras duas, cum pari olei portione lento igne decoques, donec ſuccus cõſumptus fuerit. Inter coquẽdum ceræ, colophoniæ, ſing. lib. unam adijcito. galbani boni unc. quatuor. ſublatum ab igne ceratum condito & utitor. Valet ad podagricos tumores & uiſcera indu-rata. Alias malagmatis dialthæas deſcriptiões emolliendo ueteribus plurimùm commenda-tas, habes apud Hollerium in materia Chirur- *Lib.1. cap. 4* gica & emollientium materia. Atq; eo ordine deſcripta nobis ſunt quæ quatuor un-guenta dicuntur calida.

## *Ung. Apostolorum Auic.*

℞ Terebinthinæ, ceræ albæ, resinæ, ammoniaci, ana drach. quatuordecim.
Aeruginis,
Opopanacis, ana drach. duas.
Aristolocihæ longę,
Thuris masculi,
Bdellij, ana drach. sex.
Myrrhæ,
Galbani, ana drach. quatuor.
Lithargyri drach. nouem.

Bdellium si molle est, ammoniacum, opopanacem cum aceto macerabis nocte una, postridie cafefac, cola, iterum pēde, & ponderi horum legitimo terebinthinā permisce, quæ tam belle hæc ac cętera comprehendet, ut uix sis erraturus. Lithargyrum autem in oleo nutries aliquandiu sine igni friatum. Oleum ęstate sit librarum duarum, hyeme trium. Postea igni trade. ubi calet, cerā immitte: hac liquata igni aufer. liquores, ut dixi, paratos misce. ubi refrixit, reliquorum puluerem paulatim adijce. Bdellium siccius, quale nobis est adulterinum, ut cætera terendum, & aspergendum.

Sumpta est ista formula ex Auiceuna libro quinto, quę usu frequens est ad uulnera & ulcera difficilia, cuniculosos sinus & fistulas, sordida ulcera emundat, perpurgat, exiccat, &

deter-

deterget, & exesa putrilagine carnem restaurat, duram emollit, & plagas sanat. Ob componendi & miscendi operosam difficultatem sæpe ad artis specimeu probandis Pharmacopœis imperatur. Plures sunt aliȩ huius unguenti descriptiones in uarijs officinis usurpatæ, sed huic omnes cedere necesse est. Sunt qui etiam Terebinthinam omittant, & parciorem æruginis modum faciant. Qua in re unguentum istud cum Venere antiquorum plurimum consentit, quo usi sunt attrahendo, molliendo, glutinando, & contra ferarum morsus. *Lib.11.ca.14. Venus antiquorum.*

Quod ut clarius constet, id quidam, quia uariè describitur, ita ex Aetio uertunt, thure addito & myrrha, ut clementius euadat. Lithargyri uncias quinq; & uiginti. ammoniaci uncias nouem. colophoniæ unc. sexdecim. æruginis, galbani, sing. unc. duæ. bdellij, opopanacis, sing. unc. tres. aristolochiæ, thuris masculi, sing. unc. sex. myrrhæ unc. quatuor. ceræ, olei, sing. libras duas. Lithargyrus oleo coquitur, media ebullitione inditur ærugo, aut decoctione extrema ut melius purget: ubi non inquinant, colophonia inspergitur: summotis igne, reliqua ex aceto trita immittuntur. postremò uersantur in mortario, & permiscentur. Auicennas quoque unguentum istud Veneris dici testatur, quò facilius cum Venere antiquorum conspiret. Sed hoc nostrum terebinthinam, & maiorem modum æruginis capit, ideoque effica-

cius purgat. Viride eſt, quemadmodũ & ea uo cat Galenus, quæ æruginem capiunt. Inter quæ huic noſtro ualde affine eſt, quod Alcimioni tribuitur: quodq́ue Epigono, aut quod Hecatondrachmon dicitur, cuius uſus eſſe poteſt ad magna uulnera glutinanda, ſordida eluẽda, & carnem etiam inducendam. ferè reſpondet unguentum iſtud Apoſtolorum, unguento magno Craſeos Meſuei, in cuius uicem iſto utimur. Eſt autem emplaſtrum Apoſtolicum Nic. Alexand. ab hoc longè diuerſum.

*Lib. 2. comp. ph. gen.*

## *Ung. populeum Nic.*

℞ Oculorum aut gemmarum populi libram dimidiam.

Foliorum papaueris nigri, foliorum mandragoræ, cymarum rubi tenerrimarum, foliorũ hyoſcyami, ſolani, ſemperuiui magni & parui, lactucæ, cotyledonis, uiolæ nigræ, ana unc. tres.

Axungię ſine ſale lib. tres.

Populi gemmę, quia primo uere decerpuntur, per ſe in mortario terũtur, deinde cũ axungiæ dimidio multum diuq́ue contunduntur, & in maſſã rediguntur, uaſe operculata recondantur ad hebdomadas quinq; aut ſex, aut etiã menſes duos, dum herbę uigeant. Quæ inciſæ, & per ſe piſtillo ligneo tritæ cum oculis populi & ſebo coquuntur, cernuntur omnia, & ſi opus eſt parum recoquuntur, reponuntur. Qui-

dam

dam in uini optimi odori lib. una decoquunt, dum uinum expiret. Vt uireat magis, & refrigerandi uiribus sit efficacius, coctioni addunt solani triti manipulos duos.

Parum aut nihil abest à populeo Alexandr. quod febrium ardoribus cum rosaceo aut uiolaceo conuenit, somnum cōciliat temporibus, & manuum aut pedum pulsib. illitum, idq; indies experimur ceterorū magis mixtura quàm oculorum populi nigræ uiribus, quæ Galeno cæterisq; Grecis moderatè calfacit. Idem quoque acopum parat ex populi nigrę floribus, & quod fit ex abietis semine ualde affine ad coquendum aut per halitum dirigendum: succos in carne, & tota corporis mole coaceruatos crudos uel acres, quales in lassitudinibus sentiuntur. Ex floribus populi nigræ adhuc coniuentibus, & gemmantibus modicè tritis, modius Italicus immittitur in libras quindecim aut uiginti olei Sabini, aut alterius cuiusdā tenuium partium citra adstrictionem: moue quotidie cum sol feruebit, & in domo calida repone, ut celerius uis & populi qualitas in oleum immigret. Post duos aut ternos menses floribus expressis, & abiectis, oleum fit digerens per halitum sine morsu. Quòd si florum populi maceratio tardior uideatur, oleum cum floribus contusis mixtum inijce in aquæ uel uini (si affectus est podagricus uel articularis) partem quartam uel quintam,

*Lib. 4. Salu.*

*Paul. lib. 7 & Nic. Al.*

ne

ne iniecta torręantur, uel oleum adustionem referat. Succos non crassos nec lentos in cute aut carne inhærentes dissipat, ut chamæmelinum, anethinum & rorismarinum, per se uel cum cera & resina. Populneo oleo quidam ad partium ardores, phlegmonas, refrigerij causa hoc modo utuntur. Populnei oculi uerè collecti pari rosaceo infunduntur, uini paulo plus quàm olei adijcitur, macerantur omnia diebus septem, & quotidie commouentur. Octaua coquuntur die mollibus prunis, donec uinum absumatur.

## *Ung. aureum Mes.*

℞ Ceræ flauæ unc. sex.
Olei boni lib. duas & semissem.
Terebinthinę unc. duas.
Resinæ pineæ, & colophoniæ, ana sesquunciam.
Thuris, masticbes, ana unc. unam.
Croci drach. unam.

Cerę in oleo liquatę resina, colophonia, & terebinthina confundenda, depositis ab igne thus & mastiche insperguntur, postremò crocus in puluerem tritus immiscetur.

Vnguentum Regis officinis dicitur: Aureum autem, à colore & precio. Est enim præstantissimum, uulneraque tutò & salubriter glutinat in mollioribus corporibus. Id ita alij describunt. Ceræ uncias quinque. resinę unc. tres.

tres. terebinthinæ pondo. mellis ſeſquuncia. maſtiches, thuris, ſarcocollæ, myrrhæ, aloës, croci, ſingulorum drach. una. fiat unguentum, quod etiam eſt ſarcoticum. Aureum aliud Alexandrino tribuunt, ualde compoſitum, & ad renum calculos laudatiſsimum, quod ab eo numero 63. deſcribitur, alia tamen frontis indicatura.

## *Ung. fuſcum Nic.*

℞ Olei communis libram dimidiam & unc. tres.
Ceræ puræ unc. duas.
Colophoniæ, picis naualis, ſagapeni ſing. unc. unam.
Maſtiches, thuris, galbani, reſinæ terebinthinæ, ana ſemunciam.

Oleum cum cera bulliat: ubi probè eliquaueris, impone colophoniā primùm, deinde picem naualē, ſagapenū, terebinthinā, maſtichē, thus, & galbanum. refrigeratū, recõde in uaſe.

Dicitur quoq; ung. nigrum, uulnera repurgans, & inter ſarcotica Chirurgis uſurpatum. Multa habet unde emolliat, & cõcoquat. Sumptum eſt ex Alexan. Vulgati nanq; codices mirum in modum ſunt deprauati.

## *Ung. citrium Alex.*

℞ Boracis aut chryſocollæ drach. duas.
Caphuræ drach. unam.

Corallij

Corallij albi semunciam.
Amianti,
Vmbilici marini,
Tragacanthæ,
Amyli,
Cryſtalli,
Antali,
Dentali,
Thuris albi,
Nitri, ſing. drach. tres.
Marmoris albi puri drach. duas.
Ceruſæ præparatæ ex dracontio unciam unam.
Ceruſæ alterius præparatæ ex plumbo unc. ſex.
Adipis ſuilli recentis ſalis experti & puri lib. unam.
Sebi caprilli ſeſquunciam.
Adipis gallinacei unc. unam.

Terantur omnia ſimul, excepta borace, in mortario in tenuiſsimum puluerem, adipes & ſebum ſimul eliquentur in duplici uaſe. Eliquatis & per tenue linteum colatis trita omnia inijciantur, & probè rudicula ſubigantur, ſubacta imponantur citrio uni aut duobus aut pluribus, & coquantur ebullitione una. dein rurſus in lebetem conijciantur, & addatur illis borax, ſeorſum tenuiſsimè trita, ſubacta probè reponuntur in uaſe. Sunt qui ſuccũ duorum aut plurium citreorum malorum addunt, indeq;

Indeq; citreum aut citrium nominant, uulgò citrinum dicitur.

Operosa est confectio propter uariam opinionum uoraginem in borace, amianto aut amento dulci, antalio & dentalio, quæ quia non sine laude maxima sunt à doctiss Fuchsio explicata, nostram non requirunt operam. Desumenda uerò fuit ex Alexandrino, quia uulgati nostri codices non parum dissentiunt. In qua utenda, quia constans est officinarum consensio, eam religiosè magis quàm necessariò apposuimus. Aspera læuigat, faciei maculas & lentigines exterit: ephelides, & ex insolatu ustiones factas ac cicatrices emendat, ruborem oculorum aufert, & pustulas in cute à salsa pituita apparentes sanat. Est uerò aliud citrinum, Pauli libro septimo capite decimooctauo, & aliud Montagnanæ descriptum duplex.

## *Ung. de arthanita maius Mes.*

℞ Succi cyclaminis lib. tres.
Succi cucumeris agrestis lib. unam.
Olei irini lib. duas.
Butyri uaccini lib. unam.
Pulpæ colocynthidos unc. quatuor.
Polypodij unc. sex.
Euphorbij unc. dimidiam.

Sicca hæc tria, tere & macera diebus octo, succis & oleo in uase uitreo angusti oris bene obstru-

obſtructo. Pòſt ſemel feruefacito, cola: deinde adde ſagapeni aureos quinq;, myrrhæ aureos duos. Prius autem aceto ſufficienti diſſoluantur, coque mouendo ad ſuccorum propè conſumptionem. Tunc adde ceræ uncias quinq;. fellis taurini aureos quinque. feruefiant ſimul, donec cera liquetur. Tunc inſperge paulatim puluerem ſequentem:

Scammonij, aloes, mezerei, colocynthidos, turbith, ana aureos quinque.

Euphorbij aur. unum.

Salis gemmei aureos tres.

Piperis longi, zingiberis, chamęmeli, ana aur. duos.

Miſce diligenter, & fiat unguentum.

Dicitur etiam cyclaminis unguẽtum, quod mirandas habet uires, & maximè commendabiles in ijs qui adeò delicatè ſe gerunt, ut à catharticis medicamentis abhorreant. Illitum enim ſtomacho uomitione purgat, & hypogaſtrio inunctum aluum deijcit, & ſeroſum multum excremẽtum quod in aquæ ſuffuſionibus abundat, deturbat: pręcipuo hydropicis adiumento, quas eaſdem omnino uires cyclamino tribuit Galenus lib. 7. Simpl. Abdomini nanq; illitum uentrem ſubducit, fœtumq; interimit. Miſcetur huius unguenti parua portio ſideratorum infuſis magno profectu. Vermes etiam necat & educit, lienemque efficaciter minuit. Duplex uerò cùm Meſueo deſcribatur, iſtius

uſus

uſus, in officinis obtinuit, ut prærogatiuæ nomine ſemper Medicis indicatur. Nec eſt quòd in huius copia minus requiramus. Deſcribitur etiam Meſueo in Simplicibus, uariè tamen. Nil eſt autem cur mirum ſubeat medicamenta ſuo illitu uomitum ciere, aut etiam aluum ſubducere, cùm multa talia recenſeat Actuarius libro 5. Meth. quæ ἐπομφάλια dicũtur. Eſt & aliud eiuſdem, quod pedum plantis illitum pituitam ciet. Nic. etiam Alexandrinus unguentum deſcribit num. 50. quod imo uentri ac pubi illitũ aluum deijcit. Sunt & multa eiuſdem generis Exomphalica cathartica apud recẽtiores, quorũ turbã deſcribit Alexãder Benedictus cap. 16. *In Cyclamino.*

## *Ung. Aegyptiacum magnum Meſ.*

℞ Aeruginis aureos quinque.
Mellis aureos quatuordecim.
Aceti acerrimi aur. ſeptem.

Coquantur igni ad iuſtam craſsitiem. Addunt aliqui thuris maſculi triti aureos duos & dimidium.

Vſu ſolenne uulnerarijs Medicis, & unguentum de melle quibuſdam dicitur. Valentiſsimũ namq; ad ſaniem ſiccandam, ſordem detergendam, & carnem abſumendam, præſertim ſi ſit uiride, & crudam æruginem capiat. Vlceribus malignis, putrilaginoſis & cuniculoſis conuenit. Mel cum aceto aliquandiu coquitur, dein additur ærugo, & percoquitur, ut clementius

& moderatius unguentum fiat, dum nõ ita uehementi purgatione ulcus indiget. Diutius námque cocta ærugo, rubrũ aut ruffum medicamẽtum facit, minusq; acre: & mitius quoq;, si diutius lotura repetatur, & multum uini ærugo combibat. Quę moderationis ratio uariè commutari potest, ut sunt ulcera & corpora. Paratur Aegyptiacum ex ærugine cruda, usta, lota, ubi ualde sordida, putrilaginosa & maligna ulcera curanda ueniunt. Ac ferè cruda ærugine in purgando utendum erit. Quòd si non adeò graue uicium est, usta quidem licebit uti, aut tantùm elota: usta uerò & elota implendo cauo atque glutinãdo magis est idonea. Quanto plus receperit æruginis, tanto acrius pharmacum futurũ est. Temperatur uerò cerato octuplo, decuplo, duodecuplo: & aliquando terebinthina permiscetur, quæ ut ad æruginem similiter cerato habet, octupla, decupla, duodecupla. Ac iam detersa sorde, cùm iam regeneranda caro, uel glutinandum ulcus est, minuetur ęrugo, uel cerati & terebinthinæ modus inaugebitur. Aeruginis quoque, cæterorumque medicamentorum quæ ex acribus metallicis conficiuntur, uis obtundi potest ustrina, lotura, coctura. Vstrinæ & loturæ ratio ex Dioscoride petenda est. Lauantur uino, ut glutines & impleas: aceto, ut tenues, penetres, repellas. Cruda melius expurgant, usta tenuiora sunt, magisq; discutiunt: lota omnino clementiora

sunt,

sunt, usta lotaque pręstantisſima sunt, ut ſicces quidem, nec mordeas. Circa initia indita co-cturæ ęrugo gilua facit, & dichroma, colore am biguo. Mediocriter cocta melina facit, qualia multa deſcribuntur lib. 2. Comp. phar. gen. Diuerſum eſt Aegyptiacum iſtud ab his quæ deſcribit lib. 3. Comp. phar. gen. Gal. & ab Aegyptia Andromachi, quam integrè deſcribit Hollerius lib. 3. de materia chirurgica. Leuiter tamē quodámodo ex lib. 3. Meth. & ex uiridibus emplaſtris Galeni lib. 2. Cóp. phar. gen. pręcipueq́; ex Aetio adumbratum uidetur. Porrò aliud eſt unguentum de melle chirurgis etiam familiare ex Rhaſio ſumptum, quod capit ſarcocollæ & mellis ęquas portiones, quę ſimul permiſcētur. *Cap. de uicijs oſsium.* *Lib. 14. cap. 32.* *Lib. 7. ad Alm.*

## *Ung. Baſilicon Meſ.*

Capit reſinæ, picis, ceræ, ana partes ęquales, olei quod ſatis ſit. Cera in oleo liquata, pix & reſina trita inijciuntur, quib. liquatis igni aufer.

Iſtud dicitur baſilicon minus Meſueo, quod ex Serapione & Auicenna ſumptū eſt, & magis ad baſilicū & tretrapharmacū ueterū accedit, ſolenne ad pus mouendū, inflammationē leniendá, molliendū, tergendū & glutinandū, ob idq́; recentibus capitis & neruoſarū partium uulneribus & ulceribus eſt aptiſsimū. Baſilicō tetrapharmacū Galeno dicitur: Paulo & Actuario recipit cerá, reſinam, colophoniam, picem, adipem taurinum ad ęquas partes. Galenus ſolius reſinę, non colophonię meminit. Celſus adipis *Lib. 3. Comp. phar. part. li. 7. cap. 17. lib. 6. Meth. cap. 8.*

taurini defectu uitulinum miscet. Nos quoque imbecillius medicamentum facimus, commutato adipe in oleum, quanto adeps oleo efficacior ducitur: sic quoque oleum uariè commutamus, ut affectus & corporis natura exigit.

*Cap. 211.* Scribonius Largus emplastrum Aristi nigrum Tetrapharmacũ uocat, & adipis taurini dimidium tantùm ponit, basiliconque aliud describit, quod ad Triphonem refert. Puri mouendo primas huic medicamento tribuit Cornelius

*Lib. 5. cap. 19.* Celsus: quas etiam uires eidem Gal. attribuit,

*Lib. 4, 5, 13. Meth. & lib. 3. comp. phar. part.* in phlegmones dolore sedando, calfaciendo & humectando: estq; à Græcis hoc remediũ suppurando semper usurpatum. Quibus dotibus cùm dolorem leniat, phlegmonem maturet, putredinem quidem augere, siccare uerò, expurgare, aut carne implere uix posse uidetur. Eoq;

*Lib. 5. Meth.* nomine Galenus Thessalium quendam reprehendit, qui tetrapharmaco in diuturno auris ulcere, dum siccante & purgante opus esset, uteretur. Quòd si iure in reprehensionem incurrit, in eandem causam incidunt non modò recentiores Medici, sed inter Græcos Actuarius, qui iam à uetere illa artium parente Grçcia degenerasse, & in Arabum familiam conspirasse uidetur. Atque inter Latinos non aspernabilis autor Scribonius Largus. Vterque enim uim concaua ulcera explendi & incarnandi tetrapharmaco tribuit. Sed nec ita absurdum uidetur carnis gignendæ uim huic medicamento tribui,

tribui, si modo ex ueteribus medicamentis, sicca pice, colophonia arida, adipe taurino, & cera non ita pingui confecerint, & ad partem natura humidiorem & molliorem adhibeatur, in usuq; rosaceo, myrteo, mastichino dissoluerint. Oribasius quoque lib. 3. Synops. basilico carnis inducendæ uim tribuit ad duodecimam medicamenti partem, una thuris áddita. Quas uires habet Macedonicum, solo thure ab hoc differens. Ad quod certè uiribus & efficientia magis accedit basilicon magnum Mesuei, ulceribus glutinandis & carne implendis efficacissimũ: quod capit ceræ albæ, resinæ pini, sebi uaccini, picis naualis, thuris, myrrhæ, sing. partes æquales, olei quod satis est. Valentius quoque ad uulnera glutinãda, si terebinthinę par pondus, non ichthyocollæ, quod quidam factitant, addideris. Nigrum est hoc unguentum, flauum autem quod prius retulimus, nisi si crassius tritam picem immittas: quæ quia diutius ignẽ tolerat, ac uelut uritur, nigrum unguentũ faciet.

*Li. 13. Meth.*
*Basilicũ magnum Mes.*

## *Vng. de lithargyro nutrito Mes.*

Capit lithargyrum læuissimè tritum in mortario ad iustam crassiciem tribulandam, cum aceto & oleo uicissim & paulatim affusis. Si uerò coquis ad aceti cõsumptionem, & lithargyri fusionem, ut crassescat magis: fiat emplastrum.

Vtrunque tripharmacum & unguentum de lithargyro Mesueo dicitur: sed quod crudũ est,

nutritum & unguentum expertũ, alterum coctum uocatur. Alij lithargyri nunc crudi, nunc aqua rosarum loti unc. tres. aceti sesquunciam, olei rosati quod satis est, terũt in mortario sine cera, ut unguentũ de cerusa. Alij quoq; cũ pauca cera coquuũt, ut solidius euadat, sed refrigerãdi uires minuũt. Prodest scabiei & cutis ulceribus, pruritum & desquamata iuuat, siccat sine morsu, sarcoticum est & epuloticũ, difficiliaq; ulcera persanat, & cruenta glutinat. Lithargyros namq; uino aut aceto tritus & siccatus uulneribus medetur, quæ ob humiditatem uix cicatrice claudũtur. Quo si eloto uteris, rosionis omnino expers medicamentum habiturus es.

*Lib. 1. Comp. phar. gen.* Galenus lithargyron ocnelæo, oxelæo & hydrelæo temperauit in mollioribus naturis, parat q; medicamentum ex lithargyri parte una, olei & aceti duplo maiore portione. Coquãtur omnia, dum omnino cõbibitum oleum, acetũ uerò expirasse uideatur, nec iam inquinet, & nigro splendeat. Oleũ autẽ sit uetus, quale multo magis exiccat, acetũ acerrimũ pellucidũ, ex uino factũ non aquoso. Siccat potẽtissimè, ulcera difficilia percurat, fistulas quæ nondũ callũ cõtraxerint, iungit: eoque parotidas criticas quæ iam fistulas traherẽt, in pueris adolescẽtib. mulieribus sæpius curauit Gal. nec à tripharmaco Mesuei alia re differt, quàm quòd plus habet aceti & olei: à nutrito autem, quòd in illo cruda est materia, ex quo non ita siccat.

Vnguentum

## Unguentum album Rhasij.

℞ Ceræ albæ unc.unam.
Cerusæ in aqua rosarum lotæ unc.duas.
Olei rosacei unc.quatuor.

Liquefacta cera cum oleo lento igne remoueatur semper agitando: cumq; refrixerit, cerusam adijce tenuissimè tritam. probè agitato, & unguentum confice.

Dicitur etiá hodie ũnguentũ de cerusa crudum: aut si coctum fuerit, emplastrũ de cerusa. Quin & album unguentum Rhasij aut Nutritũ superiori affine quibusdá uocatur, multisq; modis paratur. Sunt qui parum aceti addũt, ut ualétius sit, & mordax magis. Siccantius efficitur, addita lithargyri uncia una, caphurę drach. duabus, & duorum ouorum albuminibus. Hodie etiam plerique Pharmacopœi addunt hæc omnia simul præter lithargyrum. Alij olei unc. duodecim, cerusæ, ceræ albæ, sing. uncias quatuor ponunt. Sunt qui cerusæ & olei rosati portionem æqualem coquunt in emplastri formá. Est aliud Mesuei unguentum de cerusa, in cuius usum hoc facilè substituitur ad ambusta, erysipelata, scabié & cutis uicia à salsa pituita & bile usta enata, ad prurigines & pustularum eruptiones, acrem serpiginem, attrita & intemperiem ulcerum calidam: præcipueque ualet ubi calor est, ustio & excoriatio. Additur in rem pręsentem caphura: sic enim caphuratum,

& nõ caphuratum usurpatur: pro qua quidam succum semperuiui aut myrrhæ substituẽdum existimát. Vnguenti de Cerusa duas habet descriptiones Auicennas ex Serapione & Rhasio sumptas, præterquá quòd altera põdere uariat. Vtraq; lithargyrũ habet, prætereaq; altera tragacanthum & argenti scoriam. Alborum emplastrorum ex cerusa, spuma argenti & calce, mixturæ rationem facit Gal. sparsaq; sunt plurima alia alba per totam pharmacorum compositionem: præcipuè tamen quod ab Oribasio describitur, usurpatis unguentis albis ualde est affine. Album ad ambusta habet spumæ argenti, cerusæ, sulphuris uiui, sing. unc. sex. ceræ unc. quatuor. olei myrtini quod satis est. Albũ quoque aliud Galeni & Actuarij ad ambusta & cicatricem ducendam epuloticis annumeratum Hollerio describitur. Est & Nic. Alexandrini album duplex: quorum alterum ad scabiem & pruritum commodùm usurpari potest. Huic uerò Rhasij nutrito, quod cerusam & lithargyrum capit, ualde est finitimum, quod Galeno & antiquis est celebratum, Asclepiadi attributum: ab Octauio etiam laudatum. Facit ad ani uicia dolentia, ulcera in capite manantia, & ea quæ serpunt, acrem serpiginem, ignes sacros, exasperata pharmacis delinit, extinguit cãcros, pudendis & genitalibus, cancro, maligno ulcere & dolore læsis solatio est. Oleum dulce, rosaceum, myrtinum demenso nouem unciarum

*Lib. 1. Comp. phar. gen.*

*Synops. lib. 3*

pistillo

piſtillo & mortario plumbeo tandiu uerſatur, dum ſit ſtrigmentoſum ac liuidum. His lithargyri & ceruſæ utriuſq; tritæ pondo coniungitur, & uſui in plumbeo uaſe reponitur. Nutritũ quoque Rhaſij & Auicennæ hoc modo fit. Lithargyrus in pollinem tritus ex aceto & roſaceo diu uerſatur in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo: modus eſt, ut inde craſsior fermentetur, & exturgeat. Sunt qui addunt ſextulam æris uſti, uel cremati plumbi, aut tantundem aluminis, balauſtiorum, rubiæ, ſang. draconis, cadmiæ argenti, idq; ſingulari ope in malignis & pertinacibus uicijs. In canceroſis etiã ceruſa permiſceri poteſt piſtillo & mortario plũbeo.

## *Ung. diapompholygos Nic.*

℞ Olei roſati unc. decem.
Ceræ albæ unc. quinque.
Succi expreſsi è granis ſolani unc. octo.
Ceruſæ lotæ unc. quatuor.
Plumbi uſti, pompholygos pro quo tutiam ſubſtituunt, ana unc. duas.
Thuris unciam unam.

Oleum cum ſucco decoquito, donec expirauerit ſuccus: deinde ceram oleo confundito, reliqua in farinam trita in mortario permiſceto, ubi refrixerit: omniaque diu circumuoluito.

Vſu ſolenne eſt ad exiccanda eryſipelata, uulnera ſordida, & ſanãda tibiarum ulcera, cauaq; explenda, & cicatricem ducendam. In pu-

tridis & cancerosis, ubi feruor aliquis est, summa fiducia usurpari debet, quòd nulli ueterum compositioni cedat. Nicolao Alexandrino tribuitur, uarieque à plerisque omnibus describitur. Theodoricus solo pondere differt. Ceræ unciæ duæ, aut unc. duæ & dimidia unguento satis sunt: alioqui emplastrũ fuerit, ad omniaq; ualentius, si uerum pompholygem, non cadmiam ceperit. In corrodentibus & inflammatis ulceribus succo seridis subigitur. Liquido cerato rosaceo emolliunt, immittũt tubulo ad rhagadas & sedis fistulas. In callosis lini succus & adipes permisceri possunt, ad inflámata croco & uitellis ouorum intingitur. Galenus lib. 2. ad Glauc. medicamentum ex pompholyge & solani succó cancris ulceratis adhibet. Varieque Oribasio, Paulo, Aetio & Arabibus describitur. Eo ut maximè epulotico utuntur, quod habet pópholygis, cerusæ, lithargyri, ana unc. unam. ladani unc. duas. acaciæ unc. quatuor. ceræ unc. tres. myrti unc. octo. ouorum assatorum uitellos nouem. Metallica è uino terito, ceram cum oleo liquefacito, ex quo ladanũ & acaciam commisceto: deinde uitellos & metallica in mortario reliquis coniungito. In neruorum uicijs hoc medicamẽtum ex pompholyge nudato neruo imponitur. Capit cerusæ, pópholygos, lithargyri, ana unc. duas. cadmiæ unc. quatuor. medullæ cerui unc. tres. ceræ, olei rosati, ana lib. unam. olei myrtini selibram. Metallica

tallica trita, cribrata, lota, liquatis alijs intermiſcentur: coquuntur omnia, dum non inquinét. In uſu diſſoluitur oleo æſtate roſaceo, hyeme chamæmelino, aut alijs id genus.

## *Unguentum pectorale.*

Recipit muccaginis pſyllij, tragacãthę, gummi Arabici, ſeminis lini, fœnigræci, ſing. unc. unam.

Adipis gallinæ, medullæ cruris uituli, butyri recentis loti cum aqua uiolarum, ana unciam & dimidiam.

Olei uiolati, olei amygdalarum dulcium, ana unciam unam.

Cæræ albæ quod ſatis ſit. fiat unguentum.

Laterum dolores & pectoris mitigat, tuſſim ſedat, maturat, excreationem iuuat & expectorat, humores craſſos digerit & attenuat: facilè ranceſcit pinguedinis & butyri mixtura, niſi utendi tempore adhibeantur: quod quidã uitandi uicij gratia factitant. Varia uerò eſt & multiplex unguenti huius formula cuiuis pro re nata indicenda, nec ſchemate aliquo depingenda, quæ ut plurimùm muccaginibus, adipibus, oleis & medullis conſtat. Additur etiam à quibuſdam croci momentum, idq́ue non inefficaciter: & puluis ari aut iridis etiam aſpergitur. Affine eſt ualde quod deſcribitur ab Alexandrino ad pleuriticos, ſuppuratos & tuſsientes, num. 71 & 72.

Vng.

## Ung. ad ſcabiem.

Capit terebinthinę in aqua roſacea lotæ uncias tres & dimidiam.
Axungiæ ſeſquunciam.
Salis gummei drach. duas.
Sulphuris uiui drach. tres.
Aluminis uſti, plubi uſti, ſing. drach. duas.
Ceruſæ, thuris, ana ſeſquidrachmam.
Lithargyri drach. tres.
Ceræ albæ quod ſatis eſt: flat unguentum.

Frequentius uſurparur quod ſequitur. Capit terebinthinæ in aqua roſacea lotæ uncias duas. ſuccum aranciorum duorum, uitellos ouorum duos, butyri recentis ſine ſale unc. unā. olei roſacei ſemunciā. commixtis omnibus paretur unguentum. Atq; hęc tutiora ſunt in leui morbi genere, quàm quæ hydrargyron habēt: cuiuſmodi multa ſunt pro uario officinarū numero penè diuerſa. Eſt quod Meſueo deſcribitur efficax: ſuſpectum tamen hydrargyro recepto, & quod Nicolao uulgati codices tribuunt. Alexandrinus tamē aliud habet, quod unguētum de lithargyro nocat, ad ſcabiem ex pituita ſalſa & putri ualde accommodatum. Habet adipis ſuilli puri drach. quinq;. thuris puri drach. duas & dimidiam. lithargyri drach. tres. ſucci plantaginis minoris, ſucci fumarię, ana ſemunciam. olei laurini unc. tres. cerę unciam. Oleum & adeps ad ignem adiecta cera liquantur, & cum

cum succis ebulliunt ad eorum consumptionem, reliqua tenuissimè trita inijciuntur, paratur unguentum. Quidam lithargyri loco argentum uiuum substituunt, iniquo sanè artis decreto. At uerò huius, ut nec superioris formulā exhiberi uelim, sed in usum è re nata & morbi natura in rem præsentem à prudenti medico imperari. Sunt enim huius ferè generis unguenta omnia,

*Quæ spumas miscent argenti, uiuaq́; sulphura,* "    *Vir. Georg.3.*
*Idæasq́; pices, & pingues unguine ceras,* "
*Scyllamq́;, helleborosq́;, nigrumq́; bitumen.* "

## *Ung. enulatum.*

Recipit radicis inulæ bene lotæ, & cum aceto coctæ lib. unam.

Axungiæ, olei communis, ana unc. tres.

Ceræ nouæ, argenti uiui saliua hominis ieiuni extincti, terebinthinæ lotæ, ana uncias duas.

Salis communis pulueratí semunciam.

Cera & axungia oleo liquantur, pòst additur inulæ pulpa: dein argentum uiuum & sal, demum terebinthina.

Ad scabiem quoque est utile, Alexandrino attributum, sed est spurium. Ex radice namque inulæ, adipe suillo, & argento uiuo tantùm cōponit, reliqua posteritas addidit. Sunt qui argenti uiui loco, salubriore consilio sulphur addunt, alij utrunque omittunt.

Vng.

## *Ung. ad pediculos.*

Recipit axungiæ, saponis mollis, staphisagriæ, ana drach. quatuor.
Olei lini unc. quatuor.
Argenti uiui extincti drach. duas.
Contrita omnia probè misceantur, & paretur unguentum.

Dicitur etiam unguentum de staphide agria, & cæteris hoc modo paratur. Seminis staphisagriæ, lupinorum, salis nitri, sing. drach. tres. ellebori albi, sulphuris uiui, abrotani, absinthij, sing. sesquidrachma. argẽti uiui extincti drach. duæ. auripigmenti drach. una. olei laurini, lini, ana unc. tres & dimidia. axungiæ unc. duæ. aceti semuncia. fingitur unguentum. Illitu pedunculos necat & extirpat. Hanc in rem isto quidam utuntur. Habet staphisagriæ unc. quatuor. aloes hepaticæ, lupinorum, myrrhæ, ana unc. dimidiam. sulphuris uiui unc. unam. axungiæ unc. sex. saponis liquidi, butyri recẽtis, ana unc. tres. Liquescibilia primùm liquefiant, deinde arida seorsum trita refrigeratis commiscẽtur cõtinuè agitãdo, tandemq; usui reponũtur.

## *Ung. desiccatiuum rubrum.*

Capit lapidis calaminaris aut cadmiæ lapidosæ, terræ sigillatæ, ana unc. quatuor. lithargyri, auri, cerusæ, ana unc. tres. caphuræ drach. unam. ceræ unc. quinque. olei rosati & uiolati, ana unc. sex. fiat unguentum.

Solenne est ad scabiem humidam ex pituita putri

putri & salsa: eam enim exiccat, & pruritum cōpescit. Efficacius fieret ex oleo rosato, eoque omphacino solo, nō addito uiolaceo. Sic enim siccaret & stringeret potentius. quod ut liberius cōsequatur, caphuræ loco semperuiui succum admittunt quidam. Lithargyros cum oleis aliquandiu ad ignem nutritur: cera deinde liquatur, reliquorū puluis tenuißimus additur. Paratur quibusdam unguentum rubrum caphuratū hoc modo: Olei rosati sesquilibra, lithargyri unc. duæ. minij unc. tres. cerusæ sesquuncia. cadmiæ, caphuræ, sing. drach. tres. ceræ æstate unciæ duæ, hyeme uncia una. fit unguentum in pila plumbea, cum pistillo plumbeo. Huius loco unguento de cerusa, aut unguento albo addito lapide calaminari utuntur plerique, non aspernabili solertia. Est Auicennæ unguētum rubrum lib. 5. non multum dissimile. Erythrium Pauli & Alexādrini nihil hîc habet commune. Est unguētum aliud rubrum, papulis puerorum & morbillis usitatum, non sine efficacia. Habet butyri recētis libras duas. radicum anchusæ uncias duas. uini rubri libram unam. castorei pinguißimi drachmas sex. Radices tusæ uino ad diem unum macerantur: deinde butyrū adijcitur, ac pariter ad uini consumptionē lento igne coquūtur. Colatis castoreum admiscetur. Adduntur à quibusdā caßiæ recenter extractæ drach. duæ. Isto utuntur mulierculæ in exanthematū suspectione, non leui profectu.

*Vnguentum rubrum ad papulas.*

profectu. Vino enim aut aliquo liquore dilutum propinant, ut procuratis sudoribus, quicquid corruptæ labis intro continetur, solicitata natura per cutis spiracula expellat.

## *Vug. ad lumbricos.*

Habet olei de absinthio, olei amygdalarum amararum, ana unc. unam.
Succi foliorum persicæ, succi matricariæ, ana semunciam.
Rosarum, corallorum, farinæ lupinorum, cornu cerui usti, ana drach. unam.
Aloes hepaticæ drach. duas.
Fellis taurini tantundem.
Aceti modicum, & ceræ quod satis sit. Paretur unguentum.

Hoc suspectum est, ubi intensior febris fuerit: istoq; tunc uti malunt, quod capit olei cydoniorum, olei de absinthio, ana unc. unam. seminum plantaginis, portulacæ, endiuiæ, rosarum, corallorũ, cornu cerui usti, farinæ lupinorum, ana drach. unã. aloes hepaticę drach. duas. aceti modicũ, ceræ quod satis sit: fiat unguẽtum. Variat uerò plurimùm apud Pharmacopœos huius unguenti formula: ex eorumq; est genere, quæ in rem præsentem à medico indici debẽt. Nos uerò, quia parentum socordia magna puerorum ingluuie premimur, qui miserè à uermibus affliguntur, unguentum parauimus, cuius dotes sæpe experti sumus. Habet olei nardini, menthæ,

menthæ, de absinthio & amygdalis amaris, ana unc. unam. succi florum persici, succi absinthij, matricariȩ, sing. semunciam. pulueris rutæ, mẽthæ, gentianæ, centaurij minoris, radicum graminis, tormẽtillæ, ligni aloes, ana drach. unam. seminum caulium, coriãdrorum præparatorũ, pulpæ colocynthidis, ana drach. duas. aloes hepaticæ, pulueris hieræ picræ, ana drach. tres. farinæ lupinorum semunciam. myrrhæ in aqua graminis lotæ sesquidrachmam. fellis taurini sesquunciam. cum succo limonum & cera fiat unguentum, quo umbilicus & totus uenter inungatur. Quandoq; uerò narium pinnis, gulæ & temporibus adhibetur, ubi uermes ad superiora repunt. Plures aliȩ sunt unguentorum ad lumbricos formulȩ apud Alexandrinum.

## *Unguentum pro splene.*

Capit olei communis lib. tres.
Medullæ crurium bouis lib. unam.
Butyri recentis selibram.
Succi cyclaminis, bryoniæ, sing. pondo.

Bulliant lento igne ad succorũ consumptionem. Colaturæ adde pulueris asplenij, corticũ capparũ, tamaricis, seminis agni casti, sing. unc. tres. ceræ citrinæ quod satis sit. fiat unguẽtum. Ferrariensibus medicis, reliquisq; ferè Italis est admodum celebre, lienosos & splenicos plurimùm iuuat, lienisq; tumorem & duriciem abigit. Multæ sunt aliæ splenicorum unguẽtorum

Alexandrino formulæ, non inutiles quidem. Sunt & aliæ quędã Pharmacopœis ueluti propriæ. Iſta uerò ferè omnibus communis eſt.

## *Ung. de bdellio Meſ.*

Capit bdellij drach. ſex.
Euphorbij, ſagapeni, ana drach. quatuor.
Caſtorij drach. tres.
Ceræ drach. quindecim.
Olei ſambacini aut leucoij lutei drach. decẽ.

Bdellium & ſagapenum diſſoluantur aqua rutæ agreſtis: cętera cum aqua calida uniantur, & fiat unguentum.

Solẽne eſt ad paralyſin & ſpaſmum iam cõfirmatum. Valenter namque digerit ac mollit, ut neruorum & articulorum tophos diſsipet. Neruorum frigidos & ſcirrhoſos affectus iuuat, & membri alicuius reſolutionem (paraplegiam Medici uocant) ſanat, ad epilepſiam quoque plurimum prodeſt.

## *Ung. de ſuccis aperitiuis.*

Capit ſucci apij, endiuiæ, menthæ, abſinthij, petroſelini uulgaris, ualerianæ, ana unc. (tres.
Olei abſinthij, menthæ, ana ſelibrã.
Cęræ citrinæ quod ſatis ſit, miſce, & ad ignẽ fiat unguentum.

Viſcerũ obſtructiones liberat, eoq; crebrò in iecorarijs utimur. Additur quandoq; pulueris calami aromatici, ſpicę nardi, ſing. drach. una, & olei capparũ aliquid. Sũt qui hoc etiã modo parent.

ret. Succi ebuli unc.octo.ſucci apij, petroſelini, ſing.unc. quatuor. ſucci abſinthij & ireos, ſing. unc.quinq;.olei cōmunis ſelibra.olei liliorū alborū unc.decē.olei abſinthij & chamæmelini, ſing.unc.ſex.axūgię anatis & gallinę, ſing. unc. duæ. Feruefiant omnia ſimul ad conſumptionem ſuccorum: poſtea colentur, & cum cera alba & pauxillo aceti paretur unguentum.

## *Unguentum reſumptiuum.*

Capit olei uiolati & chamęmelini, ana unc. tres.

Butyri recentis, axungiæ recentis, ana unc. (quatuor.

Adipis galinacei, anſeris & anatis, ana unc. duas.

Oeſipi, muccaginis tragacanthi, muccaginis ſeminis cydoniorum, lini & altheæ, muccaginis gummi Arabici, ana ſemunciam.

Ceræ albæ ſelibram.

Commixtis omnibus paretur unguentum.

Cōſumptos & extenuatos reficit, ideoq; officinis reſumptiuum dicitur. Hecticis & atrophis, hoc eſt cibum non ſentientibus utile: eos namque recreat & explet. Pectus quoque dilatat, & expectorationes adiuuat: ideoque ſuſpirioſis & anhelatoribus conducit.

## *Unguentum comitiſſæ Varignanæ.*

℞ Corticum medianorum caſtanearū, corticum glandium & quercus medianorū, myrtillorum, caudę equinę, gallarū, corticū fabarū,

acinorum uuarum, ſorborum immaturorum, ſiccorum, meſpilorum immaturorum exiccatorum radicum, chelidonij, foliorum pruni ſylueſtris, ana ſeſquunciam. Contuſa leuiter coquatur in ſtillaticij liquoris plantaginis libris octo ad dimidias. Tunc cape ceræ nouæ unc. octo. olei myrtini lib. duas & dimidiam. Cera diſſoluatur cum oleo myrtino, & lauetur nouies, ſemper aliquid de eo quod eſt colatum affundendo: poſtea ſequentes pulueres aſperge, nẽpe corticum medianorum caſtanearum, glandium quercus, gallarum, ſing. unciam unam. cineris oſsium cruris bubuli, myrtillorum, acinorum uuarum, ſorborum ſiccorum, ſing. ſemunciam. trochiſcorum è ſuccino unc. duas. Hæc tenuiſsimè trita, ceræ & oleo cum decocto lotis permiſcentur: & addito oleo maſtichino non loto quod ſatis ſit. paretur unguentũ.

Sumpta eſt hęc formula ex Varignana lib.
Cap. 4. De curãdis morbis 16. ad menſtruorũ ſuppreſſionem, & abortum prohibendum: quo in nobili quadã Comite, quę iam abortionis periculum ſenſerat, & uteri magna imbecillitate conflictabatur, proſperè uſus eſt. Ex meris enim adſtringentibus compoſitum, fœminarum abundantiam cõpeſcit, locos muliebres firmat, uterũ roborat, & renes laxatos ſtringit, ſi eo inungãtur. Hęmorrhoidũ ſuperfluũ profluuium ſiſtit. Radicẽ chelidonij ſcribit Varignana, quæ cum multa acrimonia ſit prędita, radicem tormentillę

mentillæ aut bistortæ rectius uirorum docto-rum iudicio substitueris. Sũt qui pro oleo myrtino, myrtini & mastichini olei utriusque sesquunciam misceát. Sed Varignana ceram solo myrtino liquat, & post pulueres mastichinum adhibet, quod cęteri omnes tacent. Cęterùm trochiscorum de succino partem dimidiam, aut etiam unam ad pulueres facit, cùm cęteri omnes uncias duas scribant. Hoc unguento renes & pecten inungi debent ad firmãdum uterum, & mensium abundantiam cohibendam.

## *Unguentum reprimens.*

Capit boli Armeniæ, sang. draconis, terrę sigillatæ, sing. unc. duas.
Olei rosacei lib. unam.
Ceræ unc. quatuor.
Aceti quod satis est: misce, & fiat unguẽtum molle.

Defensiuum uulgò dicitur, cuius magna est apud omnes uarietas. Nos huius loco pulueres adstringentes prius descriptos, ouorũ candido, rosaceo, omphacino & aceto permiscemus, & in rem pręsentem lubenter usurpamus.

## *Unguentum de calce.*

Capit calcis septies aut pluries ablutæ selibram, olei rosati libram. agitentur simul probè in mortario plumbeo: & si opus est, non nihil ceræ additur.

Vnguentum istud, quia liquabile esse debet,

ſępe ſine cera paratur ex Rhaſio & Auicenna ſumptum. Oui candidum addit Auic. ex uino albo, aliquando etiam aqua ſiclæ ſubigit. In alborum unguentorum albo reponendum ad cicatricem ducendam. Calx ſepties lota roſaceo uel aqua diluitur, exponitur ſoli æſtu medio, ſubinde reuoluitur, teritur, abluitur: cùm iam ſatis lota tritaque exaruit, è roſaceo pinſitur, imponitur, cicatricem trahit. Vlcera neruorum maligna iuuat, & ambuſtis auxilio eſt: ad quæ præcipuè Auicennæ accommodabatur. Ambuſtis uerò propriè quodammodo benefacit, quo crebrò utimur, & habet corticum mediorum ſambuci tribus diebus aceto maceratorum pondo. Coquantur in olei cõmunis aut nucũ lib. duabus, dum cortices probè percocti ſint. Colato & expreſſo, adde thuris puluerisati, ſucci cymarũ tenerrimarũ ſambuci, ceræ nouę, ſing. unc. quatuor. Miſce, & bulliant, dum ſuccus expiret. Sublatis ab igne, adde uini albi lib. unam. permiſce diligẽter, eoq; ambuſta inũgito. Quod etiã apud omnes propè diuerſum eſt.

## *Unguentum potabile.*

Habet butyri recentis ſalis expertis lib. tres.
Rubiæ tinctorum, caſtorij, floris maris, hoc eſt, ſpermatis ceti, radicis tormentillæ, ana unciam unam.

Bulliãt ſimul in uino odoro, ad uini cõſumptionem, & fiat unguentum. Præcipitatos iuuat,

fiat, eorumque qui ex alto ceciderunt, uulnera interna glutinat.

## *Unguentum è plumbo.*

Capit plumbi usti cum sulphure, lithargyri, ana unc. duas.
Cerusæ, antimonij, sing. unc. unam.
Olei rosati quod satis est: fiat unguentum.

Refrigerat & siccat potẽtissimè, ideoq; ignibus sacris felicissimè adhibetur, cãcros sanat, & exedẽtia ulcera quę humorũ acrimonia serpũt. Eam nãq; sua frigiditate obtũdit. Inflammatis quoq; beneficio est. Plumbõ aũt cum sulphure sic ex Diosc. uritur. Plũbi laminas quàm tenuissimas fictili nouo indito, sulphur inspargito, additis alijs rursus laminis, interiecto semper sulphure, dum uas expleueris, ignẽ succẽdito. Flagrãte uerò plumbo, ferrea rude uersato, donec perfectè redigatur in cinerẽ, nihilq; è plũbo ustũ hęserit: tum demũ obstructis naribus eximito, alioquin noxius plũbi halitus persentitur. Aut elimatã plumbi scobẽ in olla sulphure urito. Plures sunt alij ustrinæ plũbi modi, quos ex Diosc. descripsit etiã Bulchasis. Porrò huic unguẽto uiribus est proximũ, quod unguentũ de Minio dicitur: eo nãq; ad ignes sacros & inflãmata utimur. Capit minij sesquilibrã. olei communis aut rosati, aut etiam myrtini lib. unam. Miscentur probè & agitantur ad lentum ignẽ, dum coeant. Finguntur etiam quandoq; cylindri aut magdaliæ officinarum.

*Li. 5. cap. 96.*

*Vng. de minio.*

## *Ung. Neapolitanum ad morbum Gallicum, Ioan. de Vigo.*

℞ Olei chamęmelini, anethini, de ſpica, de lilio, ana unc. duas.
Olei de croco unc. unam.
Axungiæ lib. unam.
Pinguedinis uituli ſelibram.
Euphorbij drach. quinque.
Thuris drach. decem.
Olei laurini ſeſquunciam.
Pinguedinis uiperæ unc. duas.
Ranas uiuas ſex.
Lumbricorum terreſtrium in uino lotorum unc. tres & dimidiam.
Succi radicum ebuli & enulæ, ana unc. duas.
Schœnuanthos; ſtœchados, matricariæ, ana manip. unum.
Vini odoriferi lib. duas.

Bulliant omnia ſimul ad uini conſumptionem, & colentur. Colaturæ adde lithargyri auri libram unam. terebinthinæ unc. duas, cum cera alba ſufficienti ad ignem fiat ceratum, aut unguentum, addendo in fine coctüræ ſtyracis liquidæ ſeſquũciam. Deinde auferatur ab igne, agitando cum baculo, donec tepidum fuerit. Tandem adde argenti uiui cum ſaliua hominis ieiuni extincti unc. quatuor, ſemper baculo agitando, dum argentum uiuum optimè coeat.
Cap. 2. Sumptum eſt ex lib. 5. De morbo Gallico, ubi

ubi & linimentum aliud ſatis efficax deſcribitur. Noſtræ officinæ in hoc unguento ſeruando pręter Medicorum pręſcriptum adeò ſibi indulgent, ut huc deſcribenda uenerit formula, pręterquam quòd in ea uariant plurimum. Optarim à Medico pro ægri natura, conditione, temporis, uirium & morbi ratione, ſemper in rem pręſentem pręſcribi. Hydrargyrō cùm addimus, imbecillum unguentum facimus, ſi eius unciæ duæ in unguenti libram ueniunt. Medium modum habet, quod tres aut quatuor uncias capiet: quas rarò excedimus, niſi uehementer uires intendimus, hydrargyri ſelibra permixta, quod non temerè factitandum permittimus. Sunt qui hac etiam formula utantur. Habet olei de ſpica unc. unam. olei fæcarij aut tartari, olei laurini, petrolei, ana ſemunciam. axungiæ unc. quatuor. thuris unciam dimidiam. euphorbij ſeſquidrachmam. unguenti de althea, unguenti Agrippæ, ana unc. dimidiam. argenti uiui extincti unc. quatuor. miſce ſimul, fiat unguentum ex artis præſcripto.

# DE CERATIS,

## SECTIO DVODECIMA.



Erata, quæ à cera & oleo denominationem ducunt, mediam habēt ad unguenta & emplastra consistentiam. Quæ causa est uariarum apud antiquos differentiarum in cæterorum formulis. Sunt enim quædā cerata liquida, quæ fracturis adhibentur, hæc καταγματικὰ ὑγρὰ καὶ λευκὰ ueteribus nominātur, & oleū ad ceram duplicatum capiunt. Picato quoq; cerato ueteres usi sunt, si quid contusum esset, si quid coquendū & mitigandum, πισσηρὰν κηρωτὴν, & πισσόκηρον appellabant. Est quod ῥητινόκηρον uocant, resina ceræ mista, quo in sarcoticis & ad suppurandū utuntur. Sunt ἀκρατομαλάγματα, quæ mitiore quodāmodo corpore mollium emplastrorum locum tenent: quæ quia glutinosa esse melius est, ἰχέκολλα maioribus dicta sunt: qualis ferè est ceratorum nostrorū ratio, quæ larignā aut terebinthinā cerę & oleo permiscēt, dū tenacia euadāt. Cerata igitur uariè cōcinnātur è cera, pice, resina, propoli, adipe & oleo. Simplex est è subdupla cera, ut catagmaticū, emplastrodes ex pari. Acopa subtripla & subquadrupla ad oleum cera temperātur. In ceratis διὰ στεάτων miscetur adeps & terebinthina liquida, sed utroq; misto oleum iusta ratione minuendū est,

ne

ne tēperamētū liq̃dius diffluat. Picatū, quodq́; aridá resiná capit è ceræ parte una, trib. & quatuor olei, subdupla pice uel resina ad cerá cōpingitur. Quæ ratio seruáda est in ceratis quę galbanū, propolim, sagapenū, & alia id genus cocipiunt. Terebinthina & quæ liquida sunt, subtripla cerę cōmiscentur: duplo interdū oleo, interdum triplo. Et quáuis cerę modus diligēter antiquis præscriptus est: in hoc tamen, ut neq; in cæteris, perpetuam & constantē habet rationē. Vt enim corpus durū est & squalidū, uicium etiam acerbius & altius, & aeris cōditio tenuior aut crassior: ita & ceratorū consistentiá mutari necesse est. ut partium habitudinē & naturá siccam, & alia id genus, quæ prudēter medici cōsiliū inuertūt. Cerata uerò, quia mediá inter unguēta & emplastra conditionē obtinēt, hîc iure quodá reponi debēt, ut decursa unguētorū tractatione, ad emplastra aditū muniāt. Nos, ut in cęteris, ita & in ceratis, nōnihil à uetere disciplina recessimus. Neq; enim tam frequentē eorū adhibemus usum, nec tam lubricū ceratorū corpus facimus, ut pręscripsit antiquitas: sed oleū, ceram & resiná materiá prębētia pro uarijs scopis, uel minuimus uel augemus. Cōmūnis ferè est formula quæ oleū quadruplū ad cerá facit. Est ubi parcior cera adhibetur, ut eius ad oleū pars sexta, septima, aut etiam octaua sufficiat. Adeò difficile est in lubrico positam artis cōiecturá, perpetua præceptorū cōstantia firmare.

Ceratum

## *Ceratum refrigerans Galeni.*

Capit ceræ albę per ablutionem unc. unam.
Olei rosati ex omphacino facti uncias quatuor.

Fiat ceratum in uase duplici, quod dum est refrigeratũ, multum diuq; aqua frigidissima, & postremò pauco aceto albo puro subigatur.

Ceratum album, liquidum, humidum & refrigerans dicitur: quod quia consistentia unguento est finitimum, unguentum albũ Galeni & infrigidans officinæ uocant. Capit Galeno ceram quamoptimã & elotam albam, Ponticam, uel ex Atticis extractã fauis: oleum rosaceum ex omphacino hoc est crudo citra salẽ, & tenui, quale Sabinũ est, subtriplum aut subquadruplum, ut humidum fiat ceratum. Mista liquantur in uase duplici: quæ ubi modicè coiuerunt, refrigerantur, mittendo uas in quo est ceratum, in aquam frigidissimam. Refrigeratum, derasum, & sordibus perpurgatum, in pila manibus subigere oportet, aquam affundendo frigidissimam, quãtum nimirum ceratum in se molliendo capere ualet, ac nõdum aqua supernatat. Quòd si aceti admodum tenuis & clari paululũ addideris, utiq; magis adhuc tum refrigerans, tum humectans medicamentum efficies. Quas uires Gal. lib. 6. Salubriũ etiam intẽdit, ceratum humidum manibus in mortario subigẽdo immissis refrigerantibus succis semperuiui,

*Lib. 10. meth. cap. 9.*

*Lib. 1. Simpl. cap. 6.*

peruiui, ſolani, umbilici Veneris, pſyllij, polygoni, tribuli, portulacæ & lactucæ, idq; aceti loco. Eoq; utitur ad eryſipelata & pudendorũ phlegmonas inter initia, priuſquá putrilaginem depaſcentem conceperint. Refrigerat eos qui in febre uruntur, ſi hypochondrijs ſuperponatur, omnemq; phlegmonem iuuat: ſimiliter herpetes quoq; & carbũculos, tum eryſipelata & phygethla, ac breuiter omnes morbos calidos. Cephalalgiæ calidæ adhibetur: & iecori aut cordi admotum, febrium ardores lenit. Renũ & lumborum æſtus extinguit. Sunt qui ceram & oleũ rhodoſtagmate lauent, aut eodem ceratum imbuant, non improbãdo conſilio, dum id in rem pręſentẽ fiat: neq; enim ſeruari diu poteſt, aere præſertim calido, cùm promptè examinetur, & graueolẽtiam acquirat. Vſitatum eſt & optimũ aqua frigidiſsima ad hanc rem uti, ſed utendi quidẽ tempore & aceto & frigidiſsima aqua ceratum imbuẽdum eſt. Partium intemperaturis calidis tepidũ adhibetur duplici linteo concluſum & extẽſum, dum incaluit tollendũ, ſępiusq; permutandũ, ne mora calfactũ ardores geminet. Porrò hoc cerati gen9 roſaceũ etiá dicitur, uulnerarijs medicis uſu celebre in diluẽdis medicamẽtis, dum partium intemperaturis & ardoribus remedia adhibẽt, aut ulcerum lacunis, & ijs quæ ſerpunt, medentur: nõ ſecus ac myrtino cerato, ubi cicatrix trahenda eſt, aut etiam ſtringendum & ſiccandum, frequẽter medicamenta

menta sua temperát. Quibus tamen uariat pro diuerso scopi genere. Quidam namq; paulatim affusa aqua rosacea subigũt, alij solani uel plantaginis succo commouent, atq; ita ferè efficacius ceratum reddunt: magis etiam si quantum fieri potest succum absorbeat. Est ubi in teneris corporibus idem ceratum coriandri succum imbibat. Cauendum tamen, ut ne inde iustum cerati corpus nimium diluatur, sed & partis naturæ, & corporis conditioni æqualiter respondeat. Cerato rosaceo in extenuatis & consumptis ad hecticę marasmodis initia non sine laudabili commendatione utitur Alex. Trallianus. Hecticæ namque febris rudimenta discutit, & marasmum prohibet, uisceribus sæpius inunctum, solidas corporis partes præcipuè refrigerat & humectat, ac benignum illum ac uerè humentem primarum naturarum rorem, qui iam ferè exhaustus est reparat, tuetur & fouet. Huius autem ea est mixtura: Cerę unc. tres. rosacei unc. sex. Cera semel aut bis lauatur: atq; ubi frigida soluta fuerit, rosaceo inijcitur, sed ex hoc seruato instar unc. paulo plus aut min9. Et cùm ceratũ lento igne probè solutum fuerit, ipsum sinito refrigerare, atq; huius acceptam portionem, in pila subigito: interim relicti rosacei, interim aquæ frigidę momentum in pilam conijciens, quoad totum rosaceum insumptũ, ac cerato probè cõmixtum fuerit. Quòd si etiam ouorum albumina adijcere uolueris, præstátius

*Ceratum rosaceum Tralliani. Li. 12. cap. 4.*

adhuc erit remedium. Quinetiam ſi cremorem ptiſſanæ addideris, melius adhuc efficies. Sæpius uerò immutare lintea oportet: neque diutius corpori medicamentum inhærere debet, aut incaleſcere, quippe mora imbecillius redditur. Quòd ſi liquidius ceratum ad frequentẽ inunctionem parare animus fuerit, hydroroſato copioſè diluẽdo id facilè aſſequêris. At uerò, quia cerati myrtini facta eſt mentio, & crebrior eſt ex Galeni monimentis in chirurgia uſus, huius hęc erit formula. Myrtini lib. una, ceræ unciæ quatuor liquefiant, & miſceantur in duplici uaſe blando uapore. Liquefactis miſceatur pollinis myrtorum uncia una. Eadẽ eſt melini ratio. Quorum denſandi & ſiccãdi uim augere licet, miſta muccagine rhois culinarij, & ſeminis cydoniorum. Eſt quoque ceratum è pſyllio antiquis celebratum, quod peculiariter articulorum rheumata compeſcit. Pſyllij unc. quatuor, in libris quatuor aquæ macerentur, percoquantur, expreſſus ſuccus miſceatur cerato roſaceo, quod capit ceræ albæ uncias ſex. roſacei librã unam. Atq; ea ferè ſunt cerata, quę ex ueteri diſciplina ſedula uſurpauit poſteritas.

*Ceratũ myrtinum.*

*Ceratum è pſyllio.*

## *Ceratum ſtomachicum Meſ. Gal. attributum.*

℞ Roſarum maſtiches, ana drach. uiginti.
Foliorum ſiccorum abſinthij, drach. quindecim.

Spicæ

Spicæ nardi drach. decem.

Terantur tenuiſsimè, & èxcipiátur ceræ uncijs quatuor. olei roſacei lib. una & dimidia. Liquentur hęc igni, & aqua roſarum diu lauētur. Iterum liquentur, & lauentur uino ueteri auſtero, & ſucco cydoniorū, & aceto pauco: pòſt miſceantur reliqua, & fiat ceratum.

Ventriculi intemperiem & dolorem à frigido efficaciter leuat, hepar roborat, appetētiam iuuat, cibi auiditatem facit, & coctionem ſollicitat, officinis uſurpatum, & falſò Galeno Meſuei autoritate tributum, non ſecus ac ſtomachicum Gal. ex Nic. à quibuſdam factitari ſolitum (ut uarias ſtomachici cerati deſcriptiones reticeam) quod habet menthę, abſinthij, maioranæ, ſtœchados Arabicæ, foliorum lauri, chamæmeli, roſarum, ana manip. unum. cinnamomi, ſpicæ nardi, nucis moſchatæ, caryophyllorum, maceros, cubebæ, galangæ, ana unc. dimidiam. thuris, maſtiches, ana unc. unam. puluerata excipe ladani, ceræ, ſing. uncijs octo. olei chamæmelini, laurini, de ſpica, maſtichini, roſati, ſing. unc. una & dimidia. Oleum laurinū, roſatum & chamæmelinum cum cera & ladano liquantur, mox igni aufer, & trade mortario: cætera miſce multum diu tundendo, donec glutinoſum euadat, addito oleo ſpicino & maſtichino. Quod quia calidiſsimum eſt, hac recepta præcipuè materia, quæ Galeni tempora fugerat, ei etiam falſò attribuitur. Galeni uerò ceratum

*Ceratum ſtomach. Nic.*

tum stomachicum ex libro 8. Comp. phar. part. & 8. Meth. desumptum, & ab Oribasio descriptum, habet ceræ Ponticæ, aut Tyrrhenicæ, aut cuiusuis alterius lotæ hyeme drach. nouem aut octo: æstate uerò drach. septem. nardini unguenti unc. unam. Liquescit cera in duplici uase: refrigerato deinde & eraso, adde aloes & mastiches pulueris tenuissimi, sing. drach. unam, uel paulo amplius. Quòd si maiore adstrictione est opus, tantaq; sit imbecillitas, ut cibum stomachus continere nequeat, mastichen auge ad sesquidrachmã, & omphacij drachmã adijcito: quãdoq; etiam absinthij succum admiscebis, & quãdoq; utrunq;, ut etiam hypocistidis, aut œnanthes, aut rhois succum. Sed dum ceratum conficitur, hæc miscenda ante aloen & mastichen, tuncq; ceræ & nardini unguenti põdus pro reliquorum portione augẽdum est: ut si quatuor ex alijs drachmæ colligantur, cerati nardini unciæ sint quatuor, ceræ quidem duæ, unguẽti nardini duæ. Ad oris stomachi phlegmonem adhibet Galenus, & ad uentriculi imbecillitatem in fluore alui à cruditate nidorulenta, in quo casu robur calidis adstringẽtibus ipsi parti acquiritur. Quod ut commodius expleas, præstantius fiet, si spicati unguenti aut foliati, sumptuosorum Romæ medicamentorum, quæ in gratiam delicatarum mulierum fiebant, aliquid cerato addideris. Hoc igitur ceratum Gal. stomachicum in officinas nostras po-

*Lib. 3. Synops.*

*Lib. 8. meth.*

tius deducẽdum eſt, cùm genuinam originem reſipiat, quàm quæ falſò tanti uiri autoritaem prætendunt circumferenda. Quod etiam ab Alex. Tralliano in inflammatione ſtomachi deſcribitur: ſed ita mẽdoſè, ut ex Gal. monimẽtis emendicandum ſit. Meminit etiam Oribaſius libro Loc. affect. 4. Item Aetius, Paulus libro 3. & 7. ita tamen, ut nonnihil ab eo quod deſcripſimus uariet. Eſt aliud quoque Ceratum Galeni ſtomachicum, quo in internis ardoribus & magnis uiſcerum phlegmonis uti conuenit. Recipit olei melini, ceræ albæ elotæ, ana unciam unam. hypociſtidos ſemunciam. paratur ceratum ut decet. Efficacius redditur œnanthe, balauſtijs, palmularum carne, & ijs additis quæ uentriculum refrigerare & firmare poſſunt. Meſuei ceratum ad uentriculi imbecillitatem ex febribus eſt ualde idoneum, & ad Galeni medicamẽtum proximè accedit. Aloes namque loco roſas, pro abſinthij ſucco folia, pro unguento nardino ſpicam cum roſaceo ponit, ſed exceſſu propè immodico. Poſthac igitur è re medicorum fuerit, ut hæc duo Galeni cerata prius deſcripta in officinis noſtris atterantur: quorum prius quidem calidum, alterum reſtigerans uoces licet.

Li. 7. cap. 14. — Cap. 84. — Lib. 9. cap. 16 & 34. — Lib. 8. meth.

## *Ceratum ſantalinum Meſ.*

℞ Roſarum drach. duodecim.
Santalorum rubrorum drach. decem.

Santali

Santali albi & citrini, ana drach. sex.
Boli Armeniæ drach. septem.
Spodij drach. quatuor.
Caphuræ drach. duas.
Ceræ albæ drach. triginta.
Olei rosacei lib. unam, misce.
Cera & oleum si lauentur, fiet præstantius ceratum.

Ceratum istud ut refrigerans prius descriptum paratur, liquando ceram cum oleo in uase duplici: deinde ubi refrigeratum est & crassum, aqua frigida manibus aut rudicula diu in mortario agitant, & paulatim dictos pulueres miscent potius quàm inter refrigerandum. Viscerum phlegmonis, uentriculi, hepatis, cæterarumque partium intemperaturis calidis succurrit, sed non ea quam præ se fert opinione. Neque enim tam potenter quàm creditur, refrigerat ob santalos, spodium & caphuram, quę non sine suspicione refrigerant, mirum etiam ni caleant. Caphura quibus suspecta est, ij flores nympheæ substituunt. Spodium Arabum non Græcorum intelligendum uenit: quod etiam multas habet partes calidas, Auicenna teste. Vnguenti santalini nomine officinis circunfertur, quæ etiam in hoc nonnunquam uariant. Quibusdam namque Rhasij confectio ex libro 7. de Antid. placet: quibusdam uerò Mesuei compositio, sed immutatis & auctis ponderibus.

## *Ceratum Philagrij.*

Capit croci drach.quinque.
Bdellij, mastiches, ammoniaci, aloes, styracis liquidi, ana drach.septem.
Ceræ flauæ lib.unam.
Terebinthinæ sesquunciam.
Medullæ cruris uaccini, adipis anserini, ana drach.quindecim.
Oesypi lib.unam & dimidiam.
Olei nardini quod satis est.

Bdellium, ammoniacum, aloe dissoluantur in aqua in qua fœnũgræcum & chamæmelum sint macerata, & cum alijs misceãtur in unguẽtum. Post Philagrium addiderunt succi scillæ unc.tres.sebi uitulini drach.quindecim. thuris unc.unam.& in alio rectius ceræ quartaria tria.

Ceratum Oesypi dicitur, Philagrioq; attri-
*Lib.7.* buitur.etsi Philagrianum aliud Paulo describitur, huic penè consentiens: diuersum tamen ab eo quod Paulo tribuit Mesueus. Describitur etiam Auicennæ lib.5. emplastrum Philagrij ad dolorem stomachi, iecoris & uteri, isti non admodum dissimile: quod etiam Serapio tractatu septimo paucis immutatis usurpauit. Emplastrum ex œsypo triplex Alexãdrino ad omnem duritiem probatum, aliter describitur. Ceratum quoq; œsypi aliud Galeno tribuit Mesueus, quo quidam utuntur istius loco.Ceratũ
*Cap.2.* œsypi & œsypum solam usurpat Gal. Meth.14.

Meminit

Meminit etiã cerati ex œſypo Gal. lib. 3. Com. phar. part. Potenter emollit & digerit, duraſq; collectiones quæ ex luis Venereæ reliquijs cõtractæ ſunt, efficaciſsimè diſsipat, hodieq; hoc præcipuè nomine in chirurgorum manus uenit, adiectis interdum ualentioribus quibuſdã, & urgente magna neceſsitate, cinnabari, quod hydrargyro & ſulphure uſtis conſtat. Ad uiſcerum durities emolliendas adhiberi poteſt, non inefficaci conſilio. Aliud porrò eſt Philagrij ceratum ad neruorum iniurias Meſueo deſcriptum in ſpaſmi curatione. Cap. 2.

## *Ceratum ex euphorbio, Galeni.*

℞ Ceræ unc. tres.
Euphorbij unc. unam.
Olei Sabini, uel alterius ex oliuis maturis lib. unam.
Fiat ceratum ſimpliciſsimum.

Deſcribitur Gal. lib. 2. Comp. phar. part. ad inueteratos capitis à frigido affectus efficax, in ueteratam hemicraniã & coxarios iuuans. Eſt & cerati ex euphorbio ad neruorum iniurias uaria deſcriptio lib. 3. Comp. phar. gen. ut eſt euphorbij ætas, & affectus natura, & medicamẽti quod cõficere uoles conditio. Euphorbium namque recens oleo decuplo cum cera tripla commiſcetur, eiusque uiribus intenſi & uegeti ſextula ſatis eſt ad pares ceræ & olei ferè portiones, ſi ceratum emplaſtrodes facere conſtitue-

ris. Veterascens & annorum numero examinatis tum copiosius immiscēdum est. Bimum & trimum æquale ferè ceræ pondus æquat. Quod uerò quartum, quintum & sextum annum attingit, ceram omnino æquat. Vetustiore utendum non est. Et ut sunt corpora, ut uicina cuti, uel altius infixa punctura est, ita leuius aut acrius pharmacum parari debet, omninoque in euphorbio habenda annorum ratio est. Atque ea demum medicamenti nostri probatio est, dum eius attactu pars molliter incalescit, & leui quasi prurigine titillatur. Acrius namque arrodit, os uulneris amplificat, indeque ruborem & dolorem grauem in partis ambitum excitat. Languidius uerò nihil promouet, neque sensum ullum aut calorem inducit, auctoque euphorbio acuendum est. Est ubi ceræ modus oleum æquare posit, ubi crassius & solidius medicamentum facere uoles, eaque sicca est & durior. Recens namque & pinguis uelut unguinosa parcius oleum capiet, idq; æstate præsertim. In cerati liquidi consistentia oleum ceræ quadruplum esse curabis: olei quoque parciorem modum facies, si ceræ resinam & picem adiunxeris, ut liquabilitatem minuas: quod etiam imperat Gal. Porrò ceratum de euphorbio Mesuei in conuulsionis curatione, capit olei cinnamomi, aut olei antiqui libram unam. euphorbij recentis unciam unam. fiat ceratum quod ad conuulsa mirum in modum conducit.

ducit. Ceratum Alexandri ex euphorbio ad articulorum ex frigido tumores, uehementesq; & intolerabiles perfrictiones capit olei ueteris sesquilibram. ceræ, nitri Alexandrini, terebinthinæ electæ, sing. libram. euphorbij unciam. iridis Illyricæ uncias duas. farinæ fœnigræci sesquisextarium. Nobile est medicamentum ad dolores ex frigidis humoribus in altum demissis euocandos, discutiendos & sedandos, articulorũ infarctus & obstructiones pertinacissimas dissipandas. Cuius miras laudes in podagra ex frigido exequitur Trallianus. *Lib. 11. cap. 1.Ceratũ ex euphorbio Tral.*

# DE EMPLASTRIS,

## SECTIO DECIMATERTIA.



Xtrema totius corporis manus emplastrorũ corpori addicta, operosissimum habet apparatum. Coctione namq; & mistura, quæ nonnunquam facultatem & consistentiam immutant plurimùm, emplastra ipsa non minimùm uariát. Emplastrũ pharmacum simplex esse cum nequeat, eorũ congeriẽ recipiat necesse est, quæ cùm duabus summis qualitatibus ambigát, partim terrea sunt & sicca, partim aquea & aerosa, uiscosa quidẽ omnino adhærentia, & mordacitatis expertia. Quę quia uerũ *Lib. 1. Comp. phar. gen.*

Lib. 4. Simp. cap. 5 & 6. & lib. 5. cap. 11.

emplasticorum nomen obtinent, in hoc præcipuè corpus coalescunt. Medicamenta emplastris debita sunt terrestria: ut metallica, lapides, terræ species, fæces, cinis & conchylia. alia etiam, oleamenta, lachrymæ, succi, liquores. Hęc namq; ferè est antiquitatis in apparandis emplastris non ambitiosa supellex, quæ posteritatis etiam indulgentia accreuit: ut nunc quoq; semina, radices, herbarum folia, & ferè integras plantarum partes sibi etiam uendicēt: ut etiam animaliū reliquias, recrementa, ac eorum penè integra uiscera prætercam. Cocturæ modus (quod est unicum, ac propè religiosum istius militiæ sacramentum) huic medicamento, ut simplex non est, ita nec similiter utilis. Colorem namque, facultatem & consistentiam sæpe immutat. Quæ duo extrema cùm præcipui sint istius apparatus scopi, non temerè ex Medicorum rescriptis emplastrorum coctura petenda est. Metallica prius oleo, uino, aceto, aut alio quouis indicto liquore sine igne nutriuntur, & in pila aut sartaginis fundo rudicula, uel pistillo continenter mota crassescūt. Pinguia si quæ addenda sunt, in lebete super ignem lentum assiduè tribulata metallicis adiunguntur. Gummium genera postrema cæteris decoquendis adhibentur. Liquanda humore aliquo idoneo macerantur, dissoluuntur, colantur, & ad humoris illius consumptionem coquuntur. Quæ uerò terenda sunt, per se probè trita in opus

cum

cum cæteris ueniunt. Succi item craſsi & ſiccati, aliquo liquore ſoluti, & ad illius expirationẽ cocti, pòſt miſceri debent, quando emplaſtrum refrigerari incipit. Liquidi uerò & recentes oleo immiſcendi, & cum eo incoquendi. Herbæ etiã recẽtes liquore aliquo maceratæ in eo poſtea percoqui debent dum expiret: quod in emplaſtro Gratia Dei ex uino in uſum uenit. Emplaſtri corpus & materiam faciunt cera & reſina: quorum quod primum eſt, nullam ad uirtutem efficacitatem addit, ſed ſolidum tantùm corpus præbet. Alterum uerò, ut nonnihil materiam augeat, pro uario tamen genere qualitatem admouet, & aliquantulum medicamenti uires immutat. Eſt ubi neutrum ad emplaſtri conſiſtentiam requiritur, quando iuſta craſsities non temerè ex aliorum materia ſuppeditatur: quod in emplaſtro diachalciteos factitatum eſt. Oleum ad medicamentorum coctionem, & idoneum materiæ argumentum in emplaſtra uenit: quod etiam nõnunquam ſuis uiribus totam medicamenti molem afficit. Anodynum namq;, molliens, reſoluens, illius opera efficitur, & medicamenti uis acrior aut ſubauſtera obtunditur. Emplaſtra ipſa oleo aut aliquo liquore idoneo coquere conuenit, ad liquoris quem adhibueris cõſumptionem, dum manus non inquinent: cuius uarietatem pro uarijs rerum ſcopis ex Medicorum ſcripturis petas licet. Ac profectò in huius medicamenti

apparatu describendo nō leuis esset adhibēda opera, nisi singulorum ornatus, modus, mistura, ac ipsius concoctionis diuersissima formula à Paulo: demum uerò à præceptore doctissimo Syluio, omnibus numeris absoluta fuisset.

## *Emplastrum Diachylon Mes.*

℞ Muccaginis seminis fœnigræci, seminis lini, radicis altheæ, ana libram unam.

Lithargyri plumbo & scoria purgati tenuissimè triti libram unam & dimidiam.

Olei antiqui clari lib. tres.

Lithargyrum cum oleo multum & diu in pila lapidea, uel ut hodie fit ærea, pistillo ferreo conquassetur, subigatur & misceatur. Pòst igni lento coque, rudicula semper mouendo, donec lithargyrum liquetur & crassescat. Tunc igni exime, ut paulatim frigescat. Deinde muccagines extractæ parum per se feruefiant, paulatimque lithargyro & oleo probè pistillo ligneo permisceantur. Postremò omnia simul ad iustam crassitudinem percoquantur. Quòd si Ireatum facere uoles, oleum irinum pro communi misce, aut pulueris ireos unciam unam in libras singulas: sed tunc cum illo puluere aliquod oleum etiam addendum est, sicque ualentius resoluit & maturat. Magis item erit anodynum, si muccago seminis meliloti accesserit. Præstantius quoque euadet, si oleum irinum aut chamæmelinum acceperit.

In

In magno & usitato emplastri Diachylôn numero, hoc commune simplex & album dicitur ex lithargyro & oleo aqua communi aut salsa diligenter elotis. Albedinem etiam addit sal paucus initio extrahẽdę muccaginis admixtus, parca seminis fœnigræci copia & coctio mediocris. Vtriusq; nãq; immoderatus modus flauũ emplastrum facit, & coctio ustioni propinqua ruborem & nigrorem lithargyro adfert. Sunt qui semina lini & fœnigræci sordibus purgata, & radicem althęæ mundatam triduò aqua macerant: deinde igni lento adhibent, & semper agitando ad dimidias coquunt & colant. Colati libram unam cum oleo aliquantisper coquunt: postea puluerem lithargyri miscent, & continenter rudicula mouẽtes coquũt, dum bullire & stridere desinat, aut frigidę infusa portiũcula & refrigerata idoneá habere consistentiá uideatur. Hodie uerò sic parãt, ut lithargyro in uas immisso, & igni blãdo imposito, oleũ paulatim affundatur, semper agitando pistillo ligneo, ne lithargyros quæ promptè uritur, assiduo motu uasis fundo hæreat. Vbi probè simul mista fuerint, pars muccaginis melior affunditur, & ad expirationem percoquitur. Quod est reliquũ, paulatim adijcitur, semper agitando, etsi hodie quidam muccagines non coquunt. Addunt alij ceram & terebinthiná Aetij, Alexandri & Oribasij exemplo, quamuis multo maxima autorũ pars sine cera confingat. Auicennas & Serapio

hoc

hoc emplaſtrum inter unguenta reponunt, ſoliſq; ponderibus à Meſueo differunt: quod etiam deſcribit Rhaſius lib. 7. ad Almanſ. & Halyabbas pract. lib. 10. Cōponendi modo & ſimplicium quantitate uariat Paulus. Nam miſcet ſpumæ argenti lib. ſex. olei æſtate lib. ſeptem, hyeme lib. nouem. fœnigræci, lini ſeminis, ſing. ſextarium dimidiū. althęę lib. tres. Althęa ac ſemina in aquæ ſextarijs uiginti diſcoquátur, dū inde muccaginis lib. quatuor exprimas, quas oleo admixtas ſimul decoques, dum bullire & ampullas tollere deſierint, hoc eſt ad muccaginis conſumptionem. Deinde argenti ſpuma lęuiſsimè trita aſpergitur, continuò mouetur, & igne blādo ſimul omnia percoquuntur, dum digitos non inquinēt. Oribaſius lithargyri lib. duas facit. lini ſeminis & fœnigræci, ſing. ſexta-

*Lib. 6. meth. cap. 3.*

rium, & althęæ radicis lib. tres. Actuarius ſeminis fœnigræci, ſeminis lini, radicis althęæ, ſucci horum trium libras duodecim capit. ſpumę argenti tantundem, olei omphacini lib. tredecim aut quindecim. uini quod ſatis ſit. Celebre ue-

*Lib. 7. Comp. phar. gen.*

rò iam olim, ac per manus traditum Damocratis ex Menecrate, ex lithargyri libris duabus. axungię antiquæ lib. quatuor. olei ueteris craſſiſsimi, nō fœtidi, non nigri, non aſperi, lib. una & uncijs quaternis. Axungia liqueſcit igni, purgatur fibris, in uas aliud ſatis amplum tranſfunditur. addūtur olei unc. decem, ut ſimul ferueant: relinquuntur olei unc. ſex. quas ſi fuerit opus,

opus, & medicamentum craſsius appareat, poſtea affundes. Craſſo iam pharmaco lithargyros inſpergitur: coquuntur omnia blãdo igne, & aſsiduè uerſantur ſpatha è picea aut tæda: atq; ubi emplaſtri forma fuerit, auferatur igni, paulo durius æſtate, hyeme mollius, ſed ut non inquinet. Sublatum igne mouetur, dum refrigeſcat: atque hîc rurſus duriter uerſatur, manu iungitur atq; reponitur. Eſt ubi radicis althææ purgatæ ſordibus, & in taleolas cæſæ lib. una medicamẽto inditur: quo tempore reliqua iam ad focum feruent prius quàm lithargyrus inſpergatur. Celeberrimum ferè Damocratis, quod ferè exprimit Aetius: capit olei ęſtate lib. ſeptem & dimidiam, hyeme lib. nouem. axungiæ recentis lib. ſeptem. lithargyri tenuiſsimè triti lib. ſex. fœnigræci heminam unam, aliàs unc. nouem. ſeminis lini uſti tantundem. radicis agreſtis, maluæ recentis & ſuccoſæ, uel altheæ lib. tres. Habeatur olla amplo orificio in quam fundátur aquæ ſextarij octo, aut (ut Aetius uult) uiginti. In aqua purgata radix, & cõciſa coquitur. ſemina immittuntur, exprimitur ſuccus in linteo: cuius ſucci libras quatuor cũ oleo ad prunas coquito: & ubi feruet, tenueſq; bullas emittere cœperit, ſpuma argenti iniecta ſinito, ut placido iugiq; igne omnia ſimul bulliant, dum ſuccus omnino conſumptus uideatur, ac melinum & bene coloratũ emplaſtrum fuerit, non rufum, inquinans, neque nimis durum.

*Lib. 7. Comp. phar. gen. lib. 15. cap. 14.*

rum. Actius radices purgat, tūdit, & prius quàm coquat, diē integrū macerat in aqua: postridie fœnumgręcū lotum fideliter & purgatum adijcit: perendie semen lini similiter lotū eadem aqua, ubi reliqua etiamdum madent, immergit: quarto die coquit omnia ad iustam crassitiem. Expressus & colo traiectus succus usui seruatur, ut uidelicet cum oleo, ut prius coquatur: & addita lithargyro pharmacum conficiatur, quod deinde conuoluatur rude, subigatur manu, & in pastillos conformetur. In usu capit pastilli partes duas. ceræ, olei, utriusque partem, & omnia colliquat. Oribasius è semine lini, fœnigræci, radice althææ, ut prius in aqua maceratis, coctisq; succum exprimit, tum libris duabus succi addit lithargyri, olei, singulorū libras duas. ceræ uncias octo. Lithargyrus cum oleo diu teritur, & cum cera leuiter incoquitur affuso oleo: postremò succus adijcitur, uersantur omnia, & sedulò permiscentur. Alexandri malagma Diachylon è psyllio, quod describitur in parotidon cura: habet spumæ argenti leuissimæ libras quatuor, alias uncias quatuor, in alio libram unam. olei, ceræ puræ, sing. libras septem. ceræ Tyrrhenicæ libram unam. resinæ piceæ uncias quatuor. succi psyllij libras tres. Succum sic extrahes: Psyllij uncias tres in aquæ fontanæ libras sex conijcito, die uno macerato: insequenti uerò, igne uehementi coquito, dum iuris hœdini crassitiem adeptum fuerit,

*Lib. 4. cap. 2. in cod. Græc. in Lat. cap. 10. lib. 3.*

fuerit,

fuerit, & acceptum percolato quicquid ſubſe-
derit (citò namque concreſcit) deinde rurſus
in lebetem recipito, iterumque percolato, atq;
ita calefaciens parato, donec trium librarum
pondus receperit: deinde ſic argenti ſpumam
per ſe læuigatam habeto. deinde cum oleo in
uas æreum, & ſuccos inijcito, mouetoque, len-
to igne incoquens, dum manus non inquinet.
Poſtea ſublatis igni ceram & reſinam piceam
immitte: ac ubi non amplius inquinauerint, ſu-
blata in pilã effundito, & rudicula emollita, ex-
ceptaque in pelle reponito, ac utitor in quibus
uiſum fuerit. Sic enim ex Tralliano deſcribere
libuit, quòd à multis corruptè ex Aetio deſcri-
batur, uariato etiam componendi modo ſine
ulla olei mentione. Nicolai uerò Alexandrini
emplaſtrum è ſuccis, recipit farinæ fœnigræci
& ſeminis lini, ptiſſanæ, ſing. ſelibram. ſucci e-
biſci, uiſci, lithargyri, ſing lib. unam. ceræ lib. di-
midiam. olei communis ſeſquilibram. Coquito
oleum, lithargyrum & ſuccum ebiſci, donec nõ
inquinent: dein adijce reliqua. Satis tamẽ mihi
ſum conſcius, uulgatos Nic. codices aliud Ale-
xandrino emplaſtrũ tribuere, quod recipit olei
ueteris unc. quadraginta duas. lithargyri unc.
ſeptem & uiginti. radicis maluæ agreſtis, fœni-
græci, ſeminis lini, ſing. unc. quatuordecim. Ra
dices & ſemina in aquæ phialis tribus triduò
infuſas, igni lento coque ad dimidias, cola. Ex-
preſsi librã unam cum oleo aliquandiu coque:
dein

dein puluerem lithargyri quantum satis est incoque, semper mouendo, dum percoctum fuerit: hoc est, dum uesiculas subsidere uideris. Vbi refrixerit, conde. Hoc emplastrum ualde est malacticum, eoq; ad partium durities resoluẽdas & digerendas solenniter utimur, scirrhos hepatis, lienis, uentriculi, uiscerumq; collectiones & furunculi reliquias dissipat & emollit. Strumas quoque & inueteratos abscessus dissoluit, recentia uulnera inflammatione uindicat, diuisa glutinat, & quæ iuflammantur curat. Superficialia ulcera glutinat, solutum rosaceo uel myrteo: liquatum chamæmelino, neruorũ phlegmonem prohibet. Podagricis quouis tẽpore opitulatur, ad diuturnas & recentes uteri phlegmonas optimè pessario inditum admouetur. Inflammatione correpta, ulcera ac masculos uulneratos citra alterius cataplasmatis opem, aut spongias, aut irrigationes curat. In pastillos fingebatur antiquis, ut diximus: nunc uerò officinæ nostræ ex eadem propè materia magdalias aut offas faciunt: & iam remollita parte, ubi discutiendum & digerendũ est, ireos tritæ pars duodecima, plus minusúe adijcitur. Si sedandus dolor est, muccago è meliloto: si etiam calor adest, è psyllio. Potest etiam croco intingi. tamq; est efficax, ut alijs malacticis interdum commisceri: sępe uerò solum ad ea quæ diximus præstanda, chirurgo satis esse posit. Emplastri è succis, discutientis, concoquentis

&

& laxátis meminit Gal. lib.3. Comp.phar. part. Cap.2
in parotidum cura. Eſt etiam paſtillus Διὰ ψυλῶν Cap.11.
lib.5. Comp. phar. gen. ad nomas & ſcabioſos affectus Aſclepiadi attributus.

## *Emplaſt. Diachylon Meſ. magnum.*

℞ Lithargyri puri, triti & creti lib. unam.
Olei ioini, chamęmelini, anethini, ana unc. 8.
Muccaginis ficuum pinguiũ, uuarũ paſſarũ, ſeminũ lini & fœnigræci, radicis althęæ, ſuccorum ireos & ſcillæ, œſypi, ichthyocollę, ana drach. duodecim & ſemiſſem.
Terebinthinæ unc. tres.
Reſinæ pini, ceræ flauæ, ana unc. duas: miſce ut prius, donec craſſeſcat.

Fingitur ut prius, & muccaginibus paulatim affuſis & conſumptis auferatur igni emplaſtrũ: affunduntur ſucci ireos, & ſcyllę, & ichthyocollæ glutinis muccago, cum uino & aqua ſimul miſtis & coctis extracta. Quibus conſumptis, cera minutim ſecta, & pini reſina miſcẽda: atq; his liquatis, terebinthina & œſypus extra ignẽ adhibenda, quòd coctionẽ non ſuſtineãt. Huic emplaſtro ſi acceſſerit bdellij, ſagageni, ammoniaci, galbani, ſing. unc. una: Diachylon gummatum uulgus uocat, aut nigrum, quòd inflammata & dura ſedando, emolliendo & digerendo magis eſt efficax, ideoque magnum dicitur. Sunt qui gummis etiam opopanacem addunt, & ipſa gummium genera Diachylo communi

apponunt, eoq; ut magno utuntur. Vtrunque tamen in usum uenit, non nisi maioris & minoris ratione differens. Magnum enim ea quæ mediocriter commune præstat, multò efficacius promittit.

## *Empl. Diachylon paruum Mes.*

Capit lithargyri unc. sex.
Olei ueteris clari lib. unam.
Muccaginis psyllij unc. quatuor.
Muccaginis hyoscyami sesquunciam.
Muccaginis seminis lini & radicis maluæ, ana unc. duas.
Fingatur ut primum.

Eo quidam utuntur communis loco: sed præcipuè duris inflammationibus & tumoribus calidis debetur: eos namq; digerit & maturat, efficacissimumq́; est ad mulcendam intemperiem calidam, quod per se psyllium & hyoscyamus præstant: & siccandum, digerendumque, quod cætera simplicia.

## *Empl. de muccaginibus.*

℞ Muccaginis seminis lini, fœnigręci, althææ, corticis mediani ulmi, ana unc. quatuor & dimidiam.
Olei liliorum, anethi, chamæmelini, ana sesquunciam, aut unciam unam.
Ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni, ana semunciam.
Ceræ nouæ unc. uiginti.

Croci

Croci drach. duas.

Terebinthinæ unc. duas. fiat emplaſtrum.

Muccagines ut decet extractæ, cortice ulmi inter corticem & lignum medio bene prius cõtuſo, oleis ante reſidentia purgatis, uel linteo ſine expreſsione colatis incoquẽdo conſumãtur. Quibus adhuc calentibus, cera minutim ſecta immittatur, & gũmi quatuor genera aceto, uel chamęmeli & meliloti decocto ſoluta, & linteo colata, cerelęo calido immiſceantur: poſtremò igne ſublatis, terebinthina admoueatur, probeq́; omnia commiſceantur, ne in grumos coaleſcat. Crocus tritus marmori aſpergitur, & manibus magdalias ducendo permiſcetur. Hoc emplaſtrum de muccaginibus ſpuriũ propriè & enixè quodammodo apud Pharmacopœos emplaſtri de mucillaginibus nomen obtinuit, maximarumq́; in emolliendo eſt uirium, phlegmonas ſanat, & ſaniem ruptorum apoſtematũ abſtergit. Vſu tritiſsimum, & quibuſdam Diachylon compoſitum dicitur.

## *Empl. de meliloto Meſ.*

℞ Meliloti unc. ſex.

Florum chamæmeli, comæ abſinthij, ſampſychi, ſeminis fœnigræci, baccarum lauri, radicis althææ, ana drach. tres.

Seminis apij, ammeos, aniſi, cardamomi, cyperi, ireos, caſiæ, ſpicæ nardi, ana drachmas duas & dimidiam. ammoniaci drach. decem.

ſtyracis, bdellij, ana drach. quinq;. terebinthinę ſeſquunciam. ficus pingues duodecim. ſebi hircini, reſinæ, ana unc. duas & dimidiá. ceræ unc. ſex. olei ſampſychini & de ſpica quod ſatis ſit ad omnium infuſionem & extenſionem.

Plures ſunt conficiendi modi, hic tamen cęteris expeditior. Sebum hircinum colatum reſina & cera in oleis liquantur, ficus pingues aut parum humectatæ probè tritæ per cribrum ſetaceum aut ſtamen cernuntur. Ammoniacum & bdellium aceto meliori inuento ſoluuntur, quàm aqua cui melilotus, chamæmelum & fœnumgræcum incocta fuerint, etſi iſtud emplaſtrum magis emolliens reddit. Acetum namq; eſſentiæ tenuitate promptius iſta peruadit & diſſoluit, aqua uerò ægrius. His ſuccedit terebinthina, & poſtremò ubi omnia refrixerint, pulueres creti herbarum, radicum, florum, aromatum, & ſimul cum his ſtyrax diligenter tritus admiſcentur. Sunt qui decoctum meliloti, chamæmeli & fœnigræci ad omnium comprehenſionem expetant, & cætera liquabilia permiſceant, ijsq; pulueres uniant. Sed olei moderata quãtitas, uelut ſing. uncia[;]unac, omprehendẽdis omnibus ſatisfacit. Sunt qui utriuſq; ſemunciam tantùm addant: ſed durius mox & friabile euadit. Eſt ubi cum duabus olei uncijs molliculum & tenerũ, ſed adhuc fragile euadit. Olei unciæ ſex emplaſtrum flexile & ductile admodum efficiunt. Sed hi omnes modi pro

uarijs

uarijs ſcopis uſurpari poſſunt. Bdellium & ammoniacum, ut ſtyrax teri poſſunt, uel decocti uncijs duabus diſſolui, colari & coqui ad aquæ conſumptionem. Alij formatas iam offas parumper decocto immerſas ducunt & effingũt. Malacticum celebre ad inueteratas durities, iecoris, lienis, uentriculi, uiſcerum & reliquarum partium emolliendas; hypochondriorum tenſionem laxandam, flatus reſoluendos, & dolorem à frigido ſedandum. Eo utimur in materia craſſa ac frigida, ut in inguinum bubonibus, ad incidendum, molliendum, attenuandum, diſcutiendum & calefaciẽdum, gratoq; adminiculo anodynum ſentitur. Diuerſum ualde eſt Aſclepiadis malagma ex Meliloto ad ſtomachicos, hepaticos & uiſcerum dolores apud Gal. Capit nardi Celticæ, myrrhæ, cyperi, ana drach. decẽ. cardamomi, croci, amomi, ana drach. octo. meliloti, ammoniaci, ana drach. quadraginta. cypheos ſacrati drach. ſexdecim. terebinthinæ drach. octuaginta. ceræ minam unam. olei cyprini drach. centum & uiginti. uini odorati Italici heminã unã. Eſt aliud quoq; Andromachi *Διὰ μελιλώτου* paulo pòſt ab eodem deſcriptum, nõ longè abſimile ei quod Oribaſius prætermiſſo croco deſcribit libro De loc. affect. curat. Pauli malagma ex meliloto ponderibus & ſimplicibus multũ uariat, nõ ſecus ac illud quod Aetio libro 9. deſcribitur. Serapionis unguentum ex meliloto duplex longè quoq; eſt diſsimile. Tri-

*Lib. 8. Comp. phar. part.*
*Cap. 126.*
*Li. 7. cap. 18.*
*Cap. 16.*

buitur etiam Alexandro emplaſtrum de meliloto diſparis admodum efficientiæ. Vehementiſsimum namque eſt attrahendo, eoq; in diſrumpendis abſceſsibus, tumoribus, tophis diſcutiendis, calculis, oſsibus, ſpiculis, ſurculis & ſquamis euellendis uti præcipit: etſi ab eodem Hieraticum malagma de meliloto deſcribitur, nonnihil uariantibus à Galeno codici-
Li.7. cap.17. bus, ſi ueri ſunt codices Græci.

## *Empl. Diachalciteos Gal. aut Diapalma.*

Capit adipis ſuilli ueteris, ſaliſque expertis, quem inſtitores axungiá uocant, lib. duas.
Olei antiquiſsimi, lithargyri, ana lib. tres.
Chalcitidis unc. quatuor. fit hoc modo:

Adipis membranulæ omnes eximuntur, ipſeque contunditur, ut facilè liquari poſsit, mox ad ignẽ liquefit: deinde per colum tranſmittitur, ut purus fiat, nihilque membranarum habeat: tuncq; prædictas duas libras pendeat, poſtea chalcitis tenuiſsimè læuigata cum oleo, adipi miſcetur, adiecta item argenti ſpuma tenuiſsimo cribro cribrata, & in tenuiſsimum pollinem redacta. Atque ubi ſimul omnia in pila coierint, conijciuntur in cacabum, ac rudicula palmea agitantur. Hæc è palma recens deciditur, & in latera agnatis pediculis & folijs repurgatur, extrema parte qua tenuior eſt peramputatur, eximitur cortex, taleolę finguntur,
quæ

quæ indũtur in cacabũ, ut inde resudáte succo, pharmacũ imbuatur. Verùm nõ antè immittã-tur, quàm medicamentũ quod coquitur, iustã cerati crassitiem consequutũ fuerit. Nam si eas ab initio immittas, earũ succus coquendo consumetur, quem propter eius adstringendi uim copiosè manere uolumus. Reliqua spatha statim ab initio, uti par est, pharmacũ uersatur, extrema parte qua magĩs succulenta ẽst: quæ ubi usqueadeò inaruit, ut proprium nequaquã amplius succum seruet, præcîdi debet, ut noua materia nouum succum reddat: idq; sępius faciendum, dum satis multis exectis taleolis, spatha pro breuitate inutilis relinquatur. Eiusmodi autem rudicula recens excisa esse debet, pridie hyeme, ęstate eodem ipso die, quo pharmacum conficitur, alioqui prius auulsæ succum amittunt. Atque ubi medicamentum satis succi cõbiberit, atque ita coctum fuerit, ut tactum non inquinet, igni aufertur, seduloq; reponitur. Palma quia nobis desit, saligno ramo uel batino uti licebit, aut assulis ex quercu, pruno, cydonio, sorbo, loto, mespilo, aut ex huius generis arboribus, quæ cùm refrigerent, immodicam adstringẽdi uim non habẽt, atq; ijs multo magis quàm uel radice cannę quod factitarunt Arabes: uel exoleto palmæ ligno, quod cum cerebro eius aliquando importatur.

Vulgatum est hoc emplastrũ diachalciteos ex Gal. li. I. Cõp, phar. gen. sumptũ, Phœnicinũ

dictum, uulgò Palmeum aut Diapalma, quod describitur Auicennæ lib. 5. nomine unguenti de Calcadis, & Mesueo sub unguento palmeo & Diaphœnicon. Meminit huius quoq; Actuarius, Paulus & Oribasius, ubi aliquantulum à Gal. dissentiunt. Paulus namq; chalcitidis unc. sex facit, Oribasius tres. adipem caprillum, ut Mesueus ceruinum & uitulinum pro suillo adhibet, & psylliũ (si uera est lectio) addit. Vterq; uerò chalcitidi læuigatæ oleum in sole commiscet, ut liquidum medicamentum permaneat, cætera consentiunt. Medicamentum mixtæ est facultatis digerentis & adstringentis, ideoque usus est ad cruenta uulnera, partium inflammationes, phlegmonas & articulorum morbos, nisi quo tempore dolores intẽsi sunt: tunc nãq; fotus & cataplasmata lenientia postulant. Aptũ est bubonibus, tuberculis, ambustis, pernionibus, ossium fracturis, cõtusionibus omnibus: deniq; fluidis affectibus, quos rheumaticos uocant. Sed tunc medicamentum cerati liquidi formá habere debet, & oleo copiosiore aliquo adstringẽte, quale est omphacinum, Hispanum aut Histricum dissoluendum, aut liquefactum pharmacum, ubi in pila refrixit, uino aliquo austero ætate medio, substantia tenui & lucido affuso, manibus subigi debet, dum contrito ac emollito pharmaco optimè permixtum sit, nec humidum fluctuet. Est ubi aceto, aqua aut oleo adstrictionis experte, dulci uel uetusto liquescit

*Cap. 8. lib. 6. Meth. lib. 7. cap. 17. Lib. Synops. 3. & lib. De loc. aff. curat. cap. 125.*

ſcit pro uarijs medici ſcopis, qui ex Gal. petẽdi ſunt. In medicamento diluendo hunc modum obſeruabis, ut medicamenti menſuram paululum oleũ excedat, ac præſertim æſtiuo tẽpore, ut ſi medicamenti unciæ ſint decem, oleum põdo abſoluat. Vlcera dyſepulota, & quæ cicatricem ægrè ducunt, pura reddit, ſolida carne implet & claudit, ubi paulo pus chalciteos ceperit, ut uncias ſex, in ualido præſertim & duro corpore: fluxionemq; reprimit, quæ callum fouet, & hunc exterit. In eum uſum myrteo aut melino diſſolui debet. In rheumaticis uſus tem pore pharmaci unciæ duæ in uncijs tribus aut duabus roſacei liquantur. Plus enim minusúe olei ſcribere oportet, ut ſunt corpora, & durum craſſumq;, molle uel ductile per ætatem pharmacũ eſt. Quod & in magnis ardoribus, eryſipelate phlegmonode, ac multo magis in phlegmone eryſipelatode factitãdum eſt: atq; ubi liquatum pharmacum refrixerit, ſolani aut pſyllij ſucco ſi æſtas eſt, aut una acerba cum portulacæ aut ſemperuiui ſucco irrigari & imbui debet. Omphacium namque per ſe nimium adſtringit, indeque eryſipelata exaſperat denſata cute, ſuppreſſo halitu & calore non expirante. Portulacæ autem & ſemperuiui ſuccus præ nimio lentore per ſe educi nequit. Ad eadẽ aptius medicamentum efficiet mandragoræ pomorũ uirentium, papaueris & hyoſcyami ſuccus recens additus, admixto etiam glaucio. Imbecil-

lius idem præſtant, ſed faciliore copia, lactuca, lenticula paluſtris, umbilicus Veneris: & ubi refrigerádi uis remitti debet, cichoriũ, polygonũ, trifoliũ, auricula muris uſui eſſe poſſunt. Horũ quoq; inopia acetũ & aqua immiſceri debent. Hoc itidẽ medicamentũ recti inteſtini & ſedis tumores plegmonodas ſpõte obortos iuuat, liquefactũ roſaceo copioſo, & hoc modo immiſſum. Ambuſta, & quæ Græci πυρίκαυϛα uocãt, aceto mollitũ ſanat. Fracturis beneficio eſt ligamentis circundatũ faſciarũ inſtar. Contuſa, ecchymemata, liueſcentes etiam ex nimia refrigeratione partes optimè per ſe iuuat, aut ueteri oleo, aut alio quopiam digerẽte ſubactum. Inflammationẽ etiã tam potenter prohibet, ut impoſitum ipſius ortum impediat: ideoq; qui hernias aut ramices obſecãt, poſt manus operá ſtatim ipſum cũ fomẽtis cataplaſmatis imponũt, nec prius uulnere madefacto. Nobile admodũ medicamentũ, & ad uarios affectus ualde efficax, ſi pro multiplici affectuũ ordine, conditione, corporũ natura, Medici diligentiá & ſolers ingenium nactũ fuerit. Vt enim non unũ habet ſtructuræ modũ, ita & mirabiles pro multiplici uſu caſus facit. Quæ omnia, ut facilius aſſequaris, accuratè hui9 medicaminis uires, permixtio & cenſura ex Gal. repetẽda eſt. Emplaſtrũ chalciteos Nic. Alex. lõgè eſt ab hoc diuerſum: ſed Phœnicine quæ num. 132. ſcribitur, omnino cũ Paulo cõſentit, dimidio tãtũ põdere adſcripto.

Empl.

## *Empl. ceroneum Nic.*

℞ Picis naualis colatæ, ceræ, ana unc. duas, & drach. tres.
Sagapeni unc. duas.
Ammoniaci,
Terebinthinæ,
Colophoniæ,
Croci, ana unc. unam, & drach. tres.
Aloes, thuris, myrrhæ, ana unciam.
Opopanacis, ſtyracis, galbani, maſtiches, aluminis, fœnigræci, ana drach. ſex.
Styracis rubri, bdellij, ana drach. tres.
Lithargyri ſeſquidrachmã. Fingatur emplaſtrum hoc modo: Sagapenum, galbanũ, opopanax, ammoniacum aliquantulum tuſa, uino tecta, nocte una macerentur, coquãtur ad uini dimidij conſumptionẽ, colentur. Tunc picem naualem colatã admiſce, ſpathula moue, dum liquefiat: qua liquata ceram, & hac fuſa colophoniam colatam, poſtea ſtyracẽ piſtillo calido tritum fruſtatim adde. Hinc maſtichẽ, thus, myrrham, bdellium, trita & creta. Aliquandiu pòſt inij ce terebinthinam, alumen, lithargyrũ, fœnumgræcum. Percoctum effunditur in aquam frigidam. Ab extracto aqua omnis manibus exprimitur: dein cum puluere aloes ſuper marmore oleo laurino unctũ ſubige. Poſtremò cum croco in puluerem trito, manibus eodem oleo inunctis, finguntur maſſæ.

Ceroma

Ceroma aut ceroneum fortè à cera dicitur, quod uſurpatur ad ſcapularum, thoracisq; totius ortum ex frigore dolorem. Humoris enim frigidi ex influxu decubitum, aut flatus digerit & coquit: lienis duritiem emollit. Aquam intercutem ex frigida iecoris intemperie enatã, & affectus uteri frigidos impoſitũ iuuat. Lumborum, pudendorũ, ueſicæ, & renum frigus ui ſua calfaciente diſsipat. Oſsiũ fracturis & luxatis cõmodat, multiplicisq; eſt uſus, repellit, coquit, mollit, incarnat. Solis Latinis Nicolai codicibus debetur, qui alium habent etiam confectionis modum. Lithargyrum namq; tenuiſsimè tritum cum oleo quantum ſatis eſt percoquit: dein picem addit, & hac liquata ceram. Qua fuſa lachrymas colatas, ammoniacum, ſagapenum, opopanacem, galbanum, ſtyracem utrunq;, & terebinthinam ſpathula probè miſcent. Poſtremò colophoniæ, thuris, maſtiches, bdellij, aluminis, myrrhæ, fœnigræci puluerem paulatim miſcent: atque ubi percoctum totum eſt, in aquã inijciunt. Expeditior uia eſt, in qua hodie quoq; inſiſtimus, ut pice & colophonia liquata & colata cera liqueſcat: pòſt ſagapenũ, ammoniacum, galbanum, opopanax, bdellium uino ſoluta & colata, coctaq; ad uini propè totius conſumptionem paulatim miſcentur: dein terebinthina, poſtremò pulueres reliquorum tenuiſsimè tritorum adduntur. Crocus ſuper marmor fingendo additur, oleoque manus inunguntur,

unguntur, ne his emplastrum adhæreat. Expeditius adhuc est, si liquoribus, ut diximus, coctis, cera particulatim misceatur: & hac fusa pix & colophonia liquata paulatim misceantur. Sic enim citius & perfectius coalescent. Posttemò pulueres addentur, adhibita cura, ne aloe aut myrrha urãtur, & grumosum emplastrũ reddãt.

## *Empl. oxycroceum Nic.*

Habet picis naualis, croci, colophoniæ, cerę, ana unc. quatuor.

Terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhę, masticbes, thuris, ana unc. uná, drach. tres.

Galbanũ & ammoniacũ aceto per noctẽ macerãtur: postridie liquãtur igni, colantur: iterũ coquuntur ad partis aceti consumptionẽ: tunc pix naualis liquata & colata inijcitur: dein cera, qua liquata colophonia, deinde terebinthina, aliquanto pòst mastiche, thus, myrrha, semper spathula mouendo. Cocta in aquam frigidam immittuntur, quæ tota manibus exprimitur: dein super marmor oleo inunctum cum puluere croci subigitur, molles offæ & magdaliæ effinguntur.

Ceroneo compositione & uiribus admodũ est affine: hoc tamen molliendi efficacia est imbecillius, & croci largiore copia sumptuosius. Ad cõtusa, osium fracturas, neruorũ dolores, abscessuũ inueteratorum duritiem molliendã idoneum: emplasticũ quoq; & gignendo callo habile.

habile. Nomen habet à croco & aceto maceran te. Croci hodie ferè largior copia sumptu minime necessario, & uiribus nullo modo imminutis, ut uilius fiat medicamentum minuitur, eiusq; uncias duas tantùm pro quatuor substituunt, & compositionis modum nonnihil immutant. Picem naualem colatam, colophoniá, ceram liquant. Quibus adhuc calidis galbanũ & ammoniacũ in aceto dissoluta & colata miscent. His coctis mastichen, thus, myrrham, postremò terebinthiná. Vbi iam refrixit, manibus molliendo, & subigẽdo super marmor, crocum tritũ confundunt. Hyeme addi potest olei unc. una, ad emplastri lubricitatẽ. Aliter quoq;, sed operosius parant Latini Nic. Alex. codices, qui & pondus triplum appendunt. Græci uerò codices ponderis nostri tãtùm dimidium adscribunt, legitima utrobiq; asseruata proportione, ideoq; nihil immutatis medicamenti uiribus.

## *Empl. de Ianna Nic.*

Capit succorum apij, plantaginis, betonicę, ana lib. unam.

Ceræ, picis, resinæ terebinthinę, ana libram dimidiam.

Formatur emplastrũ hoc modo: In succis cera, pix, resina, lẽto igne coquũtur, & cõtinenter mouentur ad succorũ cõsumptionẽ, postremò terebinthina semel aut bis feruefaciẽda admouetur. Sunt qui terebinthinæ partem superioribus simul incoquũt, reliquá sublato igni me-

dicamento

dicamento admiſcent, ut ſiccitatẽ aliorum corrigant, & formam meliorem medicamento impertiant. Succi ſalubriore Syluij conſilio, in ſapas coqui debent, & liquatis cæteris permiſceri. Vtuntur eo Chirurgi in ulceribus & uulneribus ſordidis detergẽdis & glutinandis. Sumptum eſt ex Nic. Præpoſiti codicibus.

## *Empl. Gratia Dei Nic.*

℞ Terebinthinæ lib. dimidiam.
Reſinæ lib. unam.
Ceræ albæ unc. quatuor.
Maſtiches unc. unam.
Verbenæ, bipinnellæ, betonicæ, ana manip. (unum.

Herbæ tuſæ ex uino albo generoſo coquuntur, ad tertiæ partis uini conſumptionem, colantur, herbarum ſubſtantia abijcitur. In colato cera, reſina, maſtiche, coquantur ad iuſtam conſiſtentiam. Ablatis igni terebinthinam adde, ſpathula moue, & finge emplaſtrum.

Satius ex cera & reſina in colato uini reliquo ad eius propè cõſumptionẽ percoctis maſtichẽ addere (quòd coctură uix ſuſtineat propter eſſentiæ tenuitatem) poſtremò terebinthinã, hęc ſemel feruefacere, auferre igni: & ubi refrixerint, fingere in offas cylindrales. Alij in colato reſinam ſolam coquunt. hoc propè cõſumpto, ceram addunt: poſtremò terebinthinam extra ignẽ: & ubi refrigerari incipit, maſtichen tritã permiſcent. Sunt qui huius emplaſtri loco operoſa & multiplici quadã cõfectione, emplaſtro

diuino nõ abſimili utantur. Alij huius loco emplaſtrum Petri Argillatæ, quod Gratiá Dei uocat, inter ſarcotica annumeratum uſurpãt. Hodie ut albius euadat, addita paulo largiore terebinthina, penidiorũ modo trahunt. Sunt qui in lacte coquant. Vſurpant chirurgi in ſolidandis & glutinandis uulneribus, ſordidis repurgandis, inflamatis leniendis, duratis emolliendis, neruorum præciſionibus: furunculorum, quos Dothienes uocant, moleſtias lenit.

## *Emplaſt. diuinum Nic.*

Habet galbani, myrrhæ, ana unciam unam, drach. duas.

Ammoniaci unc. tres, drach. tres.

Opopanacis, maſtiches, ariſtolochiæ longę, æruginis, ana unc. unam.

Lithargyri, olei communis, ana ſeſquilibrá.

Ceræ nouæ unc. octo.

Thuris unc. unam, drach. unam.

Bdellij unc. duas.

Magnetis unc. tres.

Lithargyrus in oleo diu ante coctionem maceratur & nutritur: poſtea in ſpiſsitudinem coquitur, quæ ei ob olei paucitatem expedita eſt & facilis: dein addatur cera minutim conciſa: qua liquata, ablato igni medicamento, additur galbanum, ammoniacum, opopanax, bdellium quoq; (ſi molle eſt) in aceto uel uino diſſoluta, colata & cocta: poſtea puluis myrrhę, bdellij (ſi

ſiccum

ficcum eſt) maſtiches, thuris, ariſtolochiæ, magnetis, poſtremò ærugo.

In permiſcenda ærugine magnus coloris habēdus eſt delectus. Si enim giluum aut melinū emplaſtrum cupis, ſemiuſtā æruginem imponere oportet, aut cōueniente coctura color iſte petendus eſt. Poſtremo loco impoſita ærugo longiore coctione ruborem contrahit, eumq́; longè præſtantiorem (qualē Narbonenſis Gallia præfert) ſi eius æruginis drach. duas uel quatuor, dum coqui cœpit lithargyrus, immittas: reliquas uerò eius drachmas percocto ferè medicamento addideris. Fuſcum demum, nec ita coloratum emplaſtrum facit ærugo tota poſtremo loco permixta, quæ medicamento adhuc ualde calido, ne ob ipſius ſolidiorem duritiem ægrius permiſceatur, indi debet. Eo utuntur chirurgi ad cruenta & recentia uulnera, quo etiam antiqua, diuturna, & maligno humorum uitio fluida ulcera celeriter repurgant, implēt, ac mirificè ueluti ope diuina glutinant. Quo ex felicitatis ſucceſſu Diuini ampliſsimum nomen meruit. Neruorum præciſionibus, ruptis, conuulſis optimè conuenit, ſurculos alto corporis infixos & ſpicula euellit, ſtrumas & abſceſſus diuturnos diſrumpit. Varia eſt apud Italos huius emplaſtri deſcriptio: eiusq́ue loco Gotfredi ceratum etiam uſurpant, mirifica addita uirtutum laude.

## *Empl. Apostolicum Nic.*

Recipit lithargyri unc. sex.
Ceræ rubeæ, colophoniæ, ana unc. duas.
Propoleos, uisci quercini, ana unc. unam.
Cadmiæ lapidosæ, aut lapidis calaminaris, ammoniaci, ana drach. sex.
Mastiches, thuris, ana semunciam.

Terebinthinæ, bdellij, opopanacis, galbani, myrrhæ, sarcocollæ, æris usti, squamæ æris, æruginis, dictamni, aristolochiæ rotūdę, mumię, ana drach. tres.

Ammoniacum, galbanum & opopanax uino tecta per noctem macerentur: postridie colentur, & ad uini consumptionem coquantur. Lithargyrus tenuissimè trita in oleo diu nutriatur, & simul coquatur spathula semper agitando, dum in emplastri consistētiam aut massam coierit, aut deniq; cerę & mellis corpus cōtraxerit, & attactu manus non inquinet, tunc cera addatur: qua liquefacta, colophonia, postea mastiche, thus, myrrha, propolis, factoque interuallo bdellium imponitur: post hęc uiscus quercinus, demumq; terebinthina. Qua liquata aufertur igni: liquores colati, &c, ut diximus, cocti paulatim, ne efferuescant, immittuntur, igni reponuntur, ut aliquātulum bulliant rudicula semper agitando. Addūtur deinde pulueres sarcocollæ, cadmiæ lapidosæ. intermissoq; aliquātulum spacio ærugo & squama ęris: dein

æs

æs uſtum rudicula agitatum, dum medicamentum ruborem cõtrahat: poſtremò omnium loco, ac dum ferè percoctũ fuerit emplaſtrũ, imponitur dictamnus & ariſtolochia. Signum coctionis eſt, dum medicamenti pars aquæ frigidę infuſa duratur, nec digitos attactu inquinat. Ita percoctũ in aquã frigidã infunditur: quę dũ refrixit, manibus exprimitur, & ſuper marmor oleo laurino inunctũ in magdalias efformatur.

Hoc emplaſtro utimur ad ſtrumas recentes, frigidos & diuturnos abſceſſus, uiſcerum tumores, pręciſos & punctos neruos. Ad recentia uulnera, enęma, emmotũ ex eo adhibetur uulnerariũ. Recentes phlegmonas arcet, educit calamos, ſurculos, ſpicula corporis alto infixa, & omnia uenenata. Facit ad phygethla, carcinomata, & ceruicis ex frigida cauſa dolores. Strumas aperit, abſceſſus diſrumpit, purgat & glutinat, cicatrices extenuat. Splenis duritiem emendat, articulorũ & genuum ex influxu dolores ſanat. Valet ad mammarũ collectiones, eryſipelata & fiſtulas iniectũ: impoſitũ etiã morſibus uenenatis, aut rabidorum animaliũ medetur. Confert ad uetuſta & diuturna ulcera, putredines, ſinus, hęmorrhoidas, ſedis uicia, condylomata, rimas ani, carbũculos, impetigines, ichores, inteſtinorum ramices, pudendorũ depaſcentia ulcera, quas nomas uocãt, cum roſaceo iniectũ: cum quo etiam ad muliebria mala peſſario ſuppoſitũ facit. Apoſtolicũ dicitur ex

Empl. Apost. Alex. præcipua ueluti præsentis numinis efficacia: aut, ut Alexandrinus scribit, ex specierum numero. Quod enim ab Alexandrino describitur, huic omnino affine, præter cerá & oleum duodecim simplicibus constat. Habet lithargyri unc. duas, drach. unam & scriptulum unum. ceræ, colophoniæ unc. unam, script. unum. ammoniaci, bdellij, mánæ thuris, sing. drach. duas. galbani, opopanacis, myrrhę, aristolochiæ longæ, æruginis rasilis, sing. drach. unam, script. unum. resinæ pineæ, mastiches, ana drach. quatuor. olei ueteris unc. duas. Tritum lithargyrũ, & per cribrum tenuissimum cretum, coquitur cum oleo ad lentum ignem: eoq; ad medietatẽ cocto, ærugo inijcitur. Vbi induruerit, & iustá consistentiam adeptum fuerit, cera & colophonia additur, & ab igne summoto, reliqua trita & cribrata asperguntur. Opopanax & galbanũ aceto aut uino dissoluta ad extremum adduntur. Mannæ & thuris loco quidam thuris pollinem capiunt, ut duodenarius numerus magis respondeat. Nicolai tamen Alexandrini Latini codices, eam quam desumpsimus ex Nic. Præpositi codicibus confectionem sequuntur, immutatis ponderibus, & uariata paulisper confectione. Pudẽdus est error, quòd quidam pro squama æris lapidem calcis, aut æris squamá & calcẽ addũt, cùm Latini codices lepidos chalcu, quod Gręcè ęris squamá significat, legant: ut & chalcecumenõ ꝓ chalcucecaumeno ponũt. Alij

lij magnetē pro lapidoſa cadmia capiunt. Magnoperè autem uidēdum eſt, ut moderata olei copia nullū emplaſtro negocium faceſſat. Liberaliore namq; modo appoſitum, magnum temporis interuallum ad coctura expetit. Parcius uſtionem facit, & prius quàm cætera quæ liq̃uefieri debent, apponátur, plus iuſto coit emplaſtrum, & adhęſum facit. Iuſtus eſt olei modus, ſi ad lithargyri pondo olei ſeſquipōdo addas. Aes uſtum quoque pro liberaliore aut parciore copia, emplaſtrū nigrū aut rubrū reddit.

## *Empl. contra rupturam Nic.*

Recipit picis naualis, aloes, ana unc. tres.
Lithargyri, ceræ rubræ, colophoniæ, galbani, ammoniaci, ana unc. duas.
Viſci quercini unc. ſex.
Boli Armeniæ, conſolidæ utriuſque, gypſi, ariſtolochię utriuſque, lumbricorum terreſtrium, gallarum, ana unc. quatuor.
Myrrhæ, thuris, ana unc. ſex.
Terebinthinæ unc. duas.
Sanguinis humani libram unam.

Pellis arietina mox ubi detracta eſt, fruſtatim conciſa, horis uigintiquatuor coquitur: eaque expreſſa & abiecta uiſcum quernum hoc iure diu coctum ubi fuerit, igne aufertur, adaditurque terebinthina, lithargyros, colophonia: poſtea maſtiche, thus, myrrha, galbanum, ammoniacum, lumbrici terreſtres: paulo pòſt

consolida utraq;, gypsum, bolus Armenia. Igni tunc redditur, & sanguis humanus, aristolochia utraque, postremò aloe inijcitur semper rudicula mouendo. Tandem marmori imponitur, quod oleo uiolaceo inunctum est, & manibus subigitur. Iterum biduo aut triduo in mortario continenter teritur. Solenne est ad enterocelē, & intestinorum ramicem, etsi alij cerato Arnoldi Villanouani ad herniosos utuntur, quod nō multum ab hoc medicamento dissidet. Plurimaq; est uarijs in pharmacopolijs huius emplastri descriptio: nec desunt qui Gentilis ad herniam ceratum usurpent, cęteris multum affine. Liquores uino dissoluti, colati & cocti, ut semper, permisceri debēt. Lumbrici quoq; in uino purgati, & uino alio probè seorsum cocti in opus ueniant. Temporis mora nimis durescit, nisi addatur oleum, aut utendi tempore mastichino, myrteo aut lentiscino subigatur.

## *Empl. de baccis lauri Mes.*

Capit thuris, masticheš, myrrhæ, ana unc. unam.
Baccarum lauri unc. duas.
Cyperi, costi, ana unc. dimidiam.
Mellis colati quantum ad ea comprehēdenda sufficit.

Si autem cyperi sesquunciam & stercus caprillum aut uaccinum siccum ad pondus omnium admisceas, ad hydropem fit mirabile.

Vsui

Vſui eſt ad uentriculi, inteſtinorũ, iecoris, renum, ueſicę, uteri & cęterarũ partiũ dolorem ex intéperie frigida ortũ. Præcipuè uerò in colico cruciatu à flatibus & pituita calidum uentri ſalubriter adhibetur, aut infuſo ſupponitur, ad unciam aut ſeſquunciá cum eorum quæ flatus diſsipãt, & tenſionem remittũt decocto. Huius etiam loco utuntur quidá electuario de baccis lauri, quod ex Rhaſio prius deſcripſimus, atq; in emplaſtri formam adhibẽt. Vſurpatur etiam in Aſcite & Tympanite uentri extenſum, ubi ſtercora ſicca receperit: tũcq; mel largiore copia infundendum eſt, quantũ ſcilicet omnibus excipiendis ſuffecerit, quod utrobiq; calidũ & liquatum potius quàm colatũ eſſe debet, ne emplaſtrum ęquo durius euadat. Eſt Galeni malagma ex baccis lauri duplex: ex baccis lauri, nitro rubro, ammoniaco, cera, reſina picea, pice brutia, ad hydropicos, ſplenicos, indurataq; uiſcera & abſceſſus abſorbẽdos efficax: quale ferè eſt quod Paulus deſcribit ex ceræ, reſinæ, picis, baccarum lauri, ſebi taurini, ſingulorum libra. nitri, guttæ ammoniacæ, ſingulorum uncijs ſex, & aceti quantitate idonea. Eſt & Diadaphnidon emplaſtrum duplex epiſpaſticum, & ad extrahendum nobile, Celſo lib. 5. Valentius quoq; eſt quod deſcribit Actuarius ex ceræ, reſinæ pinus, nitri, baccarum lauri, colophonię, picis cuiuſq; lib. quatuor. ammoniaci libra. ſinapis, floris roriſmarini, pyrethri, galangæ- euphorbij,

*Lib. 9. Comp. phar. part. cap. 3.*

*Li. 7. cap. 18.*

*Cap. 19.*

*Lib. 6. Meth. cap. 8.*

euphorbij, ſampſychi, cardamomi, iridis, adipis ſuilli, adipis taurini, ſing. unc. quatuor. Additur cyprini olei pars decima & ſexta. Celebre & cõmendatũ ad ſtomachicos, lienoſos, iſchiadicos, & aqua intercute laborãtes: Oribaſij malagmati ex ſtercore caprillo, & ſphõgio: Pauli ex fimo caprillo, ſecundoq; Celſi emplaſtro ualde affine. Eſt & malagma Andromachi Diadaphnidon libro 7. Comp. phar. gen. hydropicis & iecori indurato efficax multùm, ab his non ualde diſſentiens.

Cap. 7.

## *Empl. Diaphœnicon Meſ.*

Recipit dactylorum maturitati uicinorum unc. quinque.

Panis biſcocti unc. unam.

Carnis cydoniorum in uino auſtero coctorum ſeſquunciam.

Styracis, maſtiches, ladani, acaciæ, omphacij, florum labruſcæ, roſarum, ſantalorum citrinorum, myrrhæ, xyloaloes, ana ſemunciam. ceræ unc. quatuor. olei roſacei uncias quindecim. uini auſteri quod ſatis ſit ad ea infundenda quæ infundi debent.

Hoc emplaſtrum Alexandro à Meſueo tribuitur, eſtq; id quod minus & frigidũ dicitur, paſsimq; in curationibus medicis, nonnunquã etiam in opere faciundo uſurpatur ad dyſenteriam hepaticam, lienteriam & bilioſum profluuium. Totum inferiorem uentrem, ne partium aliarum

aliarum recrementa recipiat, roborat, coctionẽ iuuat, uomitum & cholerá morbum ſiſtit. Vſu frequentius quàm quod maius & calidũ à Meſueo deſcribitur, uſurpaturq; nonnunquam ad uentriculi & uiſcerum intemperiem frigidam, indeq; natam lienteriam, ab Auicenna lib. 5. in unguenta relatum. Trallianus in podagra calida Phœnicini emplaſtri mẽtionem facit, quod ad articulorum calores adhibet, oleo roſaceo aut omphacino diſſolutũ, nec aliter huius quod à Meſueo deſcribitur, meminit. Vtendi tempore xyloaloe hoc modo ſuffiri debet. Emplaſtro in panno extenſo lignum aloes minutatim inciſum carbonibus ignitis imponitur, & manibus apprehenſum emplaſtrum ſic tenetur, ut accenſi ligni fumum in ſe recipiat, & calefactũ tandem laboranti loco imponiur. *Lib. 11.*

## *Empl. de betonica.*

Recipit betonicæ uiridis, bipinnellæ, agrimonij, ſaluiæ, pulegij, millefolij, conſolidę maioris, matriſyluæ, ana unc. ſex.
Thuris, maſtiches, ana drach. tres.
Ireos, ariſtolochiæ rotundæ, ana drach. ſex.
Ceræ albæ, terebinthinæ, ana unc. octo.
Gummi elemi unc. duas.
Reſinæ pini unc. ſex.
Olei abietini, uini albi, ana quod ſatis ſit.

Herbæ in pila uehementer tuſæ diebus octo in uino albo macerentur, pluries agitentur, &

bulliát. Expressum & colatũ uinum lento igne coquatur, ad tertiæ partis consumptionem: cui adde oleum abietinum: postea ceram liquatã, & hac fusa resinã & gummi, deinde terebinthinam. Quibus paululum refrigeratis, adduntur reliqua trita & creta: & manibus asiduè subiguntur, dum totus humor exeat. Tandẽ ad formãdos globulos additur lac caprillũ, iterumq; manibus continenter medicamentũ subigitur.

Celeberrimum est cephalicum & chirurgis familiare catagmaticum, quo caluariæ fracturas uniunt, ossa carne integunt, duras carnes restituunt, squamas osium detrahunt: & foras euocant, quæ in alto latent. Potentisimè terget, digerit & siccat, ut cętera omnia cephalica. Sunt qui hanc in rem unguento de betonica utantur: & addita resina & cera, ceratum conficiant. Alij uerò Ioannis de Vigo cephalicum liberalius usurpant.

## *Empl. pro stomacho Mes.*

Capit ligni aloes, absinthij, gummi Arabici, mastiches, cyperi, costi, zingiberis, ana semunciam.

Calami aromatici, thuris, aloes, ana drach. 3.

Caryophyllorum, maceros, nucis moschatę, galliæ moschatæ, cinnamomi, spicæ nardi, schœnu anthos, ana sesquidrachmam.

Excipe omnia miua cydoniorum aromatica: & ubi panno intenderis, suffias ligno aloes.

In

In magno & numeroſo emplaſtrorum ſtomachicorum numero quidá iſtud Meſueo acceptum uſurpant, efficax ad intemperiem uentriculi frigidam & humidam, aere pręſertim frigido, quod uicium apud nos & cœli & intếperấtis ingluuiei ratione latè ſerpit. Alij uerò eius loco ceratum ſtomachicum prius deſcriptum in uſum traducunt. In ſtomachi diſſolutionibus & uomitionibus cõtinuis celebratur quibuſdam hoc emplaſtrũ, quod habet Ladani puri, maſtiches, ana unc. unã. mumię, galangę, caryophyllorum, maceros, cubebarũ, nucis moſchatę, ana ſemunciã. abſinthij ſicci, menthę ſiccę, ſerpilli, ſaluię, ana drach. tres. piperis longi drach. duas. coralli albi & rubri, nucis cypreſſi, ana drach. duas & dimidiam. ſtyracis calamitæ unciam unam. terebinthinæ modicum, picis naualis quod ſatis ſit, cum piſtillo calido fiat maſſa. Scio etiam quibuſdam placere aliud emplaſtrum, quod ex Nicolao Præpoſito deſcribitur. At uerò in tam larga ſtomachicorum medicamentorum copia, ubi uires ſtomachi diſſolutæ cibum neque capiunt, neque appetunt: ſed lubricum per inteſtina fluxum faciunt, Nicolai Alexandrini Emplaſtrum ſtomachicum ex numero 97. celeberrimas habet uires: eoq; nomine lubenter uſurpari debet. Accipit œnanthes, roſarum, chamæmeli, carnis dactylorum, hyſſopi, xylobalſami, calaminthæ, meliloti, abſinthij, betonicæ, ana unc. unã. cinnamomi, *Empl. ſtomach. Alexand.*

namomi,

namomi, croci, maſtiches, caryophylli, ſaluiæ, menthæ, ſampſyci, ſpicæ nardi, nucis moſchatę, gallarum, rhois culinarij, ſidiorum, balauſtiorũ, maceros, acaciæ, florum iunci odorati, ſeminis myrtorum, ligni aloes, ana drach. unam. panis uſti, & in aceto macerati unc. quatuor. fermentetur cum ſucco cotoneorum, meſpilorum, & uino, & fiat emplaſtrum. Eſt quibuſdam officinis in uſu ad uentris totius intemperiem frigidam emplaſtrum Meſuei de Gallia, quod adſtringendo & calfaciendo uitales partes roborat, lienterias, dyſenterias, diarrhœas à frigido ortas ſedat: ferè tamen quia raritate ſua exoleuit, operam noſtram non requirit.

## *Empl. pro matrice.*

Recipit radicis biſtortæ lib. unam.
Ligni aloes, ſantali muſcatelini, nucis moſchatæ, berberis, antheræ, ana unc. unam.
Cinnamomi, caryophyllorum, ſchœnu anthos, florum chamomillæ, ana ſemunciá.
Thuris, maſtiches, aliptæ moſchatæ, galliæ moſchatæ, ſtyracis calamitæ, ſtyracis rubri, ana drach. unam.
Moſchi optimi drach. dimidiam.
Ceræ ſeſquilibram.
Terebinthinæ ſelibram.
Ladani lib. quatuor.
Picis naualis lib. tres.
Cera cum pice liquata, ladanum & terebinthina

thina adduntur: dein ſtyrax, poſtremò reliqua trita & creta, fingitur emplaſtrum. Vteri imbecillitatem firmat, procidentiam reprimit, muliebribusque uicijs ex nimia humorũ mollitudine optimè ſuccurrit, & locorum immoderatos motus ſiſtit. Quibuſdam uſitatum medicamentum ex Nic. Præpoſito ſumitur.

## *Empl. Ioan. de Vigo.*

Capit olei chamæmelini, anethini, de ſpica, de lilio, ana unc. duas.
Olei de croco unc. unam.
Adipis ſuilli, uitulini, ana lib. unam.
Euphorbij drach. quinque.
Thuris drach. decem.
Olei laurini ſeſquunciam.
Adipis uiperæ unc. duas & ſemiſſem.
Succi radicum ebuli & enulę, ana unc. duas.
Schœnu anthos, ſtœchados, matricariæ ana manip. unum.
Terebinthinæ claræ unc. duas.

Cum cera alba fiat ceratum, addendo in fine ſtyracis calamitæ ſeſquunciam. Igne ablatũ piſtillo tribuletur, donec tepidũ erit: tunc adde argenti uiui ſaliua hominis ieiuni extincti unc. quatuor, miſce diu piſtillo.

Hoc emplaſtrũ etſi prius in unguẽtis deſcriptum fuit, quod liquatum illini poſsit: huc tamen propter efficacitatem referri debet, licet quibuſdam propter argentum uiuum ſuſpectũ ſit.

ſit. Publica tamen utendi conſuetudo cum magnis ſucceſsibus in miſerabilibus articulorum cruciatibus ex lue uenerea uſurpat: nec his tantùm, ſed in reliquis etiam neruoſarum partium hęreditarijs doloribus tam pręſenti remedio, ut ſuſpectam noxam facilè alleuare poſsit.

## *Empl. de cruſta panis, Montagnanæ.*

Habet maſtiches, menthæ, ſpodij, coralli rubri, ſantalorum rubrorum & alborum, ana drach. unam.

Cruſtæ panis toſtæ, & in aceto per dimidiũ horam maceratę unc. duas.

Olei maſtichini, cydoniorum, ana unc. unã.

Farinæ hordei quod ſatis eſt, formetur emplaſtrum.

Vulgare eſt, nec contemnendum remediũ ad ſtomachi diſſolutionẽ, & ciborum reiectionem, offa panis uſtulati, uino Cretico aut aceto intincta, puluere maſtiches, zingiberis, cinnamomi, caryophyllorũ, nucis moſchatę, maceros aſperſa, & ori uentriculi appoſita. Eius nãq; uim retentricem firmat, & concoctricem iuuat. Deſcribitur à Montagnana in uomitu puerorum. Eſt & antiquis celebratum emplaſtrum è micis panis ad ſtomachi inflammationem, cuius meminit Aetius lib. 9.

## *Emplaſtrum album.*

Recipit olei communis libras duas.

Ceruſæ ſeſquilibram.

Ceræ

Ceræ unc. quatuor.

Coquantur secundũ artẽ, & fiat emplastrũ.

Dicitur etiam emplastrum de cerusa, & sola coctione ab unguento albo differt, non secus ac ung. tripharmacum & tetrapharmacum, coctura modo in emplastra transeunt. Intertriginibus quacunque ex causa succurrit, & leues cutis sculpturas sanat. Empl. è cerusa Alexandrini capit ceræ albæ unc. tres. olei rosacei, lithargyri, sing. semunciam. cerussę unc. unam. amyli sesquunciam. ouorum candida duo & dimidiam. Sunt qui compositum aliud parant, ex cerusæ unc. uiginti. olei communis uncijs decem. masticħes unc. quatuor. thuris unc. sex. terebinthinæ unc. una. ceræ unc. quatuor. fingatur emplastrum. *Empl. è cerusa Alex.*

## *Empl. Griseũ de lapide calaminari.*

Capit lapidis calaminaris præparati unc. (unam.

Lithargyri unc. duas.

Cerusæ semunciam.

Tutiæ drach. unam.

Terebinthinæ drach. sex.

Ceræ albæ sesquunciam.

Sebi ceruini unc. duas.

Thuris electi drach. quinque.

Masticħes drach. tres.

Myrrhæ drach. duas.

Caphuræ drach. duas & dimidiam.

Lithargyros trita aliquãtulũ oleo nutriatur,

tribuletur,

tribuletur, modicè cocto cera liquetur: dein sebum ceruinum. quibus paulisper refrigeratis, addatur terebinthina. Dein lento igni reddantur, & insperge pulueres lapidis calaminaris, tutiæ, cerusæ, thuris, mastiches & myrrhæ: extra ignem uerò caphuram permisce.

Vlcera explet, siccat, & cicatrice claudit. Incerti est autoris, & frequenter officinis uariatũ. Hîc uerò pro lapide calaminari, cadmia natiua fossilis metalli expers, sublutei coloris, intelligenda uenit, aut tutia uerus Græcorum pompholyx usurpari debet, ne in idem officinarum nomen coincidãt. Caphurę loco nympheæ flores sunt qui malint, uetere eis usitata religione.

## *Emplastrum uiride.*

Accipit ceræ nouæ, resinæ terebithinæ, anã unc. quatuor.

Thuris, mastiches, æruginis, ana unc. tres.

Cerę liquatę affunditur resina, dein terebinthina, pulueres postea asperguntur thuris & mastiches: ærugo postremò apponitur.

Sordida ulcera terget, purgat & explet, & cocturæ ratione uiride dicitur, incerti quoq; autoris. Scio lõgè plura usitata esse medicis uulnerarijs emplastrorũ genera: sed hęc ferè sunt omnia, quæ solo, eoq; uulgato præscriptionis nomine in Pharmacopœorum officinas ueniunt, quas hîc potius ex instituto quàm ἐγγράφειν instruimus.

FINIS.